Ioh. Zachariae Platneri ... Opusculorum, tomus I dissertationes [- tomus II prolusiones] / [Edited by Friedrich Platner].

Contributors

Platner, Johann Zacharias, 1694-1747.
Platner, Friedrich, 1730-1770.

Publication/Creation

Lipsiae [Leipzig] : Prostat in officina Weidmanniana, 1749.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/uj4fvatb

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

499/B

A I P 18

331 (41)


IOANNES ZACHARIAS PLATNER
Regi. Pol. Elect. Sax. a Consiliis Aulæ et Iust. Med. Prof. Prim.
Ord. Med. Decanus perpetuus in Acad. Lips. rlq. rlq.
E. G. Hausmann Pict. Reg. Pol. pinx.
J. M. Bernigeroth sc. Lips. 1749.

49989

IOH. ZACHARIAE PLATNERI
REGI POL. ELECT. SAX. A CONSILIIS AVLAE ET
IN ACAD. LIPS. MED. PROF. PRIMARII, ORD. MED.
DECANI PERPETVI,

OPVSCVLORVM

TOMVS I.

DISSERTATIONES.



ex Libris L. j. Letellier M. L.

LIPSIAE
PROSTAT IN OFFICINA WEIDMANNIANA
cIↃ IↃ ccxxxxviiii.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

IOHANNI CHRISTOPHORO NEIDIO

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

DVCIS SAXONIAE

SACRI ROMANI IMPERII

NOVEMVIRI

CONSILIARIO AVLAE ET ARCHIATRO

PATRONO OPTIMO

SACRVM

VIRO

ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO

NICOLAENI CHRISTOPHORO

NEIDIO

POTENTISSIMI TOLOSIANARUM ARTIS

DUCIS SAXONIAE

SACRI ROMANI IMPERII

CANCELLARIO

CONSILIARIO AULAE ET ARCHIATRO

PATRONO OPTIMO

SACRUM

Singularis TVA, VIR ILLVSTRIS, cum erga omnes facilitas atque humanitas, tum praesertim erga patrem meum, dum viueret, beneuolentia,

lentia, (quam ad eos, qui Platnero ſanguine iuncti ſunt, eiusque adhuc obitum lugent, quaſi haereditatis iure, pro TVA conſtantia, perueniſſe, in praecipua felicitatis parte merito repono,) facit, vt, quod alii ſolent, vanis forte precibus efflagitare, ego certus ſperare posſim. Summa enim apud me ſpes eſt, TE has commentationes, quae ſe TIBI ſingulae probauerunt, quod a Platnero veniebant, nunc, poſt fata auctoris, a filio, qui eadem, qua pater erat, in TE eſt reuerentia, pietateque, in vnum corpus collectas, beneuole accepturum eſſe. Et a quo tandem in hac cauſa melius iudi-

cium

cium exſpectare potero, quam a TE, VIR ILLVSTRIS, et cui hoc inſtitutum probaſſe magis honorificum erit, quam TIBI? cui, cum tanta euentus felicitate, totius fere aulae regiae ſalus credita eſt, quem viri principes amant, ad quem alii Aſclepiadae, tanquam ad oraculum, feliciſſimo fructu, conſultum veniunt. Nihil igitur tantopere opto, quam vt TIBI, VIR ILLVSTRIS, hoc meae pietatis reuerentiaeque teſtimonium probetur. Quod vero facio quotidie, in poſterum quoque faciam, et vota, pro TVA, VIR ILLVSTRIS, incolumitate, ad Deum concipiam, velit

TE diu ſaluum ſoſpitemque praeſtare, vt feliciſſimus, Saxoniae virorum principum ſalutem, curare poſſis.

TVO ILLVSTRI NOMINI

LIPSIAE D. XXXI. MARTII
ɔIↃ IↃ CCXXXXVIIII.

DEVOTVS

FRIDERICVS PLATNER.

LECTVRIS

S. D.

FRIDERICVS PLATNER.

Iusta reprehensione dignus essem, si iam, prologi personam tractaturus, huic libro commendationem aliquam, laudis meae quasi praeconio, adferre conarer. Quod tametsi aliis conceditur, quibus, vel aetatis aliqua quasi maturitas, vel subtilitas iudicandi, et doctrinae gloria, vel vsus denique exercitatioque, hanc auctoritatem constituit: tamen ego, si idem in his patris mei desideratissimi commentationibus facere instituerem, quo modo ferendus essem? cui aetas, cui litterarum hic tractatarum et a meo studio alienarum ratio, ipsa denique consanguinitas, hanc, siue iudicii, siue auctoritatis opinionem deneget. Quapropter, ista commendatione omissa, in qua fere omnes Praefationes solent consumi, hoc tantum faciam, vt quibus causis inductus, de colligendis his patris optimi nobisque desideratissimi commentationibus, cogitauerim, breuiter, quantum fieri poterit, exponam. Magna sane scriptoris esse videtur felicitas, si docti homines eius scriptis aliquid pretii statuant, eorumque desiderio teneantur, non illo quidem cupiditate nouitateque commoto, sed iusto eo, ac vel ab vtilitatis, vel a suauitatis, opinione commendato. Quam felicitatem cum optimo patri contigisse aliorum potius, quam meo, iudicio didicissem, non ingratam rem me facturum existimaui, si iam commentationes illas, quae raro propter earundem varietatem multitudinemque ab vno omnes possunt haberi, in vnum corpus collectas luci publicae redderem. In quo negotio tanto facilius procedere potui, quod tabulae aeneae, quibus pater ipse in nonnullis disputationibus vsus erat, ad manus essent: Neque tamen magis aliorum desideriis vel vtilitati quam pietati hanc editionem dedi.

PRAEFATIO.

Tanta profecto optimi patris in me exstitit indulgentia, tantus amor, vt nisi publicum monumentum posuissem, omni pietate praestanda, mihi non satisfacerem ipsi. In qua sententia mirifice sum confirmatus, cum multorum studia virorum doctorum, eorundemque de hac Lipsiensi academia praeclare meritorum, vidissem in eo elaborantium, vt eius siue laudes siue memoriam posteritati traderent, quod pro meritorum famaeque magnitudine iure quodam suo facere potuerunt, eorum exemplum me quidem non incitauit, diu enim beneficiorum grata recordatio, animo meo obuersata, id negotium mihi iniunxerat, sed vt in capto consilio persisterem, apud me effecit. Qui quidem cum familiaritati amicitiaeque soli id tribuissent, ac sua sponte id suscepissent, summum beneficium debent videri in patrem optimum contulisse. Mihi autem et merita, et ius sanguinis, ipsa denique natura, sanctissimum imposuerunt officium, vt, cum Patris memoriam laudibus meis ornare neque propter aetatem vel infantiam dicendi meam possem, neque propter vincula sanguinis deberem, gratam tamen piamque mentem ostenderem.

In iis, qui de seruanda patris memoria prospexerunt, primo loco nominandus est vir amplissimus atque celeberrimus IOHANNES ERHARDVS KAPPIVS, *eloquentiae in hac Lipsiensi Academia clarissimus Professor, qui iam superiori anno singulari eaque elegantissima prolusione, Academiae Lipsiensis nomine, patris memoriam commendauit. Vir vero experientissimus atque excellentissimus* IOHANNES ERNESTVS HEBENSTREIT, *patris ex asse successor, quo melior, si optio fuisset, ne fingi quidem potuisset, doctissima praefatione famae paternae consuluit, orationem anniuersariam edicens. Experientissimus autem amplissimusque* IOHANNES BENIAMIN BOEHMER, *qui munus, anatomiam chirurgiamque extra ordinem docendi, nuper regia auctoritate demandatum, egregie ornat, eximium voluntatis suae ipso die, quo pater ante annum mortuus erat, scilicet XVIIII. mensis Decembris, elegantissima oratione do-*

cumen-

cumentum edidit. Quorum virorum iudicia, quo sunt et ad laudem honorificentiora, et ad memoriam stabiliendam aptiora, quod a talibus tantisque Viris proficiscuntur, tanto maiores quoque ipsis gratiae debentur. Quas, cum propter beneficii huius magnitudinem persoluere non possimus, tamen, cum multum interfit, cui obstricti simus, quam libenter, quantaque cum voluptate talibus viris debeamus, publice testatum relinquere statui. Collegi autem eas commentationes, quas pater olim in Academia Lipsiensi, vel ad disceptandum, vel edictorum loco, proposuit.

Omnes vero, quae iam prodeunt, antea diuerso tempore singulae typis exscriptae fuerunt. In quibus collocandis rationem secutus sum, quam ipsa rei natura commendare videbatur, scilicet, vt priore loco ponerem eas, quae ad disceptandum propositae fuerunt, posteriore vero illas, quas prolusiones solent vocare.

Hac itaque priore parte continentur omnes dissertationes, quas pater ipse scripsit, omissis quidem iis, quae vulgo a nonnullis eiusdem traduntur, sed, si verum fatendum sit, ab aliis profectae sint. Ne itaque videamur, aliorum gloriae detrahendo patris laudem amplificare velle, eas, quas hac lege omisimus, exponere lubet.

Primo loco nominanda est illa de generatione animalium aduersus NICOLAVM HARTSOEKERVM V. C. *quam sub* GOTHOFREDI POLYCARPI MVLLERI *praesidio ex amplissimi philosophorum ordinis suggestu publice Lipsiae propugnauit. Sub* MICHAELIS ALBERTI *vero V. C. praesidio dissertationem* de affectibus capitis ex Haemorrhagiis molientibus *proposuit, vbi quoque illam* de medico directore motuum vitalium *defendit. Memini tamen, me saepe ex patre audire, priorem a* GOTHOFREDO POLYCARPO MVLLERO, *illas a* MICHAELE ALBERTI, *V. C. scriptas esse. Has itaque commentationes, quod aliorum essent, illam vero* de generatione metallorum, *cuius quidem pater ipse auctor est, ex eiusdem*

voluntate omiſi, quod huic iuuenili operae parum tribueret. Quae et eam ob cauſam, quod ad medicinam non pertinet, his opuſculis annumeranda non eſt.

Harum vero commentationum maxima pars nomine eorum ſcriptae ſunt, qui defenſorum officia ſuſtinuerunt, quare etiam oratio eorum perſonis accommodanda fuit, quod quidem in quibusdam ſublatum eſt, interim non potuit plane impediri, quo minus talia curam noſtram effugerent.

In quibusdam etiam quaedam mutata ſunt, quod quidem non emendandi libidine, ſed ex patris auctoritate factum eſt, qui in exemplo ſuo quaedam ſua manu correxerat. Caeterum in eo ſumma cura fuit adhibita, vt, quantum fieri poſſet, quam emendatiſſime prodirent.

Vitam patris addidi, non quod meae orationis tenuitatem, huius generis ſcribendi difficultatem ferre poſſe, exiſtimarem: Sed vt virorum ampliſſimorum quorundam voluntati, inprimis vero GEORGII CHRISTIANI GEBAVERI, *Viri Perilluſtris in Academia Gottingenſi Anteceſſoris primarii, Patroni mei aeterna pietate colendi, cuius voluntas mihi pro lege eſt, auctoritati obtemperarem.*

Atque ita vale, lector beneuole, patrisque orationes, *quarum curam Vir Excellentiſſimus* IOHANNES AVGVSTVS ERNESTI, *litterarum humaniorum Profeſſor celeberrimus, pro ea, qua in patrem ſemper fuit, humanitate, beneuole in ſe ſuſcepit,* Inſtitutionumque Chirurgiae *partem alteram germanice conuerſam interprete excellentiſſimo* BOEHMERO, *proximo mercatu prodituram exſpecta. Iterum vale, et huic libro mihique faue. Dabam Lipſiae, d. XXXI. Mart.* ɔIↃ IↃ CCXXXXVIIII

DE

FRIDERICI PLATNERI

BREVIS COMMENTATIO

DE

VITA

IOH. ZACHARIAE PLATNERI

cIↃ IↃ CCXXXXVIIII.

Mihi, iam de vita Patris optimi, IOHANNIS ZACHARIAE PLATNERI, dicturo, auertenda videtur audaciae suspicio, ne sint quidam, qui, me gloriolae captandae impetu abreptum, ad hanc commentationem accessisse, putent. Certe enim, nisi fuissent Viri, qui mihi hoc officium sua auctoritate demandauerint, nunquam me huic scribendi generi parem existimauissem. Nam hoc sua natura difficile dicendi genus adhuc difficilius reddunt sanguinis vincula, quibus cum eo, cuius vitam hac commentatiuncula delineaui, coniunctus sum. Illa enim me iubent ab omni laude abstinere, atque in eo solum versari, vt, quid viuenti patri acciderit, breuiter et sine ambagibus exponam.

Cum vero satis cognitam habeam virium tenuitatem, vt me velint lectores sua humanitate subleuare, mihique, et aetati iuuenili, ea, quae non ad summam elegantiae rationem exacta erunt, condonare, vehementer oramus.

IOHANNES ZACHARIAS PLATNER d. XVI. Aug. A. cIↃ IↃ CLXXXXIIII. natus est *Chemnicii*, haud ignobili *Misniae* vrbe, quae praecipue mercatura exercenda, non minus vero ingeniorum nonnullorum fama, inclaruit. Patre vsus est ZACHARIA, mercatore et ciuitatis *Chemnicensis* triumuiro Consulari, cui ex VITI IOHANNIS SNORRII, Praetorii apud *Schneebergenses* viri, filia, ANNA MAGDALENA, natus est.

Cum fere per aliquot secula maiores mercaturae operam dedissent, factum est, vt prima aetate quoque eidem destinaretur.

Interim, cum pater ſuo exemplo didiciſſet, quam gratae iucundaeque ſint litterae etiam iis, qui mercaturae ſtudent, (ſolebat enim multum litteris tribuere, vnde factum eſt, vt non ſolum librorum bonorum aliquam copiolam ſibi compararit, ſed multum quoque voluptatis ex doctorum hominum conſuetudine repeteret,) a tenera aetate eum optimis magiſtris erudiendum tradidit. Cum litteris vero, praeſertim humanioribus, ea inſit gratia, vt vel contemtores poſſint arctiſſimis vinculis ſibi alligare, non mirum eſt, animum, vel ſua ſponte iisdem deuotum, magis ſibi eas adſtringere potuiſſe. Prima enim aetate e litterarum fructu ſummam voluptatem percepit, atque adeo fere diem noctemque nihil aliud agendo, iisdem tractandis conſumſit. Atque illa, quam in litteris reconditam vidit, ſuauitas, eum incitauit, vt, quod praeterea ſatis infirma valetudo, ferendis mercaturae incommodis haud apta, vrgere videbatur, ſe totum litteris conſecraret, a quo tempore praecipue a DANIELIS MVLLERI, Scholae Chemnicenſis Rectoris, ore pependit, cui ſemper, et propter diſciplinae, et humanitatis, merita, ſe obſtrictum praedicauit.

Litteris, quibus iuuenilis aetas erudienda eſt, imbutus, auctoritate Viri Clariſſimi Experientiſſimique CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI, vt arti ſalutari ſe traderet, permotus eſt. Ille enim vir, qui ſcriptis nonnullis ſatis inclaruit, patri familiariſſimus erat, atque cum apud iuueniles animos magna ſit vis exemplorum, clarum hoc GARMANNI exemplum ipſi ſtimulos admouit, vt tanto alacrior ad artis medicae ſtudium accederet. Quo conſilio Lipſiam venit A. cIↃ IↃ CCXII, interque ciues academiae nomen profeſſus eſt, ſub IOHANNIS GEORGII ABICHTII auſpiciis.

Animum Philoſophia praeparauit, vt tanto facilius felicius que Medicinam percipere poſſet.

Sectatus autem eſt in Philoſophia GOTTLOB FRIDERICVM IENICHENIVM, P. P. et GOTHOFREDVM POLYCARPVM MVLLERVM, ſub

ſub cuius moderamine poſt illa diſſertationem de *Generatione Animalium* publice propoſuit.

Phyſices diſciplinam explicantem IOHANNEM CHRISTIANVM LEHMANNVM, P. P. audiuit.

Eodem quoque tempore ipſi licuit IOHANNIS BVRCHARDI MENCKENII conuictu et praeceptis vti, cuius felicitatis grata eaque perpetua recordatio ipſi obuerſabatur.

Atque ſic ad artem medicam acceſſit, quam a doctiſſimis eius temporis viris a IOHANNE GVILIELMO PAVLI, POLYCARPO GOTTLIEB SCHACHERO, IOHANNE CHRISTOPHORO SCHEIDERO, CHRISTIANO SCHVLZIO, MICHAELE ERNESTO ETMVLLERO, et IOHANNE BOHNIO percepit.

A. cIↃIↃCCXV. *Halam* adiit, in ciuium numerum relatus a IOHANNE SPERLETTE, ibi viros Experientiſſimos MICHAELEM ALBERTI, et GEORGIVM DANIELEM COSCHWIZIVM audiuit. *Halae* etiam contigit, vt ſummo et conſtanti fama celeberrimo CHRISTIANO THOMASIO innoteſceret. Cuius quoque viri animum ita ſibi conciliauit, vt abitum paranti, ipſi THOMASIVS auctor ſuaſorque adfuerit, vt Halae ſedem figeret. Quod tanti viri iudicium etſi magni faceret, tamen eum impedire non potuit, quo minus *Chemnicium* reuerteretur, defenſa antea ALBERTI praeſide diſſertatione *de affectibus capitis ex Haemorrhagiis molientibus*

Semeſtre uero hybernum a. cIↃIↃCCXVI. praecipue in cognoſcenda rerum metallicarum ratione peregit.

Cum enim videret, harum rerum cognitionem non ſolum ornare medicum, verum etiam neceſſariam eſſe, ſummam curam in eo poſuit, vt et has res, quae hodie quidem plerumque neglectae iacent, penitus perſpiceret.

Poſt illa, *Lipſiam* redux factus, ſummos Philoſophiae honores d. XI Febr. eiusdem anni accepit, quos quoque, propoſita menſe Auguſto *de Generatione Metallorum* diſſertatione, magis ſibi confirmauit, in qua defendenda comite vſus eſt viro Conſultiſſimo DAVIDE GOTTLOB DIEZIO I. V. D.

Halam reuerſus, ſummos artis ſalutaris honores obtinuit, defenſa d. XXV Sept. e. a. diſſertatione *de medico Directore motuum vitalium.* His honoribus diligentiae praemiis acceptis, in eo operam dedit, vt magis honores ornaret, quam, vt ab iis dignitatem repetendam putaret. Atque cum ſingulari diſcendi cupiditate eſſet, probeque ſciret, multum vtilitatis in externorum doctrina eſſe propoſitum, per Germaniam in Galliam contendit.

Anno clɔlɔccxvii. *Noribergam* venit, vbi, praeter alios egregios viros, inprimis GOTHOFREDO THOMASIO innotuit, qui etiam perluſtrandae bibliothecae elegantiſſimae locupletiſſimaeque copiam fecit. *Noribergae* cum eſſet, etiam ſaepe in vicinam academiam *Altorfinam* profectus eſt, vbi EVCHARIVM GOTTLIEB RINCKIVM, IOHANNEM IACOBVM BAIERVM, et LAVRENTIVM HEISTERVM, nunc Helmſtadienſem academiam ornantem, adiit.

Reliqua *Germania* perluſtrata, praeſertim *Argentoratum* contendit, vbi IOHANNEM SALTZMANNVM, Anatomes Profeſſorem, et Clariſſimum Chirurgum LE MAIRE, audiuit, ex quorum ſermonibus maximam vtilitatem percepiſſe gratus ſemper praedicauit.

Data quoque Platnero fuit occaſio viros celeberrimos IOHANNEM VALENTINVM SCHEIDIVM, IOHANNEM SIGISMVNDVM HENNINGERVM et IOHANNEM BOECLERVM adeundi, quorum nomina meritorum multorum magnitudo aeternitati commendauit.

Argentorato Lutetiam Pariſiorum diſceſſit, itinere per *Heluetiam*, *Sabaudiam*, et *Lugdunum* facto.

Cum *Lutetiam*, inprimis Anatomiae Chirurgiaeque cauſa, adiiſſet, harum artium doctores celeberrimos ſecutus eſt, eodemque conſilio noſocomia frequentauit, cadaueribusque ſecandis et adfuit, et manum admouit.

Cum Anatomiam multum ad cognoſcendas morborum cauſas facere putaret, in eo ſtudioſe elaborauit, vt hominis ſtructuram penitus cognoſceret, quod etiam in Chirurgia fecit, cuius diſcendae cauſa ſaepe manum vulneribus ipſe admouit, et Chirurgis clariſſimis comes in hoc negotio affuit. Vehementer enim

ſolebat illos medicos accuſare, qui nulla Chirurgiae cognitione ad artem faciendam accederent, quod eos, neque talibus morbis, quae manu tractantur, mederi, neque Chirurgis praeeſſe, poſſe, exiſtimaret.

Atque ita ſemper, et Chirurgiae operam dedit, et diſcipulos, vt eidem cognoſcendae ſtuderent, hortatus eſt.

Contigit autem ipſi, vel ſua natura propenſo, in Chirurgiae illa parte, quae oculorum morbis medendis occupata eſt, praeceptore IOH. THOMA WOOLHOVSENIO, V. C. vti, cuius etiam fidem dexteritatemque non ſolum ſcriptis ſuis commendauit, ſed ſermonibus fere quotidie praedicauit.

Atque tunc certe *Pariſiis* diutius commoratus eſſet, niſi fllii LEBERECHTI obitum lugentium parentum amori aliquid fuiſſet concedendum, qui eum domum reuocarent.

Belgio ita luſtrato, viros celeberrimos apud Batauos, vt HERMANNVM BOERHAVIVM, BERNARDVM ALBINVM, aliosque viros fama claros, adiit, poſtea vero patriam contendit, A. cIↃ IↃ CCXVIIII.

Etſi autem videret, in docenda arte medica plus ſuauitatis, quam in facienda, eſſe propoſitum, tamen, cum ad veri medici nomen etiam experientiam multum facere cognoſceret, vtrumque grato connubio coniunxit, ita, vt, et lubenter morbis medendis accederet, et legendis antiquorum monumentis multum tribueret; ſine vtroque enim neminem nomen medici, vel obtinere, vel cum dignitate tueri, poſſe exiſtimauit. Legendis medicorum veterum monumentis, vt HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI, quem praecipue in deliciis habuit, tempus, quod ab arte facienda relictum erat, tribuit. Non vero ſolum legendis medicorum praeceptis occupabatur, ſed interdum, quaſi requieſcendi, et reficiendi, animi cauſa, illa ingeniorum maximorum documenta, vt CICERONIS libros, LIVIVM, QVINTILIANVM, ARISTOPHANEM, PLVTARCHVM, et his ſimiles, non ſolum ſaepe legit, ſed et ſummam voluptatem ſuauitatemque, ex iisdem repetiit. Quamobrem nihil

tantopere doluit, quam ſibi poſt illa, negotiorum multitudine varietateque hanc ſuauitatem ademtam eſſe.

Poſtquam per aliquod tempus ad ſopiendum dolorem parentum, quem ex filii obitu perceperant, *Chemnicii* commoratus eſſet, tandem A. CIↃ IↃ CCXX. *Lipſiam* rediit, ibique ſub diuinis auſpiciis ſedem conſtituit.

Statim vero et facere artem, inprimis vero mederi oculorum morbis, coepit, quod vtrumque feliciſſimo euentu factum eſt.

Nam A. CIↃ IↃ CCXXI. munus Anatomiam Chirurgiamque extra ordinem docendi ipſi Regia indulgentia, quam ſemper vsque ad mortem expertus eſt, coluitque pie, demandatum eſt. Cuius adeundi cauſa Proluſionem *de Chirurgia artis medicae parente* edidit.

Poſt illa, cum Lipſiae praeclarum ornamentum, AVGVSTVS QVIRINVS RIVINVS, A. CIↃ IↃCCXXIIII. obiret, Regia indulgentia factum eſt, vt Phyſiologiae prouincia ipſi concederetur. Poſt decem annos. Anatomiae et Chirurgiae profeſſio ordinaria a Patre Patriae Clementiſſimo ipſi demandatur. Cum vero eo tempore academia Gottingenſis adornaretur, Platnero quoque munus medicinam primario loco docendi oblatum eſt, ſed, cum ſemper admirabilis et plane diuina Regis noſtri Clementiſſimi gratia erga eum fuiſſet, vix auſus eſt abitum ne cogitando quidem parare, praecipue cum Regia clementia reditibus augmentum nouum accederet. Huius etiam beneficii ad mortem vsque rationem habuit, et in eo elaborauit, vt animum deuotum demonſtraret. Quo factum, vt, cum ipſi a LOEWENDAHLIO, Comite, Imperatricis Ruſſorum ſtabuli magiſtro prouincia medici primarii deferretur, ſtatim recuſauerit.

Nouum Regiae clementiae experimentum fecit A. CIↃIↃCCXXXVII. cum POLYCARPVS GOTTLIEB SCHACHER viuere deſiiſſet, quo tempore Pathologiam docere iuſſus eſt.

Etſi autem tot ſingularis clementiae Regiae documenta, quae venerabundus agnouit, in eum exiſterent, tamen, mortuo AVGV-

STINO

STINO FRIDERICO WALTHERO, Viro Illuſtri, a. cIↃIↃccxxxxvii. Therapeutices Profeſſor, Ordinis medici Decanus et Aulae Conſiliarius appellatus eſt, quod nouum vltimumque benificium, quoad vixit, praedicauit.

In praecipua etiam felicitate habuit licentiam illam, coram Sereniſſimis Principibus Saxoniae, quos Deus diu ſeruet, dicendi. Cum enim, et patienter audierint, et poſtea ciuiliter, vt quidem illis pro diuina illorum indulgentia ſolemne eſt, exceperint, feliciſſimus ſibi viſus eſt.

Sed iam venio ad id, cuius dura memoria vulnus, quod vix coierat, recrudeſcere facit.

Iam enim mihi de morte Patris Optimi dicendum eſt, cuius, vtinam vita longior fuiſſet, vt in ea delineanda oratio non conſumenda eſſet. Satis autem cognoui inexorabilem factorum conſtantiam, qua, quae ſemel facta ſint, infecta fieri nequeunt, ita in eorum voluntate acquieſcendum eſt.

Mortuus eſt, dura proh dolor commemoratio! cum illo ipſo die ſatis bona valetudine eſſet, die xviiii Decembris a. cIↃIↃccxxxxvii. quo die, cum aegrotis nonnullis adfuiſſet mane, poſt meridiem autem chirurgiam docuiſſet, amicorumque coetum frequentaſſet, hora poſt meridiem ſexta ſemiuiuus domum rediit. Vt fulgur ex ſereno coelo emiſſum mortales non mouet, ſed concutit, non terret, ſed ſternit: ita Patris morientis aduentus nos exanimauit, ſtuporeque confudit. Vix enim domum cum redux factus eſſet, aſthmate confectus obiit. Cum enim tanta eius in me exſtiterint beneficia, quam graue vulnus mihi inflictum ſit hac morte, orationis tenuitas, quo minus poſſim enarrare, impedit. Exuuiae in aede Pauli compoſitae ſunt.

Ne autem longus in iſta tam triſti commemoratione ſim, pauca de matrimonio eius dicam.

A. cIↃIↃccxxi. primam ſibi vitae ſociam elegit CHRISTIANAM AVGVSTINAM, RVDOLPHI AVGVSTI LANGGVTHII, mercatoris clari, filiam, qua ſibi erepta, CHRISTIANAM SOPHIAM, viri Conſul-

ſultiſſimi, CHRISTOPHORI SCHREITERI, filiam vxorem duxit, ex qua, praeter eos, qui prima infantia extincti ſunt, me, ERNESTVM que, duasque filias, ſuſcepit, qui omnes eius obitum grauiter lugemus.

Vixit autem PLATNERVS annos LIII. et totidem fere, et quod excurrit, dies.

A prima aetate vsque ad ſenectutem honeſtati ſtuduit, nihilque magis, quam homines auaros, cupidos, ſordidosque, ſpreuit. In eo elaborans, vt Deo gratus, ciuibus carus, Reipublicae vtilis, eſſet. Honores nunquam petiit, ſed recuſauit, oſtentationis inimicus, modeſtiae operam dedit. Nunquam fauori, ſed veritati ſaepius, ceſſit, amicitiam ſancte ſeruauit. In gerendis magiſtratibus, vt ſummo illo academico, et adminiſtrandis reditibus academicis, plus vtilitati publicae proſpexit, quam ſuae.

Quod ad ſcripta attinet, praeter Diſſertationes, et Proluſiones, etiam *Inſtitutiones Chirurgiae* edidit, quas *Veneti*, vt recuderent, dignas iudicauerunt. Atque haec ſunt, quae digna mihi viſa commemoratione. Quod ſi eadem Tuae opinioni non reſponderint, vt humaniter huic noſtrae aetati condonare velis, maximopere rogo.



DISSER-

DISSERTATIO I.

DE FISTVLA LACRYMALI

D. XI. AVGVSTI cIↃ IↃ CCXXIIII.

PVBLICE PROPOSITA.

RESPONDENTE

M. HENRICO GODOFREDO HEYLAND.

PROOEMIVM.

Nulla forte externarum, quibus corpus noſtrum animale affici ſolet, laeſionum, tot et tantis implicita fuiſſe dubiis, et tam multas inter eos, qui rerum harum periti ſunt, lites excitaſſe videtur, quam theoria et curatio fiſtulae lacrymalis, morbi non adeo infrequentis, et valde moleſti, et qui ſaepe refractariae admodum naturae eſſe ſolet. Ortum vero ſine dubio traxerunt hae, quibus laborat, difficultates, praecipue a minus ſufficienti cognitione partium anatomica, harumque ſtructurae, et vſus, cui in oeconomia animali inſeruiunt; ad quae acceſſit, quod varia denominatio, morbis, natura ſua multum inter ſe diſcrepantibus, impoſita, illa tamen mox confuſa fuerit, vt indiſtincte omnibus vlceribus et laeſionibus, quae interſtitium, quod inter oculos et

nares positum est, occupant, idem nomen vulgo conuenire crederetur. Hactenus tamen viri celeberrimi, et inter hos omnium princeps, Excellentissimus HEISTERVS, Professor olim Altdorfinus, nunc Helmstadiensis, doctissimus, in eo desudarunt, vt ea, quae ad fistulam lacrymalem referuntur, clariora redderent, et distinctius explicarent, cui rei nouum, quod Anellianum celebratur inuentum, occasionem dedisse videtur. Et merito Celeberrimo HEISTERO acceptum ferre debemus, quod hanc, quae elegans admodum est et vtilis encheiresis, qua ductus lacrymales specillo explorantur, et liquore conueniente per syringam, ad hunc vsum accommodatam, irrorantur, omnium primus apud nos exposuerit, propriisque obseruationibus illustrauerit, id quod, tum in Dissertatione *de Noua methodo curandi fistulas lacrymales*, Altdorfii Noricorum Anno MDCCXV. ventilata, tum in *Chirurgia*, nunc altera vice edita, quae in omnium chirurgiae studiosorum manibus versatur, saltem versari debet, ab eo factum esse constat. Cum vero Celeberrimus et Doctissimus Ophthalmiater, IOH. THOMAS DE WOOLHOVSEN, modum excogitauerit, quo fistulae lacrymales verae, quae ab aliis completae dicuntur, in quibus ductus lacrymales, aliaeque vicinae partes, omnino erosae et destructae sunt, ita, vt Anelliana methodus in curatione minus efficax deprehendatur, persanari queant, rem non ingratam fore harum rerum peritis existimo, quando illam, quam a laudato WOOLHOVSIO accepi, methodum, quae reliquarum omnium, quae hactenus in vsu fuerunt, curationum, et certissima et constantissima est, nunc, pace et consensu eius, publici iuris facio, et illam chirurgorum vlteriori experientiae magis ac magis perficiendam commendo. Necesse etiam fore videtur, ut ea, quae ad harum rerum cognitionem spectant, paulo altius repetantur, et iis, ad quos non omnia, quae huc vsque euulgata sunt, scripta peruenerunt, distinctius exponantur. Illam tamen culpam, quam longissime a me remotam cupio, qua crambem bis coctam apposuisse videar, aut plagii, quod itidem procul esse volo, temere

ac-

accuſer. Quod ſi vero, neceſſitate adductus, ab aliis Celeberrimis Viris, quos de reliquo omnino veneror, diſſenſerim, illud certe non contradicendi, aut laceſſendi, ſed veritatis, ſtudio fieri, omnibus erit perſpicuum, vt ideo et mihi pollicear, eos, pro ſua humanitate, meum, quo ab iis ſecedo, diſſenſum eodem animo laturos, quo aliorum, qui eos anteceſſerunt, opiniones reliquerunt, cum et ego nihil humani a me alienum exiſtimem; Det Deus omnia feliciter!

§. I.

Cum itaque de fiſtula lacrymali agere inſtituimus, ſcopus quidem, quem nobis praefiximus, omnino poſtulare videtur, vt, quid per fiſtulam, in genere ſic dictam, intelligi debeat, ſtudioſius exponamus. Nomen Latinum, Graece dicitur σύριγξ, a cauitatibus iſtis oblongis, et induratis, quae in longum magis, quam in latum, ſerpunt, et aliquo modo cum arundinum, et aliis, proprie dictis, fiſtulis conueniunt, originem ſuam ſine dubio traxit, vnde et nonnulli, quibus Germanica ciuitate donatum vocabulum, die Fiſteln, minus placet, illud per Rohr-Schäden, explicuerunt. Eſt vero fiſtula vlcus manans, et ſordidum, quod ſinu vario et multiplici, profundo, calloque obducto, ab aliis diſtinguitur vlceribus. Hoc quidem extra omnem controuerſiam poſitum eſt, fiſtulam ad vlcerum genus referri, quae vlcera, quomodo a vulnere, abſceſſu, et aliis partium laeſionibus, differant, prolixe excutere huius loci non eſt. Id ſcire ſufficiat, vlcus eſſe ſolutionem continui, per corruptelam lentam et ſanioſam, qua non ſolum textura partium ſolidarum ſenſim ac ſenſim deſtruitur, et in mucoſum ſqualorem conuertitur, ſed et humorum craſis circa confinia, in ſaniem ichoroſam, acrem vt plurimum, ac rodentem, mutatur. Oriuntur vero vlcera maxime in partibus, quae minori ſanguinis crudioris affluxu gaudent, vnde membranae et glandulae frequentius iisdem ſubiiciuntur, quam muſculi, niſi, quod contuſiones, abſceſſus, imo et vulnera, negligentius et peruerſe tractata, etiam in partibus carnoſis, ali-

quando vlcera, et ex his ſucceſſu temporis ortas fiſtulas, relinquant.

§. II. Differentia, qua fiſtulae ab aliis vlceribus diſtinguuntur, non antiquitus ſolum, ſed et his noſtris temporibus, communi conſenſu, vix paucis exceptis, in ſinubus et callo poſita fuit. Per ſinus autem vlcerum cauitates denotamus, quae in profundum reptant, vt orificium vt plurimum anguſtius, interiora vero ampliora, deprehendantur, in quibus humores acres et ichoroſi diutius ſubſiſtere ſolent. Hoc vero ſinu, fiſtularum naturam nondum abſolui, ſed et callum ad eandem requiri, nunc propter ea, quae inferius exinde probare volumus, et quia a nonnullis in dubium vocari videtur, paulo rectius explicabimus. Eſt vero callus, qualis in fiſtulis conſpicitur, concretum quoddam praeternaturale, durum, membranaceum, aliquando ad cartilaginis naturam accedens, maximam partem doloris expers, quo ſuperficies ductuum ſinuoſorum in fiſtula induitur, quod vel a colluuie humorum acriorum fibras partium continuo vellicantium, vel a peruerſa chirurgorum tractatione, oriri ſolet (1)

§. III. Callum vero, vniuerſi fere, ab omni aetate, autores, qui de re chirurgica ſcripſerunt, fiſtulae tribuerunt, et eo ipſo illam ab alio vlcere et ſinu ſimplici, quem Graeci κόλπον appellarunt, (2) diſtinxerunt. HIPPOCRATES in libro de fiſtulis, illud modo

1) PAVLVS AEGINETA *L. VI. Cap. 77. pag. 204.* Edit. Baſ. 1538. ὁ δὲ τύλος νοσή τίς ἐστιν καὶ λευκὴ καὶ ἄνικμος σὰρξ, διὸ καὶ ἀνώδυνος, μήτε φλεβὸς μήτε νεύρου διατεινόντος εἰς αὐτήν.

2) GALENVS *Commentar. II. in Hippocratem* περὶ ἰητρείου *Text. 27. T. XII. Edit.* CHARTER. *pag. 64.* ἄχρι μὲν οὖν ἀναστόμωτον ἦ πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν τὸ ὕστο διακείμενον μόριον, ἀφεστάναι μὲν γὰρ αὐτὸ λέγεται, τὸ δὲ κατ' αὐτὸ πάθος ἀπόστημα καλεῖται. τομωθέντος δὲ αὐτοῦ κατά τι μέρος, ὡς ἐκκριθῆναι τὸ περιεχόμενον ὑγρὸν, οὐκέτι ἀποστήματος πάθος, ἀλλ' ἤδη κόλπος ὀνομάζεται, Et clarius *Libro de Tumoribus praeter naturam, Cap. IV. Tom. VII. Edit.* CHART. *pag. 316.* Ὅταν, ἀποδάρῃ τὰ σώματα τὸ πύον, ἀποσήσῃ τὲ καὶ διασήσῃ τῶν ὑποκειμένων τὰ περιέχοντα, κἄπειτα κενωθέντος αὐτοῦ καθ' ὁντινα ἂν τρόπον ἀδυνατήσει τὰ διασάντα τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν κατάστασιν, ὀνομάζεται τὸ πάθος κόλπος. & *de Methodo medendi, ad* GLAVCVM *L. II. Cap. X. T. X. p. 385.* Ὅταν δ' ἐπὶ πλέον ἀκόλλητον ᾖ τὸ δέρμα τοῖς ὑποκειμένοις σώμασι, κόλπον ὀνομάζουσι τὸ τοιοῦτο πάθος, quae verba GALENI κατὰ πόδα ſequitur AEGINETA *Lib. IV. Cap. 28.*

pag.

modo fiſtularum genus, quod ad ſedem oritur, et frequentiſſimum eſt, in animo habuit, hoc tamen, poſtquam, quomodo ligatura extirpandum ſit, edoctus eſt, aeris florem per ſeptem dies, (ἐν τάυτησι γὰρ μάλιϛα ὁ χιτὼν τῆς σύριγγος σήπεται) vt fiſtulae tunica, per quam callum deſignare voluit, conſumatur, applicandum ſuadet. (3) CELSVS, qui ſuam in his rebus diligentiam omnibus probauit, hanc fiſtulae dedit deſcriptionem: *Nonnunquam autem ex eiusmodi abſceſſibus, et aliis vlcerum generibus, fiſtulae oriuntur: id nomen eſt vlceri alto, anguſto, calloſo.* (4) Cum eo conuenit GALENVS, (5) qui prae aliis hoc egiſſe videtur, vt omnia morborum genera diſtincte proponeret, et ab aliis ſepararet, nec non, qui hunc in plurimis ſecutus eſt, PAVLVS AEGINETA. (6) AETIVS accurate ſatis fiſtulas ani ab vlceribus proſerpentibus et depaſcentibus, quae illas praegrediuntur, et quidem per callum, illis proprium, ſeparauit. (7) ORIBASIVS ſpondylii radicem ad callos fiſtularum tollendos commendat: (8) ita nullum ex veteribus artis medicae doctoribus inuenire licet, qui callum non pro eſſentiali fiſtulae proprietate habuerit.

§. IV. Inter Arabes principem quaſi locum tenet AVICENNA, (9) quem vnum ideo etiam ex omnibus nominamus. Hic, de vlceribus generatim locutus, fiſtulae mentionem facit his verbis: *Vlcus, quod profunditatem habet, non euacuatur, quin aut*

pag. 151. Ὅτε τὸ παρακείμενον δέρμα τοῖς ἕλκεσιν ἐπὶ πλέον ἀκόλλητον ᾖ τοῖς ὑποκειμένοις σώμασιν κόλπον τὸ τοιοῦτο πάθος ὀνομάζουσι.

3) Τὸ σήπειν HIPPOCRATI non ſaltem putrefactionem, ſed et concoctionem, et quamlibet conſumtionem, ſignificare, annotauit FOESIVS *Oeconom.* HIPPOCRATIS *pag. 562.*

4) CELSVS *L. V. Cap. 28.*

5) *In Definit. Medic. Def. 421. Tom. II. Edit.* CHART. *pag. 275.* σύριγξ ἐϛὶν ὑποφορὰ τυλώδης, ϛενὴ καὶ ἐπὶ μήκος. ἔϛι δ' ὅτε καὶ σκολιωμένη ἀναπύλωτον ἔχουσα τὸ σόμιον, δι' ὃ ὑγρὸν κατά τινας καιροὺς ἐκκρίνεται.

6) *L. IV. Cap. 4. pag. 152. Edit. Baſil.* ἡ σύριγξ κόλπος ἔϛιν τετυλωμένος, ἐξ ἀποσημάτων τὰ πολλὰ συνιϛάμενος ἐκ μεταφορᾶς τῶν καλαμίνων συρίγγων ὀνομασμένος. & *L. VI. Cap. 77. pag. 204.* σύριγξ κόλπος ἐϛὶ τετυλωμένος ποσῶς ἀνώδυνος, ἐν τοῖς πλείοσι τῶν μορίων συνιϛάμενος.

7) AETIVS *Tetrabiblo IV. Serm. II. Cap. 10. & 11. pag. 687. Edit.* STEPHAN. *Artis Medicae Scriptorum Principum.*

8) ORIBASIVS *Synopſeos L. VII. Cap. XXX. pag. 113. Edit.* STEPHAN.

9) *L. IV. Fen. IV. Tr. III. pag. 875.*

iam indurata ſit caro circumdans ipſum, et nominatur fiſtula, et eſt ſicut canna penetrans in membrum, aut non induratur aliquid, et nominatur abſconſio et cauerna. Ex iis autem, qui propius noſtra tempora attingunt, ſcriptoribus, omnibus notus eſt GVIDO a CAVLIACO, *Montpeſſulanus*, (10) qui, fiſtulam eſſe, contendit: *Vlcus profundum, cauèrnoſum, cum calloſa duritie a parte interiori, a qua procedit ut plurimum ſanies virulenta.* Cum his conueniunt verba BRVNI LONGOBVRGENSIS: (11) *Fiſtula eſt vlcus profundum, anguſtum, cum nodoſitate et duritie carnis ipſam circumdantis, et eſt ſicut canna, vel penna anſeris, penetrans in membrum.* Ipſa haec verba fere retinuerunt FRATER THEODORICVS, (12) LANFRANCVS MEDIOLANVS, (13) LEONHARDVS BERTAPALIA, (14) aliique. Adhuc IOH. TAGAVLTIVS, (15) qui vlcerum differentias et naturam ſtudioſe ſatis perſecutus eſt, audiri debet: *Cauernoſum vlcus appellant, cuius orificium ſtrictum eſt atque anguſtum, profunditas vero latior, & ſenſum effugiens, ſiue occulta, multosque anfractus habet, et cuniculos, ſiue vias hinc inde diſcurrentes, citra tamen calloſitatem et duritiem. Atque hoc vno vlcus cauernoſum a fiſtula diſſidet, quamuis promiſcua turba eiusmodi vlcera omnia cuniculoſa fiſtulas nominent, cum tamen fiſtula proprie vlcus ſit altum, anguſtum et calloſum* Galeno, Celſo, Aetio, et Paulo, *itaque, quod profundum & cavernoſum vlcus recentiores chirurgi appellant, id Latini appoſite ſinum, Græci* χολπὸν *nominant*, et alibi (16) *Calloſitas cum forma fiſtulari eſt differentia eſſentialis fiſtulæ;* vt nunc MARIANVM SANCTVM BAROLITANVM, (17) IACO-

10) *In Chirurgia*, quam *A. 1363.* primum euulgauit, olim in Academia Pariſienſi ſola haec digna iudicabatur, quae Medicinae et Chirurgiae ſtudioſis praelegeretur.

11) *In Chirurgia Magna L. I. Cap. XV.*

12) Epiſcopus Cervienſis Ordinis Praedicatorum *in Chirurgiae Lib. III Cap. I.*

13) *In Chirurgia Parua Cap. XII. & in Chirurgia Magna Cap. XII.*

14) *De vlceribus Cap. X,*

15) *Inſtitut. Chirurgicar. Lib. III. Cap. IV.*

16) *Eod. libro Cap. XVIII.*

17) *In Libello Quidditatiuo de modo examinandi Chirurgos.*

IACOBVM GVILLEMAEVM, (18) PAREVM, (19) THEVENINVM, (20) aliosque, taceamus. Ex multis recentiorum nominamus ſaltem VERDVCCIVM, (21) CLERICVM, (22) IOSEPHVM de la CHARRIERE, (23) et MVRALTVM; (24) reliquos omnes, ne nimis prolixi ſimus, ſilentio praetermittimus.

§. V. Illi itaque, qui, callum in fiſtulis requiri, negant, has aliis vlcerum generibus commiſcent, cum tamen omnino e re eſſe videatur, vt haec omnia bene diſcernantur, quia plane aliis remediis in fiſtularum, quae callo obſitae ſunt, curatione opus eſt, quam in cuiusuis vlceris ſimplicis, vel ſinuoſi, tractatione. Nec illo ſe excuſare poterunt, quod per fiſtulam ani vulgo quoduis vlcus, partes iſtas occupans, deſignari ſoleat, quia non ſolum haec vlcera raro ſine callo, quo ipſo iam ad fiſtulas referri debent, reperiuntur, tam propter loci naturam, et humorum, ex quibus is facile generatur, copioſum adfluxum, quam aegrorum intempeſtiuam verecundiam, qua non, niſi ſumma neceſſitate coacti, ad auxilia chirurgorum confugiunt. Praeterea etiam in rebus hiſce, quae, quoad indolem ſuam, adeo differunt, accuratior paulo diſtinctio, et nominum a longo tempore illis impoſitorum vſus, non adeo contemnendus videtur, et mallem ſane cum veteribus artis ſalutaris ſtatoribus, quam cum vulgo, loqui. Nec facile paulo exercitatior chirurgus, abſceſſum ſimplicem, vel in ano, vel in quacunque corporis parte, ortum, fiſtulae loco habebit, niſi, vel lucro, vel famae, inhians, aliis morbi grauitatem perſuadere velit, vt ſic, ſi omnia bene perpendimus, extra

18) IAC. GVILLEMEAV *Oeuvres de Chirurgie L. VIII. pag. 191.*

19) *Lib. XII. Cap. XXI. in* PETRI VFFENBACHII *Theſauro Chirurgiae pag. 292.*

20) *Oeuvres de* THEVENIN *pag. 82. et pag. 495.*

21) *Pathologie de Chirurgie Tom. I. Chap. I. Art. III. pag. 20. et Chap. XVII pag. 237.*

22) *Le* CLERC *Chirurgie complete Chap. XVIII. pag. 267.*

23) *Traité des Operations de Chirurgie Chap. XX. pag 149.*

24) Anleitung zur Wund-Artzney, *Cap XXXIV pag 44.* Handwürckungen der Wund-Artzney, *pag. 164.*

tra omne dubium ſit poſitum, fiſtulae naturam callo abſolui, et a reliquis vlceribus diſtingui.

§. VI. Hoc vero etiam in fiſtulae lacrymalis theoria, ad quam nunc proprius accedimus, obtinebit; neceſſitas vero poſtulare videtur, vt ſuccinctam iſtarum partium, quae hoc morbo afficiuntur, delineationem praemittamus. Equidem, nos hoc labore commode ſuperſedere poſſe, forte aliquis exiſtimauerit, cum illud iam prolixe et ſatis accurate ab aliis factum videamus; (25) attamen, quia ante aliquod tempus nouae de his partibus controuerſiae exortae fuerunt, non adeo incongruum erit, ſi et illas paucis attingimus, et in gratiam eorum, qui his autoribus deſtituuntur, breuem deſcriptionem praemittimus. Omnibus cognitum eſt, oculos humore aliquo indigere, quo, vt eorum motus facilior ſit, irroretur, ſecernitur hic ex glandula illa, quae ad orbitae limbum, in ſuperiori oculi parte, prope angulum externum ſita eſt, et ſub palpebra ſuperiori ductus aliquot excretorios emittit. Aliquid etiam conferre videntur copioſae iſtae minores glandulae, ſebaceae dictae, quas HENRICVS MEIBOMIVS primus detexit et deſcripſit, a quo et Meibomianae ab anatomicis vocari ſolent: (26) Palpebrarum extremitatibus adiacent illae, vt ex iisdem humor facile exprimatur, qui tamen in cadaueribus ſpiſſior obſeruatur, quam in viuis, et nuper admodum demortuis. Nonnulli his organis addiderunt tertiam glandulam, quam

25) V. *la Nouvelle Methode de guerir les fiſtules lacrymales par* M. ANEL, *a Turin 1713. pag.* 27. quem ſecutus eſt Celeberr. HEISTERVS *in Diſſert. c. Cap. II. pag. 10.* MORGAGNI *Aduerſaria Anatomica I. p. 29.* et, quae nuper acceſſit IOH. BAPTISTAE BIANCHI *Diſſertatio Epiſtolaris de ductuum lacrymalium nouorum anatome, vſibus, morbis, ac curationibus* ad IOSEPHVM LANZONI, Prof. et Medicum Ferrarienſem. Vide hanc in MANGETI *Theatro Anatomico T. II. L. IV. Cap. III. pag. 351.* et prolixam in hanc BIANCHI *Diſſertationem cenſuram in* MORGAGNI *Aduerſariis Anatom. VI. Animadverſ. XXXIII. p. 40. ſeqq.*

26) Vid. HENRICI MEIBOMII *Epiſtolam ad* IOELEM LANGELOTTVM *de Vaſis Palpebrarum nouis, Helmſtadii, 1666.* editam. Obiter notamus, has glandulas frequentius, in primis poſt variolarum decurſum, refractariis valde exulcerationibus tentari, vt limbi palpebrarum rubeant, doleant non raro, et perpetua ſanie vlceroſa madeant.

quam lacrymalem minorem appellauerunt, propter minorem eius molem, qua in maiori, siue interno, oculi cantho conspicua est. Sed recentiores obseruarunt, eandem molem potius carnosam esse, & in homine alii, quam secretionis, negotio inseruire; vt mox ostendemus. Isti autem humores, quorum magna portio calore naturali dissipari videtur, vt rursus absorbeantur, natura prouida viam ad nares patulam construxit, subtilem admodum et artificiosam, quae propria fistulae lacrymalis sedes est. Conspiciuntur ad extrema tarsi vtriusque palpebrarum, prope angulum maiorem oculi, exilia duo foraminula, quorum principia subtili admodum, ad cartilaginis naturam accedente, annulo cinguntur, sunt vero orificia ductuum minorum, qui ex vtraque palpebrarum, ad angulum internum oculi, nares versus, concurrunt, et ibi in vnum truncum coeunt. Vocantur vero hi tenues admodum canales vulgo ductus lacrymales, ab aliis, propter figuram, quam referunt, cornua limacum, ab aliis, meatus lacrymales, et ab aliis denique, canales lacrymales laterales, parum tamen ad rem facere videtur, quo nomine aliquis istos insignire velit. Quando in vnum coaluerunt canalem, qui deinde amplior fit, & saccum lacrymalem constituit, angulum cum ductu nasali describunt, qui acutus magis, in situ suo naturali, quam rectus, deprehenditur. Saccus enim lacrymalis, qui ab ANELLO infundibulum vocatur, ad interiora narium, perpendiculari fere meatu, descendit, ita tamen, vt sensim ac sensim angustior fiat, donec circa ossa narium, quae ab anatomicis turbinata appellantur, inseritur.

§. VII. Notari adhuc meretur, humorem huncce, qui, si copiosior fit, limites palpebrarum transcendit, et per genas, lacrymarum nomine, delabitur, in motu suo per has vias variis adiuuari organis minutissimis. In hominibus enim, nam in brutis rem se aliter habere constat, ista caruncula, quae inter orificia ductuum lacrymalium posita est, et, quam alii falso glandulam esse crediderunt, nulli alii vsui inseruit, quam, vt conica sua, qua

gaudet, figura, fluidum illud ad ista orificia, semper hiantia, depellat; cui vsui etiam pellicula carnosa, quae semilunaris figurae est, et ante modo dictam carunculam in albo oculi conspicitur, destinata videtur. Ipsarum etiam palpebrarum, perpetuo nictantium, motus, multum ad hunc fluidi lacrymalis descensum confert: De sacco lacrymali vero notandum, quod eius fibrae cum pericranio & tunica adnata arcte cohaereant, vt ab his ortus videatur, quare etiam hae partes ex mutuo hoc consensu facile afficiuntur, vt sic ex ophthalmiis viae lacrymales laedantur, quemadmodum et harum inflammationes in oculis exquisitum doloris sensum excitant. Cl. BIANCHI quidem noua quaedam ligamenta, quibus saccus in situ suo naturali contineatur, sibi inueniisse visus est, Celeberrimus tamen MORGAGNI monet, has non nisi periostii propagines esse, quae ideo peculiarem denominationem haud mereantur. Saccus vero, qui harum partium caurum ampliſſimus est, tandem in canalem angustiorem desinit, qui ductus nasalis vocatur, quia liquidum lacrymale ad nares vehit. De huius vero structura nouae lites inter supra laudatos autores actae fuerunt. BIANCHI enim vult, hunc canalem in medio suo decursu angustari, et denuo iuxta suam in nares insertionem ampliari, vt sinum quendam, et peluim quasi, constituat. Prope eius extrema valuulam quoque semilunarem se deprehendisse contendit, quae quidem ductum illum totum non occludat, cum vnica saltem sit, et eius magnitudo cauitati illi canalis nasalis rursus dilatati non exacte respondeat, qua ex causa etiam stilum per nares immissum facile ad superiora adigi, et reliqua: quae figuris aeneis illustrat et lectorum oculis sistit: MORGAGNI vero haec omnia, haud immerito, in dubium vocat. Illam enim nouam, quam BIANCHI canali nasali tribuit, expansionem, prorsus negat, quare nec facile stilus per inferiora, in statu quidem naturali, vrgeri queat. De valuula vero monet, se illam nunquam inuenisse, quamuis in quibusdam cadaueribus, prope orificium inferius ductus nasalis, minorem aliquam membranarum,

rum, quibus nares veſtiuntur, duplicaturam offenderit, quae tamen pro vera valuula non ſit habenda: nobis tempus, et frequentior cadauerum diſſectorum copia maiorem certitudinem promittit, qui et, haec BIANCHI inuenta nos nunquam vidiſſe, ingenue fatemur. Quicquid autem horum ſit; ductus naſalis ſe ſe immergit in canalem oſſeum, in quouis cranio facile conſpicuum, qui in animalibus brutis, quibus facies oblonga eſt, et in roſtrum deſinit, etiam in maiorem longitudinem porrigitur. Componitur vero ex oſſe vnguis, ſiue lacrymali dicto, et ex oſſe maxillae ſuperioris, cui a principio totus inſculptus deprehenditur. Magna tamen ductus naſalis, et quidem inferior eius portio, ſola interiori narium tunica contegitur, ſuperior vero et exterior, non, niſi communibus faciei integumentis, cute et pinguedine, occultantur, quibus fibrae quaedam obtingunt, quae a muſculo orbiculari oculi, qui iuxta hunc locum tendinoſus fit, procedunt. Alia, de quibus copioſe ſatis et ſubtiliter inter hos anatomicos diſputatum eſt, nunc, quia noſtro ſcopo, et vſui chirurgico, minus inſeruire videntur, ſtudio praetermittimus.

§. VIII. Has vero partes, veteribus quidem cognitas, et a pluribus etiam recentiorum deſcriptas, fuiſſe, omni prorſus dubio caret, quamuis, quod ſaepius fieri dolemus, cognitio haec anatomica, per longum tempus inutilis, et chirurgicae curationi fiſtularum, aliorumque morborum, quibus hae partes tentantur, parum lucis, ante STAHLII et ANELLI inuentum, attulerit. Locus equidem, quem MORGAGNI (27) ex ARISTOTELE allegat, obſcure de cognitione harum viarum teſtatur. Luculentiora ſunt verba GALENI, (28)

27) MORGAGNI *Aduerſ. Anatom. VI. Animaduerſ. 65. p. 83.* allegat *Ariſtotelem de Generat. Animal. L. II. C. V.* Foecundarum mulierum probationem fieri etiam illitu, vt colores oculis impoſiti ſaliuam colorent oris, nam, niſi haec ita fiant, meatus corporis, per quos excrementum decidit, confuſos, obſeptos et occoecatos, eſſe, ſignificantur. Verba haec loco quidem citato haud reperiuntur.

28) GALENVS *de vſu partium L. X. Cap. XI. T. IV. Edit. Chart. p. 545.* καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τὰ κατ' αὐτὰ τὰ βλέφαρα λεπτὰ πάνυ τρήματα μικρὰν ἐξωτέρω τῆ μεγάλη κανθῆ. περαίνοντα γὰρ ἄχρι τῆς ῥινὸς

et VEGETII, (29) quos earum ſtructura minime latuit. FALLOPIVS (30) vero longe accuratius earum texturam delineauit, nec non eius diſcipulus, IOH. BAPTISTA CARCANVS: (31) Alios, quos ab autoribus hiſce paſſim allegatos legimus, nunc mittimus, 32) Celeberrimus vero STAHLIVS primus fuiſſe videtur, qui, harum partium ſtructuram meditatus, ex cognitione anatomica viarum lacrymalium morbis praeſidium, et nouam curandi methodum, inuenire ſtuduit.(33) Chordam enim chelyos, cuius apicem cera imbuerat, per punctum lacrymale immiſit, quamuis, id quod

βινὸς καὶ ὑγροτητα λεπτὴν ἐν μέρει διδωσί τε καὶ λαμβάνει.

29) VEGETIVS *in Mulo-Medicina L. II. Cap. XXI. pag. 63.* Aliqui Autores dixerunt: ſi dexter oculus ſuffuſionem acceperit, vel album incurrerit, dextram partem naris, ſi ſiniſter, ſiniſtram, diligenter inſpiciet. In ipſa calloſitate narium foramina ſubtilia inueniet, quibus tenuis inſerenda eſt fiſtula, per quam ille, qui curare debet, os plenum vino inſufflet, vt merum per foramen illud penetret, quo facto, oculus incipiet lacrymare.

30) FALLOPIVS *Obſeruat. Anatom. pag. 426.* Anatomici praetermiſere duo foramina parua, in angulo interno poſita, quorum vnum eſt in palpebra ſuperiori, alterum in inferiori, in viuentibus adhuc hominibus, ſi quis inſpicere voluerit, apparentia. Quae foramina habent meatus, qui ſub caruncula ἐγκανθίδος vel ἐπικανθίδος dicta vniuntur in quendam communem ſinum, in narium cauitatem deſinentem, per canalem proprium in oſſe ſquamoſo, quod internum angulum occupat, inſculptum. Per hos meatus maior lacrymarum pars, vt ego in fletibus mulierum obſeruaui, ad oculos emanat, ipſorumque ſinus aliquando exulceratur, fitque, collecta ſanie, ſpecies illa vlceris, quae fiſtula lacrymalis dicta eſt. Haec ſanies, ſi, dum collecta eſt, exprimatur ſinus, ita manifeſte excernitur per meatus dictos in internum oculorum angulum, vt nihil manifeſtius conſpici poſſit. Confer. *Ejusd. Tractat. de Vulneribus peculiaribus Cap. VI. p. 243.*

31) V. MORGAGNI l. c. p. 82. CARCANI *Opuſcula* ualde rara eſſe indicat.

32) v. g. BERENGARIVS, cuius verba vide *in* MORGAGNI *Aduerſ. I. §. 22. p. 27.* HIERON. FABRICIVS AB AQVAPENDENTE *in Oculi Hiſtoria P. II. Cap. XIII. pag. 197. Edit. Lipſ. Eiusd. Obſeruat. Chirurg. pag. 18. Edit. Patau. de anno 1647. et Edit. Lugdunenſ. nou. p. 434.* NICOLAVS STENO *in Obſeruatt. Anatomicis de glandulis oculorum nouis. p. 91.* nec ſilentio praetereundus eſt HENRICVS MEIBOMIVS, qui *in Epiſtola ſupra dicta, et in Diſſertat. de fluxu humorum ad oculos naturali ac praeternaturali, huiusque curatione,* has partes accurate deſcripſit, et his, et aliis, autorum locis illuſtrauit.

33) *In Programmate de Fiſtula lacrymali, Diſſertationi de Affectibus oculorum annexo et Anno 1702.* edito.

quod et HEISTERVS et MORGAGNI (34) notarunt, illud non ideo egerit, vt infarctuum horum ductum tolleret, ſed, vt inciſionem iuxta chordae decurſum dirigeret. Hanc tamen methodum vlterius perfecit DOMINICVS ANELLVS, Chirurgus Gallus, qui et ideo multam laudem meretur. De eius vero inuentis, et nouis, quibus vſus eſt, inſtrumentis, mox vberior dicendi erit occaſio.

§. IX. Fiſtula vero lacrymalis, cuius hic ſedes eſt, ita conſiderari debet, vt ab aliis affectibus, quibus ductus lacrymales affliguntur, qui tamen proprie ad fiſtulam nondum referri debent, caute diſtinguatur. Quod vero de fiſtula, generatim dicta, praemiſimus, nullum vlcus ad fiſtularum genus referri debere, niſi iam callo induratum ſit, et hic de fiſtula lacrymali obtinebit locum. Hactenus quidem, quod negandum non eſt, omnes fere valetudines, quae meatus lacrymales obſident, promiſcue fiſtulae fuerunt appellatae, quas, vt confuſioni aliquam medelam afferrent, in completas, et minus completas, aliasque ſpecies, rurſus diuiſerunt; naturam vero fiſtulae lacrymalis in exulceratione horum ductuum, in primis vero ſacci lacrymalis, poſuerunt. Nobis vero eſt fiſtula lacrymalis, vlcus manans, ſinuoſum, et calloſum, quod canales lacrymales, et ſic dictum ſaccum, vna cum partibus, quae his proxime adiacent, occupat. Sic enim diſtinguitur a ſimplici, quae vtplurimum fiſtulae principium eſt, obſtructione, et leui exulceratione, ſaepius dictarum viarum lacrymalium, quam alii iam fiſtulis adnumerare ſolent; nec non ab anchilope, qui tumorem deſignat quemlibet, inter oculum et nares conſpicuum, qui pro diuerſa, quam in ſe continet, materia, vel ad melicerides, vel atheromata, vel ſteatomata, refertur. (35)

34) HEISTERVS *in Diſſert. ſ. c. p. 7. et 8.* MORGAGNI *Adu. Anatom. VI. p. 82.*

35) AETIVS *Tetrabibl. II. Serm. III. Cap. 335.* Circa praedictum locum, vbi aegilops fit, colligitur etiam lentus humor, melleus ac pultaceus, plerumque in tunica contentus, dolorem non inducens, paulatimque augeſcens.

Aliquando hic diutius durat, aliquando vero mox, ſuperueniente inflammatione, rumpitur, et pus euacuatur. Eſt vero et aliud tumoris genus, quod his locis obſeruatur, et cum illo, quoad externam figuram, proxime conuenit, conſiſtit in expanſione praeternaturali ſacci lacrymalis, vel ex humore viſcoſo ſtagnante, vel ex aere contento, qui, quando tumor comprimitur, ſaepe ex punctis lacrymalibus per ſibilum exploditur. (36) Aliquando etiam paralyſis et atonia fibrarum huius ſacci, quacunque ex cauſa orta, eiusmodi tumorem et infarctum producere ſolet, qui commode hernia ſacci lacrymalis appellari poteſt, quanquam et hoc tumoris genus a pleriſque ad anchilopes referri ſolet. Ægilops 37) eſt anchilops, exteriora verſus apertus, nondum

36) ANELLVS ex hac obſtructione ſacci lacrymalis nouum genus morbi, nouamque ex inuentione gloriam, ſibi finxit. Dedit eius deſcriptionem in peculiari ſcripto, *Pariſiis anno 1716.* edito, cui titulus: *Diſſertation ſur la nouvelle decouverte de l'hydropiſie du conduit lacrymal, ſur les cauſes qui la produiſent, et ſur les avantages que l' on retirera de cette nouvelle decouverte, preſentée à l' Academie Royale des Sciences de Paris le 26. Sept. l' an 1715.* Libellum Duci Aurelianenſi, Gallias Regenti, dicauit. Hic vero hydrops, cum ſpecies obſtructionis ſit, id quod ipſe *pag. 16.* fateri videtur, quando obſeruat, in hydrope tali vtplurimum ductum naſalem eſſe oppiſatum, peculiarem denominationem, quae praeter neceſſitatem multiplicari non debet, vix meretur. Illum vero oculi affectum, quem *pag. 9.* recenſet, admodum rarum eſſe, fatemur. In foemina tumor eiuſmodi conſpiciebatur, qui, digito compreſſus, ſerum limpidum per nares ſtillabat; tumor etiam mox prorſus euaneſcebat, breui tamen tempore ſerum hoc aquoſum rurſus colligebatur, et tumor de nouo apparebat. Puncta vero lacrymalia in tarſis palpebrarum nulla plane conſpiciebantur, vt ita mirum ſit, per quas vias humor talis ad ſaccum lacrymalem ferri potuerit, cum de reliquo oculi huius foeminae nec plorauerint, nec alio vitio afflicti fuerint. Communicauit hiſtoriam morbi cum Celeberr. DV VERNAY, mirum tamen videri poſſet, cur non ipſam aegram huius ſagaciſſimi viri oculis exhibuerit. Nec vllam, an hic affectus curatus fuerit, mentionem facit ANELLVS.

37) Αἰγίλωψ uulgo deriuatur ab αἴξ αἰγὸς capra, et ὤψ oculus, quia, vt nonnulli credunt, caprae frequentiorem exulcerationem anguli interni oculorum patiuntur. confer HARDVINI notas ad PLINII *Hiſtoriam Naturalem L. XX. Cap. 56. T. II. p. 212. Edit. Nouiſſ.* Alii vero nomen deducunt ab herba quadam, quae itidem αἰγίλωψ dicitur, et pro praeſentiſſimo contra hunc morbum remedio habetur. Vide DIOSCORIDEM *L. IV. Cap. 39.* GALENVM *de Remediis parabilibus L. II. Cap. IV.*

Edit.

dum tamen callo obductus, hic vero, ſi vias lacrymales ſimul affligit, et deſtruit, commode, vt videtur, exulceratio externa viarum lacrymalium appellari poteſt, quae proximum verae fiſtulae conſtituit principium. Accidere tamen poteſt, vt ſub reliqua

Edit. CHART. *T. X. pag. 610. et* PLINII *Hiſtor. Natural. L. XXV. Cap. 13. T. II. pag 382.* Hanc vero denominationem variis herbarum generibus conuenire, idem PLINIVS teſtatur. Mox enim *αἰγίλωπα* ad arbores glandiferas, *L. XVI. Cap. VI. et VIII. Tom. II. pag. 4. et 7.* confer notas HARDVINI, mox ad feſtucas, quae hordeum enecant, *L. XVIII. Cap. XVII. Tom. II. pag. 121.* confer. GALENVS *de Alimentorum facultatibus L. I. Cap. 37. T. VI. pag. 333.* mox vero ad bulborum genera refert, *Lib. XIX. Cap. V. et L. XXI. Cap. 17.* confer. de primo et altero genere *πίναξ* BAVHINI *pag. 10. et 420.* HESYCHIVS illam deſcribit, quod ſit *πόα τὶς ἐμφερὴς σαχύϊ* herba ſimilis ſpicæ, id quod de feſtuca intelligi debet. Dubium itaque eſt, cui prae reliquis harum herbarum virtus curandi *αἰγίλωπας* ſit tribuenda, quanquam ex DIOSCORIDE *l. c.* colligere poſſumus, illam feſtucae propriam eſſe debere. Veritati autem magis conſentaneum videtur, herbam, quae ſpecificam in curando aliquo morbo virtutem poſſidet, huius nomine appellari, quam, vt morbus a remedio nomen adſciſcat. Melius vero *τὸ αἰγίλωψ* deriuari poſſe videtur a vocabulo *αἰγὶς*. Hoc enim non ſolum proprie pellem caprinam, nec non rete quoddam contextum, vel ſcutum, pelle caprina obductum, vel etiam *τὸ ἐγκάρδιον*, ſiue cor, et medullae interiori proximum in arbore, vide PLINIVM *Lib. XVI. Cap, 39. p. 32. Tom. II.* qui haec ex THEOPHRASTI *Hiſtoria Herbarum* hauſit, denotat, ſed et nomen eſt peculiaris in oculo morbi. HESYCHIVS in voce *αἰγὶς*; *αἰγὶς ὀξεῖα πνοὴ, καὶ ἣν λίβυσσαι φέρουσι δοράν, καὶ ἡ ἀπόστιλψις τῶν ὀμμάτων.* *αἰγὶς* eſt acer halitus, & quam Libyae ferunt pellis, et ſplendor oculorum. HIPPOCRATES *Coac. Praenot. No. 219. Tom. VIII. pag. 864.* *τὴν αἰγίδα* iungit *ταῖς λήμαις* ſordibus: *Καὶ τὸ τὰς ὀψίας πυκνὰ διαρβίπτειν, ἢ λήμια μικρὰ περὶ αὐτὰς, ἢ αἰγίδα λιπτὴν ἴσχων πονηρόν.* *Et L. II. προῤῥητικῶν C. XII. Tit. VIII. p. 821.* *αἰγίδας* reliquis pupillae vitiis adnumerat *ἀχλύες καὶ νεφέλαι, καὶ αἰγίδες ἐκλεαίνουσαί τε, καὶ ἀφανίζουσαι ἢν μὴ τρῶμάτι ἐπιγένηται ἐν τῷτῳ τῷ χωρίῳ, ἢ τρόσθεν τύχη ἕλκος ἔχων, ἐν τῷ, χωρίῳ τῷτῳ ἢ πτερύγιον.* Vid. plura in FOESII *Oeconomia* HIPPOCR. *pag. 8.* Eſt itaque *αἰγὶς* humor lentus et albicans, pupillae, ſiue corneae, inhaerens, qui ex ſordibus in ophthalmiis, oculi vlcerationibus, et aliquando ex collyriis puluerulentis, coaleſcit, et corneae inducitur, vnde apud AETIVM collyrium quoddam contra hunc affectum dicitur *αἰγίδιον*. Vide GORRAEI *Defin. Medicas.* Forte idem morbus eſt, quem GALENVS *ἀγλίην* nominat, *in Explicatione Linguarum* HIPPOCRATIS *T. I. p. 81.* et ex HIPPOCRATE allegat, de quo vide FOESIVM *l. c.* qui locum GALENI corruptum putat. Sufficit, nobis tale concretum pituitoſum, ſeu *τὴν ἀγίδα*, quae quandoque calida ſimplici eluitur, vel calamo acciſo, (ein Zahnſtocher) vel quocunque inſtrumento raſorio, tollitur,

liqua ἀποστάσει anchilopis, ſaccus lacrymalis intactus relinquatur, vt ſic talis abſceſſus, vt et anchilops, morbis, qui vias lacrymales obſident, plane non adnumerari debeant. Aliquam etiam conuenientiam cum iis habent alii affectus, qui et ideo ab imperitis facile confunduntur. Oculus enim variis ex cauſis lacrymis ſtillat. Nonnunquam nimia moles carunculae lacrymalis, orificia ductuum lacrymalium obtegit, et lacrymas ab iis prohibet, quem affectum veteres *Encanthidem* appellarunt. (38) Diminutio vero praeter naturam *Rhoeas* dicitur. Caruncula vero, ſi vlcere maligno abſumitur, *Peribroſis* morbo nomen eſt. *Epinyctis* totum oculi canthum arrodit, (39) et quandoque in abſceſſum, qui *vermicularis*, propter tortuoſam eius exulcerationem dicitur, abire ſolet; vt alias laeſiones, quibus et palpebrae ſubiiciuntur, nunc non attingamus.

§. X. Quod vero a deſcriptione fiſtulae lacrymalis, hactenus a nonnullis recepta, ſeceſſum fecerimus, multa permouerunt. Non ſolum enim obſtructio & excoriatio ſacci lacrymalis nihil prorſus cum fiſtulae natura commune habent, cum omnes proprietates, quae generi competunt, etiam ſpeciebus tribui debere, apud Philoſophos ſit res extra dubium poſita. Nec facile quisquam infarctum, vel exulcerationem, aliorum meatuum, qualis oeſophagus, tractus inteſtinorum, vreteres, vrethra, aliique, in corpore animali exiſtunt, fiſtulam nominabit. Veteres autem, quan-

tur, non facilius oriri, quam in oculis eorum, qui fiſtula lacrymali laborant. Tunica cornea enim, quando puncta lacrymalia materiam ſanioſam & purulentam perpetuo fundunt, inprimis ſi haec acris ſit, facile tegitur, afficitur, et quandoque eius ſuperficies excoriantur. Vnde a veritate non prorſus alienum eſſe videtur, αἰγίλωπα nomen ab effectu, nempe ἀπὸ τῆς αἰγίδος duxiſſe, vt ſic αἰγίλωψ oculus ſit, qui materia viſcoſa ſcatet, et obtegitur, id quod in affectibus viarum lacrymalium, et aegilope, latius accepto vocabulo, fieri, nemini eſt ignotum.

38) PAVLVS AEGINETA *Lib. III. Cap. 22. pag. 74.* Η ἐγκανθὶς ὑπεράυξησίς ἐστιν τῶ φυσικῶ κατὰ τὸν μέγαν κανθὸν σαρκίου· ἡ δὲ ῥυὰς ἂν τούτου μείωσις. GALENVS *in Defin. Medic.* ἐγκανθίς ἐστιν ὑπεροχὴ σαρκὸς ἐν τῶ μεγάλω κανθῶ ῥοιάς ἐστι τῆς ἐγκανθίου σαρκὸς διαπάνησις ἢ τὸ δάκρυον ἀποῤῥεῖ.

39) Vid. PLINII *Hiſtor. Nat. Lib. XX. Cap. IX. T. II. pag.* 200, et paſſim.

quando minus accurati in his affectibus diſtinguendis fuerunt, illis ideo condonandum videtur, quod multi eorum ſtructuram viarum lacrymarum ignorarunt, vt ſic in chirurgia aegilopis, canales, et ſaccum lacrymalem loco ſinus indurati ipſius fiſtulae, quam ſibi imaginabantur, habuerint, quanquam etiam plures, et inter hos PAVLVS ÆGINETA, (40) GALENVS, (41) EIVSDEM liber ſuppoſititius de oculis, (42) IESV HALI, (43) GVIDO a CAVLIACO, (44) ſimplicem abſceſſum a vera fiſtula lacrymali ſedulo diſtinguant. Diuerſam etiam horum affectuum naturam diuerſam medelam poſtulare, mox docebimus, propter quam diſtinctio eorundem valde neceſſaria eſt.

§. XI. Hi vero affectus, qui, vt ſupra oſtendimus, gradu fere inter ſe differunt, variis ex cauſis oriri ſolent. Homines, qui depreſſiori, circa radicem, gaudent naſo, etiam frequentius his incommodis vexantur, quam reliqui. Aeſtus ſolaris, ſi facies huic magis exponitur, quod ruricolis, et qui iter faciunt, ſolenne eſt, ſaepius viis lacrymalibus vim intuliſſe, harumque inflammationem excitaſſe, obſeruatus eſt. Sic etiam aliae laeſiones externae, vulnera, vel ictus, his partibus inflicti, nec non inflam-

40) *Lib. III. Cap. 22. p. 73.* ὁ μὲν ἀιγίλωψ ἀπόσημά ἐστιν μεταξὺ τοῦ μεγάλου κανθοῦ καὶ τῆς ῥινὸς, ῥυγνούμενόν τε καὶ οἱ ἀμεληθὲν συρυγγούμενον ἕως ὀστέου. πρὶν ἢ δὲ ὡς ἕλκος ἐκραγῆ τὸ ἀπόσημα, ἀγχίλωψ (falſo legitur ἀιγίλωψ) λέγεται.

41) Eadem verba leguntur in GALENO *de remediis parabilibus L. II. T. II. pag 611.*

42) *Cap. XX. Tom. X. pag. 513.* Aegilops eſt vlcus inter oculos et nares, quod ſi fuerit neglectum, fit ex eo fiſtula putrefaciens.

43) *Tractat. de Oculis Cap. XXXII.* Garab exit inter lacrymalem maiorem, et multoties aperitur a parte verſus oculum, et eſt difficilis curationis, propter ſubtilitatem carnoſitatis, quae eſt in eo, et multoties aperitur iuxta lacrymalem, et forte aperitur verſus de foramine, quod eſt inter eum et oculum, et exit ex eo ſanies fœtida, et forte aperitur ſub cute vnius palpebræ, et ambarum, et corrumpit cartilagines earum, et quando imprimitur palpebrae, defluit ſanies, et ſi negligatur, fit fiſtula, et corrumpit os.

44) *Tract. IV. Doctrina II Cap. II.* Fiſtula in lacrymali fit vtplurimum ex apoſtemate paruo dicto garab. Et paulo poſt: ſignificatur fiſtula ex apoſtemate, quod praeceſſit, et ex duritie, et forma calloſa et profunda.

flammationes eryſipelatodes, quae totam faciem aliquando occupant, texturam illarum viarum turbare poſſunt, et ſolent, vt vitioſam, quam infantes a natura quandoque ſortiuntur, ſtructuram taceamus. In naribus polypi generantur, ozaena, aliaque vlcera, hinc inde ſerpentia, ductum naſalem rodunt, vel ſanie vlceroſa implent, et ſerum lacrymale exitu prohibent, quod in his partibus ſtagnans, facile partes arrodit, corrumpit et exulcerationes relinquit, aliquando etiam mucus narium ſpiſſior obſtructionis cauſa eſt. Iis etiam, qui lue venerea, vel ſcorbuto, aegri ſunt, propter humorum, in vniuerſo corpore, acrimoniam, facilis via panditur ad horum meatuum vlcera et deſtructionem. Omnium tamen frequenitſſime hæc vitia ab ophthalmia et variolis relinquuntur. Variolae enim horum meatuum orificia, vel in naſo, vel in palpebris, vel mole ſua, aut ſanie, claudunt, et ſeri excretionem conſuetam impediunt. Cum oculo vero ductus lacrymales magnum ſemper habent commercium, quia proxime, non ſolum cum perioſtio, ſed et ipſa tunica adnata, cohaerent, vt ſic in ophthalmiis, cephalalgiis, et hemicraniis, ex conſenſu facile patiantur. Lacrymae etiam ſaepe in ophthalmia tam acres deprehenduntur, vt genas, per quas defluunt, arrodant, quare nec mirum eſt, ſi viae lacrymales ex iis, ad nares delapſis, afficiuntur. Hoc etiam praetermitti non debet, obſtructionem, vt ex iam dictis patet, occaſionem praebere exulcerationi, mox hanc principium eſſe obſtructionis, et impediti lacrymarum decurſus. Sic etiam leuior excoriatio tunicae internae ſacci lacrymalis, quando eius parietes comprimuntur et coaleſcunt, lacrymiſque affluentibus tranſitum denegant, veram fiſtulam parere poteſt, quae ex his affectibus leuioribus, quando ii negliguntur, ortum capeſſit. Sanies enim vlceroſa ſtagnans canales hoſce, et prae reliquis ſaccum lacrymalem, et quod proxime ſubiacet, perioſtium, erodit, et prorſus deſtruit, nouos etiam ſinus format, qui, ſuccedente tempore, callo inueſtiuntur, et hic morbus ſaltem fiſtula

ſtula appellari meretur. Quandoque hi ſinus longius procedunt, et maxillam ſuperiorem, vel ipſam orbitam, occupant, variaque noua incommoda, inter quae abſceſſus orbitae maximam attentionem meretur, cauſantur. Nouum etiam vitium, et noua in cura difficultas, fiſtulae accedit, quando humores cauſtici oſſa exedunt, id quod, quia, quod ſubeſt, os vnguis valde rarum ac ſpongioſum eſt, et facile corrumpitur, ſubinde accidere ſolet. Nonnunquam haec vlcera et fiſtulae carcinomatis naturam induunt, vbi quidem tritum illud prouerbium: manum de tabula, obtinere ſolet.

§. XII. Horum affectuum indoles vero a perito chirurgo facile diſcernitur; hoc autem melius fiet, ſi ſpecillo minimo Anelliano vias lacrymales exploraverit, materiam vero purulentam, quae ex his, vel oculum verſus, vel nares, exprimitur, accurate inſpexerit. Quando enim ſaccus lacrymalis in angulo interno oculi eleuatior conſpicitur, viae vero vtrinque patulae ſunt, vt ſerum viſcidius, albicans tamen, et nullum ſpirans odorem, facta exterius digito compreſſione, et per nares, et per puncta lacrymalia, excernatur, lympha peccare creditur, quae, ſpiſſior facta, difficilius per hos meatus, anguſtos valde, mouetur. Supra notauimus, ANELLVM peculiari, minus tamen conuenienti, hydropis viarum lacrymalium nomine, hunc affectum appellaſſe. Hoc autem vitium, vel a reliqua humorum in corpore δυσκρασία, vel ab atonia glandulae lacrymalis, huiusque ductuum excretoriorum, qui humorem crudum, et nondum depuratum, ſecernunt, ortum capeſſit. Humor vero lacrymalis, per ſuperna orificia expreſſus, ſi magis purulentus, materiae coctae, benignae tamen, ſimilis eſt, de obſtructione ductus naſalis teſtatur, quod ſerum hoc, ſi diutius in his anguſtiis moratur, tandem in pus quaſi coctum abire ſolet: ſpecillum autem immiſſum, et ab obſtaculo in itinere prohibitum, hanc obſtructionem luculentius probat. Quando viae lacrymales iam vlceribus tentatae, vel exeſae, ſunt, materia tenuis et ſeroſa, acris autem, et cum

ſanie vlceroſa, aliquando et ſanguine permixta, eſt. In omnibus tamen his vitiis humores, pro ratione, quae ipſis in his meatibus conceditur, morae, variam indolem, variumque colorem, induunt. Illi etiam, acriores facti, fibras aliquando ſacci lacrymalis ſtimulant, et moleſto ſenſu afficiunt, quo criſpaturam his inducunt, vt ſic humores ſponte per puncta lacrymalia erumpant. Os vero, quod ſubeſt, denudatum eſſe, docet inaequalis, qui mediante ſpecillo percipitur, eius contactus, materia etiam copioſior, pro vlceris ambitu, excernitur. De carie vero nos conuincit os, quod mediante ſpecillo tangitur, valde ſcabrum, materia purulenta, foetidi odoris, virideſcens, ac vtplurimum nigricans, qualis materiae indoles, et in reliquis, in corpore, vlceribus, quibus oſſa vitiantur, a chirurgis agnoſcitur. Calli autem duritiem, vel nuda, vel ſpecillo armata, manus ſentit, is etiam in fiſtulis, quae exteriora verſus apertae ſunt, in oculos incurrit, materiae etiam ſanioſae et ichoroſae peculiaris indoles, callum, et veram fiſtulam, indicat. Vlcus vero et fiſtulam in carcinoma abiiſſe, reliquae περιῳδήσεις, color partium vicinarum luridus, et liuidus, contactus durior, quandoque etiam mollior, or, venarum inflatarum, et turgeſcentium, varices, quandoque caro fungoſa luxurians, manifeſtum reddunt, de quibus CELSI (45) iudicium, tales αἰγίλωπας curare periculoſum eſſe, quia mortem maturant, triſti experientia comprobatur. Hernia ſacci lacrymalis tumorem facit, qui, digito paulo fortius compreſſus, euaneſcit, et humorem, quem continet, euacuat, mox tamen rurſus apparet, remoto digito, quia fibrae nimis laxae, et tono naturali deſtitutae, antiquum rurſus obtinent ſitum, id quod tunc in primis fieri ſolet, quando earum vis a cauſa externa ſoluta fuit. Quandoque etiam ſaccus lacrymalis a ſubiacente perioſtio ſeparatur, et auellitur, quanquam in reliqua ſua ſtructura integer prorſus et ſanus ſit, niſi, quod ſuccedente tempore durior, et ſcirrho-

45) *L. VII. Cap. 7. §. 7.*

ſcirrhoſus, fieri ſolet; vaſa, etiam, illi vicina, non raro diſtenduntur, et varicoſa fiunt.

§. XIII. Vlcerationes vero viarum lacrymalium, et verae fiſtulae, ſi neglectae fuerint, partibus, quae proxime illis adiacent, multum detrimenti inferre ſolent, ſinus enim fiſtularum nonnunquam longe lateque ſerpunt, et ſub integumentis ac muſculis genarum deſcendunt, aliquando etiam verſus oculi orbitam pergunt, in quam ſi pertigerint, bulbum oculi aggrediuntur, et acerbiſſimos cruciatus, ſaepius etiam affectum grauiorem, quo vniuerſus oculus inflammatur, abſcedit ac in pus abit, cauſantur. Caries vero, quando incrementum capeſſit, longe lateque gliſcit, et maiorem oſſibus labem, ac ruinam, infert, in naribus autem, oſſibus turbinatis, et ſquamoſis, inimica valde eſt. Ozaenam enim relinquit, id quod tunc eo facilius fit, quando reliquum corpus humoribus corruptis, ſcorbuto, vel lue venerea, infectis, ſcatet, quae vix vlla arte perſanatur, ſed radicem naſi, quod venerei non raro experiuntur, deprimit, et deſtruit: naribus etiam ſub ipſa chirurgia, quando fiſtulae ex vtroque latere fortius, et non cum debita circumſpectione aduruntur, non raro vis infertur. Sanie vlceroſa oculus etiam valde affligitur; hanc enim acriorem ſi puncta lacrymalia fundunt, oculi tunicae externae punguntur, vellicantur, et debilitantur, quare in adnata, et palpebrarum cartilaginibus, rubores, et ſqualores, in cornea vero nebulae, ſordes, et lamellarum externarum excoriationes, conſpiciuntur in iis, qui tempeſtiuam fiſtulae et vlceris lacrymalis curam recuſant, aut negligunt.

§. XIV. De his affectibus vero ita ſtatuendum, vt ex maiori, vel minori, harum partium laeſione, etiam iudicium et prognoſis formetur. Leuis enim ſacci lacrymalis obſtructio et exulceratio facilem admodum medelam admittunt: maioribus difficultatibus implicita deprehenditur cura herniae ſacci lacrymalis, maxime, ſi hic praeter naturam induratus, vel totus a perioſtio auulſus, eſt: fibrae enim relaxatae et ſcirrhoſae aegre ad priſti-

num et debitum tonum reducuntur. Vlceratio vero profundior, et vera fiſtula, ab omnibus medicis et chirurgis, grauis valde, et difficilis curationis, habita fuit, cum propter illam, quam poſtulant, chirurgiam, et qua ſola, vt ex mox dicendis perſpicuum erit, curatur, et propter exquiſitum partium harum ſenſum, teneram earundem texturam, quae nouis facile laeſionibus, ſub ipſa enchyreſi, obnoxia fit, remediorum vero applicandorum acerbitatem, et impetum, lubrica valde, et plena periculorum, exiſtat. Ægrius vero fiſtulae perſanantur, quando oſſibus iniuria, et vitium illatum eſt, niſi enim totum, quod vitiatum eſt, eradicetur, malum nunquam propulſatur. Illa enim, quam ANTONIVS MAITRE JEAN (46) allegat, experientia, fiſtulas veras, et carie infectas, ſponte curatas fuiſſe, valde ambigua, vel inſolens admodum, et ſingularis videtur. Carcinomate laborantibus, nulla ſpes, niſi cruciatuum et mortis, tandem, omnis calamitatum finis, relinquitur.

§. XV. Therapia tamen fiſtulae lacrymalis, tam a veteribus artis medicae ſtatoribus, quam a recentioribus, variis modis tentata, nobisque relicta et commendata fuit: Quas vero methodos fuſius recenſere, vel ideo inutile exiſtimamus, quod idem ab aliis prolixe factum fuerit. (47) Obiter notandum, GALENVM, (48) TRALLIANVM, (49) et alios ex veteribus, magnam vtplurimum reme-

46) *Traité des maladies de l'œil P. III. Chap. V. p. 468.*

47) Vid. Celeberr. HEISTERVS *in Diſſert. ſaepius allegata.*

48) GALENVS *de remediis parabilibus L. II. Cap. IV. p. 610. T. X. Edit.* CHART. *et L. III p. 640. et 660.* Chirurgiam breuibus expoſuit *in Introductione, ſiue Medico Cap. XIX. p. 394. Tom. II.* HIPPOCRATES diſertam quidem fiſtulæ lacrymalis nullam fecit mentionem, probabilitati vero non adeo forte contrarium videtur, ſi locum, qui *in Coacis Prænotionibus §. 511. T. VIII. p. 882.* legitur, de fiſtula lacrymali interpretemur. Αἱ σύριγγες χαλεπώταταί εἰσιν, ὅσαι ἐν τοῖσι χονδρώδεσί τε καὶ ἀσάρκοισι τόποισι πεφύκασι, εἰσί τε κοῖλαι, μολῦνταί τε, καὶ ἰχωροροῦσιν ἀεὶ, σαρκίον τε ἐπὶ τῷ στόματι ἔπεστιν αὐτῶς. Hæc enim deſcriptio non ſolum optime cum fiſtula lacrymali conuenit, ſed et mox in antecedenti paragrapho indicauerat, vulnera, quae ſuperciliis infliguntur, ſæpe amauroſin relinquere, ita, vt ex harum partium propinquitate, fiſtula lacrymalis, quam forte obſeruauerat, ipſi facile in mentem venerit.

49) *L. II. Cap. VIII. Edit.* STEPHANI *Medicae artis principum T. I. p. 180.*

remediorum farraginem, quae aetatis illius indoles fuiſſe videtur, congeſſiſſe, quae tamen, ſi rem paulo curatius examinemus, indiſtincte prorſus commendantur, quae vel ſaltem diſſipandis et reſoluendis tumoribus, vel purgandis et conſolidandis abſceſſibus, aliquo modo inſeruire poſſunt; rem vero minime perficiunt. Ex recentioribus THEVENINVS, (50) vt ſibi eorum, qui ignem et ferrum horrent, gratiam conciliaret, cum remediis cauſticis et ſepticis idem tentauit, quod alii a chirurgia expectarunt, eius vero modus agendi multis difficultatibus premitur, quare et chirurgicum ipſe praefert. Omnes vero hactenus medici et chirurgi, qui has viarum lacrymalium laeſiones ſanare voluerunt, cum vera viarum lacrymalium ſtructura et vſus, nec non laeſionum, quibus afficiuntur, indoles et differentia, ignorata fuerit, ſaepius curandi methodum atrocem et arduam, leuiori malo applicuerunt. Ante aliquod tempus vero factum eſt, vt leuiori morbo etiam procliuius, et dolorum acerbitate minus horridum, remedium pararetur, id quod a celeberrimo STAHLIO inchoatum, ab ANELLO vero perfectum fuiſſe, ſupra indicauimus.

§. XVI. Hoc vero luculentius patebit, ſi methodum Anellianam paulo curatiori examini ſubiiciamus, et ad veritatem reuocemus, cum illa ab omnibus fere, qui rebus medicis et chirurgicis ſtudent, laudibus in coelum quaſi fuerit elata. ANELLVS enim, cum ipſi aliquando tale vitium in viis lacrymalibus obuium eſſet, bene perſpexit, illas, quae ante eum in vſu fuerunt, methodos, harum laeſionum naturae et indoli minus conuenire, et de nouo modo agendi cogitauit. Illi enim, cui, hac noſtra aetate, illarum partium textura multo notior eſſet, quam maioribus, in mentem venit, exulcerationem et obſtructionem ductuum lacrymalium vulgari, quae nimis atrox eſt, chirurgia ideo opus non habere, cum et aliae meatuum in corpore oppilationes variis inſtrumentis facile tollantur. Ideo ſpecilla excogitauit minima, quae exiguis admodum ductuum lacrymalium orificiis quadra-

50) THEVENIN *Traité des Operations de Chirurgie Chap. 106. p. 126.*

drarent, ex argento, quod prae reliquis metallis flexibile ſatis eſt, et ab acrioribus humoribus non facile labem contrahit, nec rurſus vulneribus et vlceribus infert, fabrefacta, quibus in puncta lacrymalia immiſſis, materiam tenacem, et ſacco lacrymali inhaerentem, e loco mouere, viasque rurſus patefacere, ſtuduit; vt vero etiam vlcerationi mederetur, liquore, quo vlcuſcula haec interna purgarentur, et implerentur, ſaccum lacrymalem irrorare allaborauit; quam ob rem ſubtilem ſyringem diligenter faciendam curauit, quae huic vſui idonea eſſet. (51) In plurimis aegris etiam, in primis in Sereniſſ. Regis Sardiniae matre, quae haud ita pridem obiit, rem ex ſententia confecit, magnamque nominis famam, huiuſque inuentionis primam ſibi gloriam, parauit, cum ante eum nemo tale quid tentauerit. (52)

§. XVII. Id, quod vero ſaepius fieri ſolet, vt ii, qui aliquid noui in lucem edunt, non mediocrem de foetu ſuo ſpem et voluptatem concipiant, idem etiam ANELLO obtigiſſe, videtur. Non ſolum enim magno ſtudio illud egit, vt a viris celeberrimis, propter hanc, qua ſibi placebat, inuentionem, literis et encomiis decoraretur, quae, in vnum volumen congeſta, propter magnam earundem copiam, et propriam, qua ſordere videntur laudem, non poſſunt non cuilibet ad nauſeam vsque moleſtae eſſe; ſed etiam mox ſibi et aliis perſuaſit, hac noua enchyreſi, ſi non omnia, plura tamen viarum lacrymalium vitia, quae communi fiſtulae nomine, minus recte, appellauit, ſanari poſſe. Negat quidem ſaepius, callum et cariem, ſi profundiores egerint radices, hac enchyreſi tolli poſſe, quanquam, in quo et Celeberrimum HEISTERVM (53) conſentientem habuit, de illa ſperet, fore, vt hoc

51) Vid. Fig. I. et II.

52) Quanquam enim STENO *in Obſeruat. Anatomicis, de Vaſis Oris, Oculorum et narium pag. 90. et 100. Fig IV.* ſpecillo, et STAHLIVS *in Programmate ſ. c.* chorda chelyos has vias exploraverint, illud tamen a priori in cadaueribus ſaltem, et vt videtur, brutis, ab altero vero eam ob cauſam factum eſt, vt inciſionis, quam in ſacco lacrymali meditabatur, directionem inueniret, vt ideo huius inuenti laus ANELLO denegari non debeat. Contra BIANCHI *Diſſert. ſ. c.* defendit eum MORGAGNVS *l. c Aduerſ. VI. Animadu. 64.*

53) *Diſſert. ſ. c. p. 26.* leuiorem callum,

hoc remediis, magis idoneis, ſuccedente tempore adhuc inueniendis, tandem perficiatur, cum iam leuior callus et caries iisdem reſolui, et auferri, queat. (54) Hoc tamen experientia indubia comprobatum nondum videtur. Nam, ſi dicendum, quod res eſt, illa, quam ANELLVS primum in Abbate FIESCHI curauit, laeſio, ne quidem vlcus profundum, ne dicam fiſtula vera, fuit, ſed obſtructio ſaltem ſacci lacrymalis, et, quod adhuc valde dubium eſt, leuis exulceratio, quare etiam cuidam mirum videri poſſit, cur materia, ex punctis lacrymalibus expreſſa, adeo foetidi fuerit odoris, cum hoc non, niſi in profundioribus exulcerationibus, et ipſa carie, obſeruari ſoleat. Illa vero ſic dicta fiſtula, qua Sereniſſ. Regis Sardiniae mater laborauerat, ſinus fuit minoris vlceris, vel ſacculus quidam, qui ex meatu lacrymali palpebrae inferioris, inter duplicem huius membranam progreſſus, nihil commercii cum ſacco lacrymali et angulo interno oculi habuit, (55) quare et hic morbus non commode ad fiſtulas lacrymales referri poſſe videtur. Haec omnia ergo ſi quis bene penſitauerit, facile manifeſtum erit, cum iam in ſuperioribus quoque extra dubium poſitum ſit, ad reliquarum, et lacrymalium, fiſtularum naturam, callum requiri, vix veram fiſtulam methodo ANELLIANA, cui de reliquo nihil laudis ſuae derogatum volumus, curari poſſe; ſed ad aliam chirurgiam eſſe recurrendum. Si quis enim, cuius animus ſtudio partium infectus non eſt, paulo attentius conſideraverit, quam acria et violenta iſta ſint remedia, quibus callus et caries vincuntur, facile largietur, tam leuem iniecti liquoris copiam, in partibus ſenſu exquiſitiſſimo praeditis, hoc minime abſoluere poſſe, cum et ipſe oculus, qui, quod vulgo notum eſt, vel rerum minus acerbarum impatientiſſimus eſt, facile

lum, et cariem hac methodo extirpari poſſe, aſſerit, quamuis hoc de leuiori ſaltem callo dictum velit *in Chirurgiae Edit. nouiſſ. p. 493.*

54) *Vid. la Suite de la Nouvelle Methode p. 24.*

55) Vid. in ANELLO paſſim, et in HEISTERI *Diſſert. ſ. c. p. 63.* Eadem confirmauit quondam Pariſiis Dn. VERNE Iunior, Chirurgus Regis Sardiniae, cuius pater in conſilium vocatus fuerat.

cile his remediis offendatur. Cum praeterea hoc nulla hactenus indubia experientia confirmatum fuerit, et Celeberr. HEISTERVS (56) ipse a sua sententia aliquo modo destitisse videatur, clarum erit, methodo ANELLIANA fistulas lacrymales sanari non posse.

§. XVIII. Haec vero ANELLIANA methodus, quae elegans de reliquo est, et in aperiendis viis lacrymalibus, iisque a leui excoriatione repurgandis, valde vtilis, quomodo exerceri debeat, nunc tradendum est. Aeger in sella paulo demissiore collocatus, ex omni parte luce serena irradietur; optime vero id fiet, si, non obuersus soli, sed paululum ex illo latere, quod oculo affecto respondet, ponitur. Diducuntur palpebrae, manus sinistrae pollice et indice, ita tamen, vt altera harum, in cuius punctum specillum, vel syrinx, immitti debet, quodammodo versus oculi canthum externum retrahatur, et simul paululum inflectatur. Dextra vero specillum leuiter incuruatum, per puncta et meatus lacrymales immittitur, ita, vt sensim ac sensim, suspensa manu, et terebrante quasi motu, vrgeatur. Facilius hoc ex puncto superiori succedit, quam ex inferiori, quia descensus ad saccum lacrymalem minus obliquus existit, quare etiam pus per punctum superius saepius, et copiosius, exprimitur. Aegrius specillum admittunt nares depressae, ac repandae, quam aduncae, quare in illis prouide agendum, ne ex violentia laesionem patiantur. Specillum etiam, si eius motus, cum debita modestia, paulo diutius continuatur, viam facile, et per materiam spissiorem transitum, inuenit. Has vero vias reseratas esse, certior fit chirurgus, quando materia, cum tantillo sanguinis mixta, per nares eiicitur. Hanc vera enchiresin diutius, et per aliquot dies, continuari, necesse est, quod alias ex leui vulnere, aut vlcere, latera viarum facile coalescunt, quare et hoc in primis obseruari debet, quando vlcera in sacco lacrymali carnem alere, et consolidari, incipiunt, cauendum tamen, ne nimis frequenti exploratione partes plus iusto irri-

56) *In Chirurgiae editione noua l. c.*

irritentur. Ad vlcerationes vero ſanandas ſyrinx etiam in vſum vocari debet, qua mediante per vtrumque orificium liquor conueniens iniiciatur. Talem vero quilibet chirurgus facile ſeligere poterit, qui huic ſcopo inſeruiat. Tenuis et limpidus eſſe debet, nec nimium acris, quare etiam remedia, quibus alias vulnera glutinantur, et quae digeſtiua appellari ſolent, abeſſe debent. Optime conducit ſolutio ſalis, ſic dicti neutrius, vel acidularum, et thermarum, quali etiam ANELLVS vſus eſt, et qualis nobis eſt Sal Ebshamenſis, aut nouus Sedlicenſis, cuius ℥j. cum aquarum deſtillatarum ℥iij. commode miſcentur; liberum etiam erit, ſi quis tantillum myrrhae, aut aloes, addere velit. Hac autem chirurgia, quando, iteratis vicibus, per aliquod tempus continuatur, oppilationes, et leuiores exulcerationes, ſacci lacrymalis curantur: Monendum tamen, quando partes hae, vel ab eryſipelate, vel a violentia externa, inflammatae ſunt, ſpecillorum vſum non prius valere, quam inflammatione, ſoluta, aut remittente. In ophthalmiis etiam acrior humor; et ſeri lacrymalis affluxus, corrigi prius, et deriuari, debet, niſi hanc ANELLIANAM methodum inefficacem prorſus experiri velimus.

§. XIX. Serum lacrymale, ſi, vel nimis abundat, vel, propter ſuam viſciditatem, difficilius per hos arctos valde meatus tranſit, praeter iam recenſitam chirurgiam, etiam alia remedia in auxilium vocanda ſunt. His aegris enim aluus hydragogis ſaepius moueri, ac decocta et infuſa reſoluentia propinari, debent. WOOLHOVSIVS millepedarum ſylueſtrium, quae, triginta duobus pedibus inſtructae, a domeſticis diſtinguuntur, vſum valde laudat, quarum viginti, viuas adhuc conquaſſatas, cum hauſtulo vini ſumendas ſuadet. Veſicatoria, fonticuli in nucha, vel, quod optimum eſt, ſetaceum, hunc nimium humorum affluxum impediunt, quemadmodum etiam ſternutatoria, quibus aliquando leuior et recens obſtructio viarum lacrymalium vnice tollitur, in hoc morbo multum proficiunt.

§. XX. Aliis remediis opus est in restituenda hernia sacci lacrymalis. Vitium, si saltem in aliqua fibrarum atonia consistit, ita, vt exterius nulla, vel leuior, accesserit laesio, compressione curatur, quae, vel peculiari, ad hunc vsum accommodato, instrumento ferreo, (57) vel facta deligatione cum fasciis, et subiecto multiplici panno, in cuius vicem nonnulli charta bibula, masticata, vtuntur, fieri solet: ferreum tamen compressorium aliis merito praefertur. (58) Cauendum tamen, ne iusto fortior compressio inflammationem excitet: Via etiam libera et patula seruanda est, quare et hic specillorum, frequentius immittendorum, vsus negligi non debet, liquor moderate adstringens, mediante syringe, iniici, et exterius emplastrum contra hernias, vel aliud, virtute tonica pollens, imponi potest. Haec vero methodus si felici euentu destituitur, ad incisionem recurrendum est, illa autem antequam suscipitur, saccus lacrymalis in situ suo ad angulum internum, et progressu ad nares, mediante specillo, explorari debet. Nam sectio, iuxta specilli descensum, in longitudinem fiat. Vulnus enim, transuersim inflictum, et aegrius coalescit, et cicatricem relinquit, quae reliquae structurae facile nocet. Ex remediis, huic vlcusculo imponendis, illa seligenda sunt, quae, sine praeuia digestione, vulnera cito replent, qualia sunt balsamica, et ex his optimum, balsamum, verum de Mecha, cuius guttula vna, vel altera, immissa, vulnus cito curat, et sacco lacrymali pristinum robur reddit. A vasis autem varicosis cauendum, ne illa incidantur, sanguinis enim profluuium difficilius, et aliquando non, nisi adustione, coercetur. Si itaque illa maiora, et cum reliquis partibus nimium indurata, et scirrhosa, fuerint, nisi externis emollientibus, et resoluentibus, pristinae integritati et tono restituantur, nullam aliam, quam sacci lacrymalis, extirpationem, et, quam vera fistula exigit, curationem admittunt.

§. XXI.

57) Vid. Fig. III.

58) Inuentio huius tribuenda videtur HIERONYMO FABRICIO, ab AQVAPENDENTE, vide EIVS *Chirurgiam P. II. Cap. 22. et Tabulam B.* Vide etiam figuram in HEISTERI *Chirurgia Tab. XI. pag. 11. Edit. nouae.*

§. XXI. Ad hanc vero vt tandem accedamus, nolumus varias chirurgorum, quas commendarunt, methodos recenſere. (59) Cuncti in eo laborarunt, vt vlcus et fiſtula aperirentur, vel, ſi exterius aperta iam fuerint, noua ſectione diducerentur, caries vero, vel raſorio, vel cauſticis, vel ferramento ignito, tolleretur, parum de lacrymarum ad nares tranſitu, qui ipſa hac ſectione, et aduſtione, impeditur, ſolliciti. Illud enim foramen, quod, perfoſſo oſſe vnguis, nares verſus aperuerunt, ideo nullius prorſus vtilitatis eſſe potuit, quia hoc ſub reliqua vlceris et vulneris curatione, mox rurſus clauditur. Nec ſacci lacrymalis, qui penitus, et cum cura, eradicari debet, vllus, rationem habuit, in quo tamen, niſi prorſus eximatur, et quando cum vulnere quoquo modo coaleſcit, lacrymae, per puncta lacrymalia perpetuo affluentes, ſubſiſtunt, et oculum plorantem relinquunt. Humor etiam ſtagnans rurſus mutatur, acris fit, ac tandem nouum vlcus, et recrudeſcentem fiſtulam, parit. Et plures non ſolum autores probe annotarunt, hanc oſſis vnguis pertuſionem, propter arnem, quae mox interſtitium rurſus occupat, ſuperuacaneam, et inutilem, eſſe; (60) ſed experientia etiam edocuit, plurimas fiſtularum curationes, dubii plane, et infelicis, fuiſſe euentus. Hac quidem noſtra aetate, nonnulli chirurgorum, huic, incommodo medelam allaturi, ſuadent, vt turundis foramen tamdiu patulum ſeruetur, donec eius ambitus callo inueſtitus fuerit, nec noua per carnem oppletio metuenda ſit. (61) Illam vero, quam WOOL-

59) Vide HEISTERI *Diſſertationem ſ. c.*

60) GVIDO de CAVLICACO *in Chirurg. Tractat. IV. Doctr. II. Cap. II. pag. 37.* Modum autem curandi, et perforandi cum ſubula, ad calamos narium, non laudat HEBEN MESVE, neque ego in eo inueni effectum. Nam ſatis cito, poſt impletum foramen oſſis, nihil eſt, quod currere poſſit ad nares. Vide et locum ex PETRO de MARCHETTIS in HEISTERI *Diſſert. ſ. c. p. 41.*

61) Vid. St. YVES *Traité des maladies des yeux pag. 74.* et ex eo HEISTERVS *in Chirurgiae edit. nou. pag. 491.* Quam vero GARENGEOT *Traité des Operations de Chirurgie T. II. Chap. 38. p. 81.* et ex hoc HEISTERVS *l. c.* recenſet methodum celebris apud Pariſienſes chirurgi, PETIT I, illam adhuc valde obſcuram, et ambigui vſus videri, fate-

HOVSIO debemus enchiresin, et cuius Celeberr. HEISTERVS (62) aliquam, quanquam non disertam, mentionem fecit, et huic, et reliquis, merito praeferendam iudicamus.

§. XXII. Illa enim sequentem in modum a chirurgo adornari debet: quando chirurgus de morbi natura, saepius facta exploratione, certior factus est, ad reliquum corporis habitum in aegro respicere debet. Qui enim morbis serosis inquinati sunt, ab his prius liberentur, necesse est, quia in iis vlcera et vulnera, propter humorum acrium et sanioſorum affluxum, difficilius sanantur. Ætate prouectiores, infantes, et, qui corpore valde infirmo et sensibili praediti sunt, hoc auxilii genus non facile sustinent. Plethoricis vena incidenda est aliquoties, vel, si vna saltem sectio celebretur, illa largior esse, et post fistulae sectionem iterari, debet. Robustioribus aluus, paulo valentiori medicamento, ducenda est, vesperi vero, ante chirurgiam, rursus intestina clysmate a fecibus repurgentur; de reliquo aeger optimo cibo, faciliori tamen ad concoquendum, nutriatur: Nec nocet, si mox ante, quam ipsa sectio fit, aliquo cardiaco, vel haustu vini generosi, muniatur. Collocari debet in sella minori, ita, vt dorsum et caput, vel crepidine, vel famulo fortiori, sustineatur. Manus

fatemur. Posthabita enim pertusione ossis vnguis, cereum minorem (une bougie, ein Schneider-Kertzgen,) per orificium fistulae exterius in saccum lacrymalem immisit, et hanc tam diu in eo seruauit, donec partes superiores pristinae integritati restitutae fuerunt. Hic vero modus agendi in vlceribus profundioribus, et in quibus maior portio sacci lacrymalis exesa, vel callo indurata, est, minus sufficit, et nullum inuenire potest locum, in ductus nasalis vero simplici obstructione, specilla Anelliana eundem, et magis fidum, praestabunt effectum.

62) *In Chirurgiae edit. nov. pag. 494.* Sine dubio, id quod tamen pace Viri Celeberrimi dictum sit, ipsi haec inuentio, quae WOOLHOVSIO vnice debetur, ex huius scriptis ineditis cognita fuit. Illa enim ipsi non prorsus obscura fuisse, forte illi suspicari possent, qui nonnulla ex Chirurgia capita v. g. de hypopio, staphylomate &c. cum WOOLHOVSII dictatis contulerunt. Antiquae vero, quae animose satis inter eos agitatae fuerunt, controuersiae, sine dubio, impediuerunt, quo minus WOOLHOVSII nomen adponeretur, cum tamen St. YVES, non solum saepius valde laudetur, sed et error, in quem definitione hypopii et vnguis lapsus est, forte nimia modestia excusetur. Vid. HEISTERI *Chirurg. p. 523.* et St. YVES *p. 222.*

nus a famulis adſtantibus vtrinque cohibeantur, ne impediant; chirurgus vero, in ſella paulo elatiori, ante aegrum, conſtitutus, genubus ſuis aegri pedes contineat, qualis alias ſitus in deponenda cataracta obſeruari ſolet Hoc tamen diſcrimine, quod in hac noſtra fiſtulae chirurgia, aeger ex aduerſo, in cataracta, ex latere, a luce irradietur. Alter oculus ſanus, impoſito collyrio, ex aquis, roſarum, plantaginis, et foeniculi, albumine oui, cum ſachari ſaturni et aluminis pauxillo, deligari ſolet. Reclinato capite ſectio inſtituitur. De huius vero directione, etiam variae, apud autores, reperiuntur ſententiae, illud maxime cauendum eſſe videtur, ne noua laeſio inducatur palpebrae inferiori, quae aliquando inuertitur, cui morbo nomen eſt *ectropium.* Plurimi omne momentum in eo ponunt, vt tendinea moles muſculi orbicularis, quae in angulo interno oculi conſpicitur, integra et illaeſa ſeruetur; hanc enim ſolam, ſi vitiata fuerit, ectropium relinquere. In aliam tamen alii abeunt ſententiam, et ex his inprimis ARNOLDVS, Chirurgus Gallus, qui cutis portionem, qua exterius palpebrae in angulo interno iunguntur, accuſat, quare, illius potiorem habendam eſſe rationem, ſuadet, quam tendinis, mox nominati; hanc ſuam ſententiam etiam ratione, quod orbicularis ex omni parte oſſibus orbitae adhaereat, et propria etiam experientia, firmat. (63) Hoc etiam veritati valde conſentaneum videtur, quare chirurgus, cum vnius rei plures cauſae eſſe poſſint, vtriuſque, et tendinis, et cutis, integritati proſpicere poteſt. Inciſio fit ſcalpello, leuiter falcato, (64) vel, quali PETITVS vtitur, a GARENGEOT (65) delineato, myrtiformi, quod, quia anceps eſt, et

63) Vid. GARENGEOT. *l. c.* idem iam ſuo tempore obſeruauit GALENVS *de Vſu partium L. X. Cap. X. T. IV. p. 544.* Τὴν μὲν δὴ περὶ τὰ βλέφαρα τέχνην τῆς Φύσεως, ἐξευρηκέναι τε, καὶ καλῶς ἐξηγήσασθαι δοκοῦσιν οἱ ἄριστοι τῶν ἀνατομικῶν, ὡς εἴρηται νῦν. ἐγὼ δὲ ἐπιθόμην ἂν αὐτοῖς ἤδη τὸ σύμπαν ἐπὶ τὸν παρὰ τῷ μεγάλῳ κανθῷ μῦν ἐμαυτὸν ἔπιθον ἀκριβῶς ἑωρακέναι. νυνὶ δ' ἄν τε γὰρ ἐκεῖνον ὑδέπω σαφῶς εἶδον; ἔν γε ταῖς ἀιγιλώπων χειρεργίαις, ἐν αἷς ὑ μόνον ἐκκόπτεται πολλάκις, ἀλλὰ καὶ καίεται σύμπαν ἐκεῖνο τὸ χωρίον, ὡς ἐνίστε λεπίδα; τῶν ὑποκειμένων ὀστῶν ἀφίεσθαι, μηδὲν ἧς τὴν κίνησιν ἐμποδιζομένης τῷ βλεφάρῳ.

64) Vid. Fig. IV.

65) V. *le Nouveau Traité des Inſtrumens de Chirurgie Tom. II. p. 11.*

et mucrone fortiori munitum, et in oppoſito fine ſcalpellum hebetius rotundum habet, quo integumenta et carnes commode ab oſſe remoueri poſſunt, illi praeferendum videtur. (66) Sectio dirigitur in ſemicirculum, cuius principium ſit in radice naſi, iuxta proceſſum, quo oſſibus narium coronale iungitur, continuatur per medium fiſtulae tumorem, vt pars conuexa nares, concaua vero orbitam, reſpiciat, terminatur juxta radicem palpebrae inferioris, huiusque circiter medium. In ipſa ſectione inſtrumentum paulo fortius adigendum eſt, vt ſtatim ad os vſque perſingat: adiuuat etiam ſiniſtra, quae cutim vtriusque palpebrarum ad oculi canthum externum retrahit, et oculum propter formidinem obtegit. Poſt haec ſcalpello obtuſo (Gallis *dechauſſoir*) vulnus dilatatur, et perioſtium a ſubiacente oſſe remouetur. Quia vero ſanguinis profluuium chirurgum multum impedire ſolet, non immerito nonnulli ſuadent, vt, quod ſupereſt, huius, quae manibus fit, curationis, in craſtinum differatur, ſanguinis vero profuſio, niſi valde impetuoſa ſit, facile reprimitur, impoſito panniculo, cum ſpiritu vini, vel aqua ſclopetaria, madefacto, et debita cum faſciis deligatione. Arteriae autem laeſae impetus, quandoque ferramento ignito, optime fortiori, aſſidua, et aequali, manuum compreſſione cohibetur.

§. XXIII. In eo vero omnes hactenus autores, qui de fiſtula lacrymali egerunt, lapſos eſſe, obſeruamus, quod quidem pertuſionem oſſis lacrymalis commendauerint, ſacci lacrymalis autem extirpationem plane neglexerint: Haec vero ideo neceſſaria omnino exiſtit, quod, ſi chirurgo minus penſi eſt, lacrymae, quae ſemper ad has partes deſtillant, denuo ſubſiſtunt, putrefiunt, et nouam ſaepe fiſtulam generant. Euellitur vero eius ſuperior portio, transuerſim facta inciſione, ad locum, quo meatus lacrymales in eum terminantur, ſpecillo per hos immiſſo, quod chirurgum, ne callo fiſtulae decipiatur, de ſacci lacrymalis ſitu certiorem reddit. Vt vero lacrymis etiam, per nouam viam ad nares

66) Vid. Fig. V.

res deducendis, proſpiciatur, os vnguis perterebrari, et nouus canalis, non ſolum formari, ſed et ſeruari, debet. Fit autem pertuſio haec a nonnullis ferramento ignito, quod vero tunc ſaltem, quando os vitiatum eſt, admittitur. Alii vtuntur trepano acuto, alii inſtrumento, in hunc vſum fabrefacto, Gallis *pouſſoir* dicto. (67) Optime conuenit ſpecillum ſulcatum, *(ſonde creuſe)* (68) cuius latera et cuſpis paululum cultellata ſunt. Perforatio vero ita dirigenda eſt, vt et orbitae, et radicis, narium ratio habeatur, illam vero ad nares tranſiuiſſe, ſanguinis ſputum, et ex naribus profluuium, indicant. Specillum ſulcatum in nouo foramine paululum rotatur, vt hoc, quantum fieri poteſt, rotundum fiat. Vulnus vero ab oſſium ſquamulis ſtudioſe repurgandum, et calida eluendum eſt; quod vero feſtucarum reliquum eſt, ſuccedente tempore abſcedit. Ante omnia vero turunda paulo fortior immitti debet in foramen, ne rurſus mox claudatur. Imponuntur remedia, quae inflammationi reſiſtunt, ex his optime paululum theriacae, in ſpiritu vini ſolutae, quo linteum carptum irroretur, oculo vero conducunt impoſita linteola, ſupra dicto collyrio, vel, ſi valde inflammatur, decocto herbarum, quae reſoluunt, et tonum augent, cum vino rubro madefacta: emollientia, et, quae ſuppurationem augent, vitanda ſunt, niſi maior iam durities his partibus ex inflammatione acceſſerit. Ex faſciis conuenit, quae monoculus dicitur. Haec vero pannulis, tabulatim ſibi impoſitis, paulo fortius adſtringitur, quia alias turunda facile elabitur.

§. XXIV. Succedente tempore, haemorrhagia ac inflammatione prorſus ſedatis, ſordes a vulnere deterguntur, et ſinuum fiſtuloſorum callus extirpatur, quod, vel ſcalpello fit, quo is inciditur, aut ſaltem ſcarificatur, vel fortioribus remediis. Haec autem, ſi opus eſt, talia ſeligi debent, quae oculum non nimis offendunt, nec ſtatim colliquantur, et eundem

67) Vid. Fig. VI. 68) Vid. Fig. VII.

dem ingrediuntur, multa tamen in earum applicatione cautio et diligentia adhibenda eſt. Celerrimae efficaciae eſt lapis infernalis, caute loco affecto, vel per calamum, vel per emplaſtrum, quod in medio perforatum eſt, applicatus. Oſſis etiam, vt abſcedat, et ab inhaerentibus feſtucis liberetur, ratio haberi debet, et cauendum eſt, turunda impoſita, ne vulnus coeat, ſed, vt foramen potius callo obducatur. Poſtquam autem vulnus ab inquinamentis et callo repurgatum eſt, illud agendum, vt noua lacrymis efficiatur via. In hunc finem ſaepius laudatus Dn. de WOOLHOVSEN, qui in ὀφθαλμιατρία omnium facile princeps eſt, fiſtulam minorem excogitauit, qua illud foramen apertum tenetur. Haec ex auro, argento, vel plumbo, fabrefacta, duplex eſt. Prima, (69) quae callo formando ſaltem inſeruit, in parte externa oram habet, qua carnes paululum reprimuntur, magnitudo et extenſio, pro diuerſa narium conformatione, variat. In hoc vero totius rei cardo vertitur, vt, mediantibus ſpecillis minimis, et frequenti per ſyringam iniectione, meatus lacrymales verſus hunc nouum canalem dirigantur. Interea vulnus externum remediis carnem rodentibus tamdiu ſeruari debet, quoad hoc ſuccedat, et deligatione etiam fortiori, et impoſitis pannulis, et charta maſticata, et ipſo etiam inſtrumento ferreo, quod ſupra, ad herniam ſacci lacrymalis curandam, commendauimus, hic minimus tubulus in ſitu ſuo contineatur. Quando vero omnia eo directa ſunt, vt humor lacrymalis per hunc meatum, arte formatum, ad nares defluere incipiat, reliquum vero vulnus ad conſolidationem properet, tubulus mutatur cum cannula minori, (70) aurea, vel plumbea, quae nullam exterius oram habet, haec ita adaptanda eſt, vt eius orificium foramini aequale ſit, et oſſe bene fulciatur. Poſt haec cicatrix exteriori vulneri ita inducenda, vt haec cannula, ſupercreſcente carne ac integumentis, tegatur, et occludatur, id quod frequenti labiorum vulneris ſcarificatione, et impoſitis remediis, quae carnem augent, obtinetur; cauendum tamen eſt, ne

69) Vid. Fig. VIII. 70) Vid. Fig. IX.

ne cicatrix exteriora verſus inaequalis fiat et deformis. Poſt curatum vulnus vero, inſtrumentum ferreum per aliquot menſes adhuc geſtandum eſt, quo canalis in loco contineatur. Aeger etiam, quantum poteſt, a ſternutatione et vomitu abſtineat. Iuxta hanc methodum, ſi omnia bene obſeruantur, fiſtula lacrymalis perfecte curatur, nec oculus, poſt curationem, lacrymabitur. Quanquam enim, poſt aliquod tempus, quod interdum fieri ſolet, haec cannula tandem, ex quacunque corporis et capitis violentiori commotione, per fauces decidat, tunc tamen, quia nouus meatus iam efformatus eſt, et debite induratus, nullus amplius obturationis eſt metus, et omnia recte ſe habent, inprimis, ſi, quod ſupra monuimus, ſaccus lacrymalis debite et radicitus fuerit extirpatus. Qui vero, vel fiſtula, vel vlceratione ductuum lacrymalium, laborantes, hanc arduam extimeſcunt chirurgiam, iis leue quoddam ſubſidium eſt, ſi digito, exterius applicito, pus frequentius per puncta lacrymalia exprimunt, et ne hoc, diutius ſubſiſtens, acrius fiat, impediunt.

§. XXV. Iam vero quaedam de iis fiſtulis addenda, ſub quibus os carie infeſtatum reperitur. Illae autem, ſi vitium profundius haeret, et, vel orbitam, vel maxillam ſuperiorem, vel interiora narium, occupauit, difficilius, et prorſus non, ſanantur. Nam, vt CELSVS iubet, totum vitiatum, eximendum eſt. Leuiorem vero oſſis vnguis, et proxime adiacentium, cariem, varii variis remediis tentarunt, optime tamen illa, aut ſcalpello raditur, aut ferramento aduritur. Quando itaque illa os vnguis obſidet, hoc non pertundi, ſed cauterio, ad nares vsque, aduri, debet. Antequam vero ferramentum ignitum admouetur, oculus, ſplenio madefacto, et impoſita lamella argentea, quae, pro bulbo oculi excipiendo, aliquantum concaua, (71) ad illud vero latus, quo oſſi vnguis imponitur, foramine pertuſa, eſt, muniendus eſt. Haec ab adſtante famulo firmius ad oculum tenentur, chirurgus vero ſiniſtra admouet aliud inſtrumentum ferreum, Gallis

71) Vid. Fig. X.

infundibulum (72) (*entonnoir*) dictum, quod proxime ossi carioso, stilo viam monstrante, imponit; ferramentum ignitum (73) deinde per hoc immittitur, quae adustio tam diu continuanda, donec carioſum deletum est, foramen vero ad nasum usque pertingit. Cauendum tamen, ne interiora narium fortius aduranturtur, et radix narium ex incautà adustione destruatur. Etiam, quia infundibulum mox incalescit, ferramentum vero refrigescit, vtrumque duplex ad manus sit. Alterum enim frigida, alterum prunis, quae suppetant, imponendum est. Si aliquid cariei reliquum fuerit, illud scalpro radendum est. (74) Postquam squama crassior, quam adustio relinquit, abscessit, eadem in curatione obseruari debent, quae mox de fistula dicta fuerunt, quando vero caro luxurians chirurgum valde impedit, quae ossibus, carie vexatis, familiaris admodum est, hanc lenioribus septicis, inter quae et vitrum, in subtilissimum puluerem redactum, commendamus, coërceat.

§. XXVI. Vt vero haec etiam aliquo exemplo firmentur, nolo nunc experientiam Dn. de WOOLHOVSEN allegare. Sed vnicum saltem in medium proferre licitum erit, quo quondam, duce WOOLHOVSIO, cum erudito et rerum chirurgicarum peritissimo Dn. GLADBACH, Regis Magnae Brittanniae Chirurgo, tunc laborum socio, et amico, aestumatissimo, hac methodo fistulam, ab aliis saepius relictam, curauimus. Foemina XLV. annorum, MARIA CARBON, quam de St. YVES per decem menses sectione, et ipso cauterio, alius chirurgus per duos menses, tentauerant, impostores vero et circulatores, variis adminiculis, incantamentis etiam, adhibitis, postquam se tandem subtraxerant, hoc modo agendi, a nobis ad pristinam integritatem perducta est. Nec vllus postea lacrymarum per genas defluxus obseruari potuit.

§. XXVII. Breuissimis adhuc indicandum videtur, oculum lacrymantem etiam in iis oriri, quibus orificia, vel puncta meatuum

72) Vid. Fig. XI. 73) Vid. Fig. XII. 74) Vid. Fig. XIII.


Fig. I.
Fig. IV.
Fig. VI.
Fig. V.
Fig. VII.
Fig. XII.
Fig. XI.
Fig. II.
Fig. XIII.
Fig. X.
Fig. IX.
Fig. XIV.
Fig. VIII.
Fig. III.
Krügner sc.

tuum lacrymalium, iuxta palpebrarum cartilagines clauſa ſunt. Iis hoc vitium familiare eſt, qui igne fortiore metalla propius tractant. Nam calore et aeſtu tali intenſiore humidum lacrymale diſſipatur, vt nihil eius per vias lacrymales deſcendere queat, quare hae tandem collabefiunt, et ſibi agglutinantur, malum, niſi recens ſit, et vitae genus mutetur, largiori ſimul adhibito potu, non curatur. Vlceratio etiam meatus lacrymales minores aliquando exeſt, quae in palpebrarum membranis profundius ſerpit, et propter materiam, quam in oculum per punctum lacrymale ſtillat, fiſtulam mentitur: quo morbo Sereniſſ. Matrem Regis Sardiniae laboraſſe, ſupra indicauimus. Fiſtulae minores etiam, in ipſis extremitatibus palpebrarum, ex glandulis Meibomianis, exulceratis, oriuntur, in quibus omnibus cauendum, ne, vel ſecando, vel rodendo, orificium meatuum lacrymalium laedatur, et tonum ſuum ac robur perdat. Aliquando etiam in his leuis ſectio locum inuenit, alias remedia, quae vlcera abſtergunt, mediante ſeta porcina, immitti poſſunt. Oculus vero, et inprimis cornea, quando palpebris paulo fortiora adhibentur medicamina, muniri debet inſtrumento corneo, Gallis *emboitement* dicto, vel veſica aurifabrorum, axungia quadam imbuta, et bulbo impoſita. Reliqua peritum et prouidum chirurgum harum rerum vſus et exercitium facile docebit, nos, vt tandem huic diſſertationi finis conſtituatur, noſtraque conamina iuſtis rerum chirurgicarum aeſtimatoribus, et cuiuslibet lectorum beneuolentiae committimus, et commendamus.

EXPLICATIO FIGVRARVM.

Fig. I. *Syrinx Anelliana. (a) Orificium minimum. (b) Epiſtomium, in hac figura non nihil retractum.*

II. *Specilla Anelliana, quorum extremitates (a) globulis exiguis munitae ſunt.*

III. *Inſtrumentum ferreum, quod comprimendo ſacco lacrymali inſeruit. (a) Nodus, qui proxime tumori incumbit. (b) Ver-*

ticillum. (c) Trochlea, qua nodus (a) fortius admouetur. (d) Crus ſuperius, quod in frontem adſurgit. (e) Vncus, cum quo ligamentum, (f) ex corio confectum, connectitur, vt ſic inſtrumentum in capite firmetur. (g) Faſcia ſerica, qua corium circumuolutum eſt.

Fig. IV. *Scalpellum falcatum.*

V. *Scalpellum, quo Petitus vtitur. (a) Scalpellum anceps myrtiforme. (b) Scalpellum rotundum & obtuſum, ad remouenda integumenta, & dilatandum vulnus. (Gallis Dechauſſoir.)*

VI. *Inſtrumentum, quo os lacrymale pertundi poteſt. (Pouſſoir.)*

VII. *Specillum ſulcatum, (ſonde creuſe) quo commode os lacrymale perforatur. (a) Cuſpis & latera cultellata.*

VIII. *Cannula argentea, ora (a) inſtructa, qua foramen apertum tenetur.*

IX. *Tubulus plumbeus, qui in naribus relinquitur, & integumentis faciei obtegitur. (a) Orificium ſuperius, quo lacrymae ex meatibus lacrymalibus excipiuntur, (b) inferius, quo lacrymae ad nares vehuntur.*

X. *Lamina argentea, qua oculus munitur, quando os cariosum aduritur. (a) medium eius, quod cauum eſt, pro excipiendo bulbo oculi, (b) foramen, quod angulo interno oculi reſpondet, & per quod cauterium applicatur.*

XI. *Infundibulum ferreum (entonnoir,) quo ferramentum ignitum excipitur.*

XII. *Ferramentum, quo, ignito, os aduritur.*

XIII. *Scalprum, ad rodendam cariem.*

XIV. *Nouum inſtrumentum, a Woolhouſio inuentum, quo cornea in chirurgia hypopii commode perforatur. Mentionem eius facit Celeberr.* HEISTERVS *in Chirurgiae Edit. Nou. pag. 526. Figura vero deſideratur. (a) Cuſpis triangularis, & ad ſuperiora paululum reflexa, ne iridi vis inferatur.*

DIS-

DISSERTATIO II.
DE SCARIFATIONE OCVLORVM
PVBLICE PROPOSITA.

D. X. SEPTEMBR. clɔ lɔ CCXXVIII

RESPONDENTE

M. FRIDER. CHRISTOPH. PRAETORIO.

PROOEMIVM.

Lites, quae a multis annis, inter hiſtoriae literariae ſcriptores, de veterum et recentiorum praeſtantia, non ſine magna contentione agitatae fuerunt, iamdudum etiam ad noſtras Medicorum ſcholas peruenerunt. Sunt enim non pauci priſcae vetuſtatis nimii aeſtimatores, qui veteribus et primis artis ſalutaris conditoribus omne praeconium deferunt, et illis omnibus numeris abſolutam medendi peritiam, imo abditarum prorſus rerum, et nobis iamdum ignotarum cognitionem temere tribuunt. Alii ad mathematicorum et chemicorum in corporum naturalium proprietatibus ac principiis indagandis ſolertiam, ad anatomicorum corpora attificioſe ſecandi dexteritatem, ad medicamentorum, ex vltimarum gentium terris allatorum, copiam, illorumque ſplendidam, et operoſius, chymica arte, factam, praeparationem, ad Botanices ſtudium, his temporibus ſumma Celeberrimorum Virorum induſtria cultum, exoticis plantis locupletatum, nouo ordine variaque methodo diſpoſitum, vt alia taceamus, prouocant; quibus probare laborant, recentioribus omnem laudem deberi, priſcorum vero autorum volumina ad bibliothecarum pulueres, et ſordes, eſſe relegenda. Noſtrum non eſt, has lites componere; quilibet tamen videt, mediis conſiliis ſtare prudentiores. Negandum enim non

non eſt, illis, quas mox allegauimus, aliisque acceſſionibus medicam artem auctam, et longe ſplendidiorem factam, fuiſſe; dari etiam noſtra aetate viros, doctrina, conſilio, et conſummata in medendo prudentia, pollentes, qui veteribus palmam omnino eripere poſſunt; medicinam etiam noſtris temporibus a multis commentis fabulisque repurgatam fuiſſe, vt alia, quae in noſtri ſeculi laudes vberius afferri poſſent, ſilentio praetereamus: Hoc tamen extra dubium poſitum eſſe arbitramur, veteribus etiam ſuas laudes deberi, tum, quod dulce eſt, rerum primordia noſſe, tum, quod, MARTIALI teſte:

Multum, crede mihi, refert a fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro, quae ſtupet vnda, lacu.

Qui enim priſcae Medicinae antiſtites paulo ſtudioſius legit, is, et nobis tacentibus, profitebitur, multa in his reperiri, quae, ex vetuſtatis ſqualore collecta, ad rem medicam illuſtrandam, ac morborum ſaepe tenaciſſimorum medelam inſtaurandam, egregie faciunt. Raro enim ab his veritas commentitiis obſeruationibus, et fictis medendi modis, contaminata fuit, qualia ſaepe noſtris temporibus, ne quid de ſua exiſtimatione deperdat hypotheſis, ab opinioſiſſimis doctoribus magna libidine finguntur, maiori audacia proferuntur, et maxima contentione defenſitantur. Multa etiam in his abſcondita, profundae vetuſtatis caligine obducta, latere, certum eſt, quae eximiam in tuenda et reſtauranda valetudine afferre poſſent vtilitatem, ſi denuo in vſum vocari commode poſſent. Sed vero obſtare videtur, et aetatis noſtrae meticuloſa mollities, quae paulo acerbiorem medelam, deſperatioribus quandoque morbis adhibendam, recuſat, et veterum auctorum lectio adeo impedita. Dolendum ergo eſt, veterum codices, prae reliquis vero medicos, truncos, mutilos, lacerosque, et librariorum iniuria valde deprauatos, ad nos peruenisſe, nec iis emendandis linguarum peritos tantam curam impendiſſe, ac aliis autoribus. Accedit, interpretes illorum, vel Graeci et Arabici ſermonis, vel

rerum

rerum medicarum non ſatis gnaros, rudes, aut minus exercitatas, manus his codicibus admouiſſe, vt ſic et hinc multa, eorum, qui de medicis rebus commentati ſunt, haud intelligantur. Plura huius veritatis documenta allegare poſſemus, maxime ex iis, quae ad efficaciorem, quae manibus exercetur, Medicinam attinent, in qua veteres omni cura ſtudioque verſati ſunt. Commode tamen nos hoc labore ſuperſedere poſſe exiſtimamus, poſtquam Celeberr. FREINDIVS, cuius praematurum obitum cum toto orbe literario lugemus, in eleganti, quam haud ita pridem edidit, Medicinae Hiſtoria, plura, a recentioribus neglecta, expoſuit, alia veteribus vindicauit. Conſtitutum tamen nobis eſt, ſpecimen neglectae cuiusdam oculorum chirurgiae dare, de ſcarifatione illorum acturi. Illam diſertis verbis ab HIPPOCRATE deſcriptam, nec aliis, Graecis, Arabibusque, ignotam, a recentioribus vero ad noſtra vsque tempora obliuione prorſus obliteratam fuiſſe, dubio caret: Illud vero ideo ſine dubio factum eſt, quod et HIPPOCRATIS interpretes libellum de viſu, propter inexpugnabilem, quae ipſis viſa fuit, obſcuritatem, ad ſpurios allegare maluerunt, quam textui lucem debitam afferre: Forte etiam temerarium ac crudele viſum eſt, oculos cruentare. Hoc tamen chirurgiae genus a Celeb. WOOLHOVSIO, de quo, an propter rerum ophthalmicarum, an propter Graecarum litterarum, peritiam, et ſedulam veterum lectionem, maiorem laudem mereatur, dubium eſt, feliciter reſtitutum fuit. Hic enim non ſolum FOESII et LINDENII interpretationem emendauit, ſed et inſtrumentum excogitauit, quo iam haec chirurgia commode exercetur. Norunt vero omnes, qui WOOLHOVSIVM frequentarunt, quanto olim ſtudio et inſtrumentum et ipſam enchireſin celauerit; quanto autem deſiderio, non ſolum Pariſiis, ſed fere per totam Europam, vtrumque fuerit expetitum, variumque in modum fruſtra imitatione tentatum, conſtat. Cum vero hac ſalubri chirurgia grauiſſima ſaepe oculorum vitia ſanari queant, illa vero iam pluribus nota ſit, ſperamus, pace laudati Domini de WOOLHOVSEN,

fieri posse, vt illa paulo studiosius exponatur; id quod ideo a nobis factum est, vt commilitonibus disputandi materiam praebeamus, et simul hanc enchiresin vtilissimam frequentiori exercitio commendemus. Ita vero circa hanc rem versabimur, vt huius scarifationis historiam paulo altius repetamus, textum HIPPOCRATIS ab erroribus vindicemus, et tandem ipsam enchiresin, et tempus, quo illa exercenda est, et vtilitatem, quam in variis morbis impertiri solet oculis, haud omissis iis, in quibus spem fallere videtur, experientia edocti, ingenue recensеamus. D. D. F!

§. I.

Scarifare, vel, vt vulgo scribitur, scarificare, est vocabulum ex Graeco in Latinum, aliumque deinde, sermonem, flexum. Τὸ enim σκάριφος festucam, stylum, et, HESYCHIO teste, ξέσιν γραφῆν, et τὸ σκαριφᾶσθαι, ξέειν, σκάπτειν, γράφειν designat. Constat tamen, hoc vocabulo rarius, vel nunquam, vsos fuisse Graecos medicos. In his enim scarificare per τὸ καταχρέειν (1) σχάζειν et σχάσαι (2) ἀποσχάσαι (3) καταχάζειν (4) ἐγχαράττειν (5) ξυγχαράττειν (6) scarifatio per τὸ καταχασμὸς (7) ἐγχάραξις (8) exprimitur. Ex Latinis scriptoribus CELSO nunquam, saepius PLI-

1) HIPPOCRATES *de Medico Edit.* LINDEN. *T. I. pag. 48.*

2) GALENVS *in Comment. II. in Hippocr. de fracturis Text. XIIX. T. XII. Edit.* CHARTER. *pag. 198.* Confer. eiusd. GALENI *Dict.* HIPPOCRATIS, *qui Lib. VI. Epidemicor. Sect. V. T. I. Edit.* LIND. *pag. 811.* iubet σχάζειν τὰς ἐν τοῖσιν ὠσὶν ὄπισθεν φλέβας, vbi GALENVS τὸ σχάσαι per τὸ ἀμύξαι explicat.

3) GALENVS *de Valetud tuenda L. IV. Cap. IV. T. VI. p. 120. et L. XIII. de Method. Med. Cap. V. T. X. p. 296.* ARETAEVS CAPPADOX *de Curat. acutor. morbor. L. I. Cap. X. Edit. Oxonienſ.* IOH. WIGAN. *p. 103.*

4) GALEN. *L. de Hirudin. Cap. IV. T. X. p. 455.*

5) *Eod. l.* et PAVLVS AEGINETA *L. VI. Cap. XLI. p. 190. Edit. Basil.* GEMVSAEI *de anno 1538.*

6) ARETAEVS *de Curat. morbor. diuturnor. Cap. II. p. 129.*

7) PAVLVS AEGINETA *l. c.*

8) ARETAEVS *l. c. L. I. Cap. II.*

PLINIO, (9) nec non COELIO AVRELIANO, (10) hoc vocabulum familiare fuit. Viri Celeberrimi vero notarunt, latinius dici, *ſcarifare* et *ſcarifatio*, quam *ſcarificare* et *ſcarificatio*. (11) His temporibus hoc vocabulum, ſcholis medicis fere proprium factum, non ancipitis poteſtatis eſt, ſed illud chirurgiae genus denotat, quo partes ſolidae molliores corporis frequenti magis, quam magna et alta ſectione ſauciantur.

§. II. Scarifationem hanc veteribus commendatiſſimam fuiſſe, illorum monumenta teſtantur, quam tamen vario modo exercuerunt. Graeci inflictis maioribus et profundioribus vulnuſculis ex parte, quam, prius tepida lotam leuiter percutiebant, igni admouebant et ligatura ſtringebant, ſaepe plus ſanguinis detraxerunt, quam ex ſecta vena. Hanc ſcarifationem malleolis et ſuris prae aliis partibus adhibebant, quam rem et GALENVS, (12) et ORIBASIVS, (13) ex ANTYLLO et APOLLONIO, nobis reliquerunt, et hic teſtatur, quod ſe ipſum, peſtilenti aliquo morbo in Aſia correptum, hoc praeſidio curauerit, extractis duabus libris ſanguinis ex ſuris. In Arabum ſcriptis nullum fere veſtigium huius chirurgiae reperiri, praeter FREINDIVM, teſtatur IOH. BAPTISTA CORTESIVS; (14) ALBVCASIS tamen, quem FREINDIVS allegat,

 obſcu-

9) PLINIVS *Hiſtor. Natural. L. XXXII. §. 26. Cap. VII. T. I. Edit.* HARD. *p. 584* et *L. XXIIX. §. 49.* dicit gingiuas ſcarificare. *L. XXXVII Cap. XII. §. LXXVI. T. II. p. 796.* loquitur de gemmis obſidianis, quod veras gemmas haud ſcarificent; id quod mox etiam per ſcalpere exprimit. Alibi L. XIIX. Sect. XXXIX. Cap. XV. fenum graecum ſcarificatione ſeritur i. e. Harduino interprete, proſciſſa leuiter tellure, nec alte arata. *L. XXII. Cap. XXIII. T. II. p. 182* legitur circumſcarificare i. e. per ambitum et ſuperficiem ſcindere.

10) COELIVS AVRELIANVS *de Morbis Acutis L. I. Cap. XI. p. 31. Edit.* ALMELOVEN.

11) Vid. HARDVIN. ad ſupra allegata loca PLINII, et SALMASII *Exercitat.* PLINIAN. *in* SOLINVM. *T. I. p. 416.* qui, in codicibus ſcariphare legi, probat. THEODORVS PRISCIANVS teſte eod. HARDVINO *ad L. XVII. Cap. XXVII.*. primus ſcarificare ſcripſit.

12) *De Hirudinibus etc. Cap. IV. T. X. p. 455.*

13) *Collect. Medicinal. L. VII. Cap. XIX. et XX. In Collect.* H. STEPHANI. *Conf.* FREIND *Hiſt. Medicin. P. I. p. 8.*

14) *In Miſcell. Medicinal. Meſſinae, 1625. edit. Decad. VII. p. 381.*

obſcurius de profundiori et iterata crurum ſcarifatione loquitur. (15) Aegyptii vero hanc chirurgiam, quam ſine dubio a Graecis acceperant, haud neglexerunt, ſed illam grauiſſimis morbis adhibuerunt, et phlebotomiae praetulerunt. Hoc ad minimum certum eſt, illam recentioribus vſu veniſſe, id quod teſtantur duo medici, qui, per plures annos in Aegypto morati, hunc ſanguinem mittendi modum, oculis et mentibus noſtris ſubiecerunt, illumque ſummis laudibus ornauerunt. Sunt illi PROSPER ALPINVS, (16) et IOH. IACOBVS MANNVS. (17) Vix noſtris temporibus hac ſcarificatione vtimur, quae in corporibus obeſis, quando phlebotomum difficilius admittunt, non prorſus contemnenda eſſet, modo aegrorum, ad voluptatem magis, quam ad dolorem, compoſitorum, mollities, medicos ab illa haud prohiberet. Quando tamen in membro, maligno ſidere afflato, ſphacelus imminet, illud a chirurgis altius conciditur, et, vt loqui ſolent, ſcarificatur, id quod omnibus notum eſſe arbitramur.

§. III. Praeter hanc ſcarifationem altiorem, veteres, tum Graeci, tum Arabes, ſaepe, leuioribus ſectionibus factis, cucurbitularum ope ſanguinem extraxerunt. Magna tamen harum cucurbitularum fuit differentia. HIPPOCRATES (18) commendat haud ventroſam, ſed, parte ad manum vergente, prolixam, non grauem, quando reuulſionis cauſa adhibenda eſt, ſeu, vt loquitur, quando rheuma ab apparente carne procul compactum eſt; latum vero circulum deſcribentem, maiore dolore per carnem diſperſo

15) ALBVCASIS *L. II. C. XCVI. p. 183. Edit. Baſil. 1541.*

16) *De Medicina Aegyptiorum L. III. Cap. IIX.* vbi et figuram adiectam videmus.

17) *In Epiſtola ad* H. FABRICIVM *ab* AQVAPENDENTE data, *de Malleolorum ſcarificatione ex veterum ſententia, anno 1583.* impreſſa, ſub finem ita loquitur: ab eo igitur tempore, quo Deus Optimus Maximus praeſidii iſtius notitiam mihi conceſſit, minori diſcrimine, maiori vtilitate, facilitateque, multis aegrotis ſubueni, quod et medicos omnes, vt faciant, hortor et rogo. Huic contrariatur CORTESIVS: *l. ſ. c.* Qui non dubitat, hanc ſcarificationem carnificinae et crudelitatis titulo inſignire, exiſtimans, huic Graecorum ſcarificationi longe praeferendas eſſe Arabum cucurbitulas, ceu longe vtiliores, minusque periculoſas.

18) *De Medico l. c.*

ſperſo et magis diffuſo. Has cucurbitulas veteres ex cupro, vitro, cornu conficiebant, et mox in ſuperiori parte erant clauſae, ideo mediante igne corpori agglutinandae, mox apertae, quas chirurgus, ſpiritum ore adducens, et foramen cera obdurans, corpori aptabat. (19) Ipſius etiam ſectionis quaedam fuere differentiae: alia enim ſcarifatio κατὰ πληγὴν punctim, alia κατὰ συρμὸν caeſim, fiebat, vt alias differentias taceamus. Iaponenſium et Sinenſium acupunctura, quam hi populi omnibus morbis ſolam adhibent, et, in ea maximum momentum ad ſanitatem recuperandam poſitum eſſe, exiſtimant, ſcarifationis generibus commode adnumerari poſſet.

§. IV. Inſtrumenta quod attinet, quibus veteres vſi ſunt, HIPPOCRATES commendat μαχαίρια καμπύλα ἐξ ἄκρου μὴ λίην στενὰ, ſcalpellos incuruos in ſummo non valde anguſtos; qui forte iidem fuerunt, quibus mediantibus phlebotomiam exercuerunt. PAVLVS AEGINETA (20) mentionem facit inſtrumenti, tribus ſcalpellis inſtructi, quod cum eo forte conuenit, quo quidam ex noſtris balneatoribus vtuntur, ad quos ſcarificationis, cum cucurbitulis factae, exercitium tranſiit. (21) Sedecim vulnuſcula eo infliguntur; ideo tamen haud aptum eſſe videtur, quod in membris rotundioribus non aequalis fit ſectio, ſed in parte elatiori profundior, in decliuiori leuior, et quae vix ſummam cutis partem tangit. Haud recenſebimus morbos, quos, hoc ſanguinis profluuio excitato, ſanauerunt veteres, nec varias partes, quae ab Aegyptiis,

19) Vid. CELSVS *L. II. C. XI.* CAELIVS AVRELIANVS, qui de recorporatiuis, aliisque, generibus loquitur *L. II. morborum chronic. Cap. VII. p. 385.* et paſſim. Confer. ORIBASIVS *c. l.* qui argenteas ideo reiicit, quod vehementer igniantur. Figuras cucurbitularum vide in ALBVCASI *L. II. Cap. XCVI. p. 185.* Confer. CLERICI *Hiſtor. Medicin. p. 476. et 520*

20) *Lib. VI. Cap. XLI.* Τινὲς ἐπενόησαν ὄργανον πρὸς τοῦτο, τρία σμιλία ἴσα διαφέσεις ζεύξαντες ὁμοῦ, ὅπως τῇ μιᾷ ἐπιβολῇ τρεῖς γίνοιντο. ἀλλ' ἡμεῖς τοῦτο δύσχρηστον ἡγούμενοι, ἁπλῇ σμιλῇ χρησώμεθα. Ex quibus verbis clarum eſt, PAVLVM huius inſtrumenti inuentorem haud fuiſſe, vti exiſtimat Celeberr. FREINDIVS *in Hiſtor. Medicin. P. I. p. 88.* niſi forte, interpretis vitio, erratum fuerit. Nam Gallica verſione vtimur.

21) Vid. HEISTERI *Chirurg. Tab. IIX.*

gyptiis, teſte ALPINO, cruentatae fuerunt, quae alia occaſione ſtudioſius exponentur. De narium ſcarifatione notamus, illam ab ARETAEO iam fuiſſe deſcriptam, et in cephalaeae imprimis curatione commendatam, in quem finem duplici inſtrumento, quorum alterum κατειάδιον, alterum στορύνην appellat, vſus eſt: (22) hinc videmus, narium ſcarifationem, a Celeberr. STAHLIO (23) commendatam, etiam Graecis fuiſſe cognitam. Nuper oblatum fuit inſtrumentum, triplici cuſpide, mediante elatere mouenda, inſtructum, quod ſcarifationi narium inſeruire, et locum τῦ κατειαδείυ ἐυμηκέος, ſeu τῆς στορύνης ARETAEI, obtinere poteſt. (24)

§. V. Non raro ſcarifationis nomine quamuis partium dolentium et male affectarum cruentationem deſignarunt veteres: hinc

22) Verba ARETAEI *de Chronicorum Morborum Curatione L. II. Cap. II. de Cephalaea p. 128.* ſunt: Ες δὲ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέρην, αἷμα τῆς ῥινὸς ἔνδον ἀφαιρέειν, ὡς ἥκιστα παρωθῆται τὸ ὄργανον, Κατειάδιον ἔυμηκες, ἢ τὸ καλεόμενον Στορύνη. ἢ ἤν τις ἐλλιπῶς· πρὸς τάδε ἔχει, χηνὸς πτερὸν τῦ καυλῦ τῦ παχέος ἀπογλύψαντα, τάμνειν τὰ νεῦρα ἐς ὀδόντα ὄκως πρισῆρα. νηῒ τόδε ἐς ῥῖνα κατιένυ μέσφι τῶν ἰθμοειδῶν, ἔπειτα ἀμφοτέρησι χερσὶ κινέειν, ὡς ξυγχαράσσοιτο ὑπὸ τῶν ὀδόντων ὁ χῶρος. ῥηϊδίη δὲ νηῒ πολλῆ τῦ αἵματος ἡ φορή. Φλέβες γὰρ ἰσχναί τῇδε κραίνυσι, νηῒ τὰ σώματα μαλακὰ νηῒ ἔυτμητα. ἔασι δὲ νηῒ τοῖσι δημότῃσι πολλοὶ τῆς ἐγχαράξιος οἱ τρόποι, νηῒ βοτάνῃσι τρηχείῃσι, νηῒ φύλλοισι δάφνης ξηροῖσι, ἐνθέντες τάδε, ἢ τοῖσι δακτύλοισι κινέειν ἐυτόνως. Κενώσαντα δὲ ὁκόσον χρὴ, (ἔστω δὲ πλῆθος ἐς κοτύλης τὸ ἥμισυ,) μάσσειν σπόγγοισι νηῒ ὀξυκρήτῳ, ἢ ξηρόν τι ἰσχνὸν ἐμφυσῶν κηκίδα, ἢ σχισὴν συρτηρίην, ἢ βαλαύσιον. Poſtero autem die, ſanguinem ex interioribus naſi partibus detrahito; quod fiat, immiſſo longo inſtrumento, quod *Cateiadion*, vel eo, quae *Storyne* E vocatur: vel, ſi quis haec non in promtu habeat, oportet anſerinae pennae, abſciſſo craſſo caule, neruoſam partem denticulatim, inſtar ſerrae, incidere, idque intra nares immittere, vsque ad oſſa ethmoidea, ac deinde vtraque manu agitare, vt a dentibus ſcarificetur locus; inde ſanguis facile et copioſe effluet: tenues enim illic venulae deſinunt, et caro mollis eſt, atque inciſioni opportuna. Alii multi ſunt apud vulgum ſcarificationis modi: vti herbis aſperis et aridis, lauri foliis, quae naribus immittuntur, digitisque fortiter dimouent. Vbi vero, quantum ſatis fuerit, euacuaris, (quod erit heminae dimidium,) nares ſpongiis ex poſca detergendae ſunt, vel iis aliquid ex aridis medicamentis, quae ſanguinem ſupprimunt, inſpirandum, vt galla, vel alumen ſciſſile, vel balauſtium.

23) In progr. *De narium Scarificatione Aegyptiaca.*

24) Obſcurae ſunt originis haec vocabula, quorum etymologiam, nec STEPHANVS, nec forte alius lexicographorum, tentauit. CI. WIGAN *in ſplendida Oxonienſi editione in notis ad varias lectiones* τὸ στορύνη deriuare videtur ἀπὸ τῦ στόρθη, quod, HESYCHIO teſte, τὸ ὀξὺ τῦ ὄρατος νηῒ ἐπιδορατὶν ſummam haſtae cuſpidem, ſeu mucronem, denotat; quae Criticis excutienda relinquimus.

hinc PLINIVS odontalgia laborantes dentes iubet ſcarifare, mox alio dente hominis vi interemti, (25) mox oſſe, acui ſimili, quod in latere leporis reperitur, (26) canino dente ſiniſtro maximo, aut oſſe draconis ex ſpina: item enhydridis, ſive colubri, in aqua viuentis, oſſibus lacertae e fronte luna plena ita exemtis, ne terram attingant, nec non officulis gallinarum in pariete ſeruatis, fiſtula ſalua proiectoque officulo, (27) paſtinacae denique radio; (28) quae omnia tamen, ſi efficaciam ſpectes, difficiliora ad fidem eſſe videntur. His non merito adnumeramus dentis dolentis et gingiuae ſcarifationem, quae ligno, quod fulmen tetigit, fieri ſolet, quam recentiores nonnulli extollunt. Noſtra oculorum ſcarifatio ad cruentationem talem omnino referenda eſt.

§. VI. Supra monuimus, illam iam ab HIPPOCRATE laudatam, a Cl. WOOLHOVSIO vero, qui primus verba HIPPOCRATIS recte intellexiſſe videtur, reſtitutam, nouoque inſtrumento, quod adornauit, perfectam, fuiſſe, (29) HIPPOCRATIS verba leguntur in libello περὶ ὄψιος, ſeu de viſu. Notum eſt, hunc libellum haud in genuinorum HIPPOCRATIS foetuum numero putatum fuiſſe: quare etiam MERCVRIALIS, (30) qui quatuor claſſes librorum HIPPOCRA-

25) PLIN. *Hiſtor. Natural. L. XXIIX. Cap. I. T. II. p. 444.*

26) *Eod. l. Cap. XI. §. 49. p. 473.*

27) *L. XXX. Cap. III. p. 25. Conf. L. XXXII. Cap. VII. p. 583.*

28) *L. XXXII. c. l.* notandum vero eſt, paſtinacam eſſe piſcis maritimi genus, cuius radium ſupra caudam eminentem adeo venenatum exiſtimat PLINIVS, vt eo nullum venenum detur exſecrabilius. *L. IX. Cap. XLIIX.* Confer. AELIANVS de natur. animal. *L. I. Cap. LVI. et L. II. Cap.* L PLINIVS haec et plura exſcripſit ex DIOSCORIDE, qui *L. I. Parabilium Cap. LXX. p. 18. edit. Wechel.* ita loquitur: ὠφελεῖ τὲ ὀδονταλγίας ἐνεργῶς τριγόνος θαλασσίας κέντρῳ τῷ ἄκρῳ παραιρέιβων τὸν ἀλγοῦντα ὀδόντα. Lapſus itaque eſt doctiſſimus medicus MARC. AVRELIVS SEVERINVS, qui *in Chirurgia Efficaci P. I. Cap. VII.* haec loca ex PLINIO et DIOSCORIDE allegat; per paſtinacam vero plantae notiſſimae radicem intelligit, forte tamen etiam et hic error typothetarum negligentiae debetur. Paſtinacae piſcis deſcriptionem vide in Theatro Vniuerſali Animal. IONSTONII a *Cl.* H. RVYSCHIO *edito T. p. 19.*

29) Vide WOOLHOVSII *Diſſert. Ophthalmicas de Cataracta et glaucomate anno 1719. latino ſermone a le Cerf publicatas. p. 336.* nec non programma PRAESIDIS *de Chirurgia artis medicae parente.*

30) *In Cenſura de* HIPPOCRATIS *Operibus Baſil. 1584.* cum aliis opuſculis impreſſa.

CRATIS conſtituit, hunc ad poſteriorem et illam quidem refert, quae vere ſpurios, hoc eſt dictione, ſententiis, et doctrina, ab HIPPOCRATE penitus alienos, continet. Exiſtimat etiam, hunc libellum eiusdem farinae eſſe, ac illos de exſectione foetus, corde, dentitione, virginibus, qui inter ſpurios omnes collocari debeant, non ſolum quod illorum teſtimonio nemo vtatur, verum etiam quia abſurda non pauca, et ab Hippocratica grauitate atque doctrina aliena, habeant. Nolumus iam diſputare, iure, iniuriaue, haec fiant; hoc tamen extra dubitationem poſitum putamus, ſaepe illa, ob rerum deperditarum obſcuritatem, ob librariorum, qui veteribus codicibus ſcribendis mercenariam et negligentiorem operam adhibuerunt, vt et eorum, qui Graeca in Latinum tranſtulerunt, aberrationes, abſurda videri, quae, ſi intelligerentur, eximia laude et imitatione digna forent. Eius rei vel ipſe iam paulo curatius explicandus textus praebere poteſt documentum; verba ſic leguntur: (31)

ὅταν δὲ ξύῃς βλέφαρα ὀφθαλμῦ, ξύειν ἐρίῳ μηλησίῳ, ἔλῳ, καθαρῷ, περὶ ἄτρακτον περιειλῶν αὐτὴν, τὴν ϛεφάνην τῦ ὀφθαλμῦ φυλασσόμενος, μὴ διακάυσῃς πρὸς τὸν χόνδρον. σημεῖον δὲ ὅταν ἀπόχρη τῆς ξύσιος, ὐκ ἔτι λαμπρὸν αἷμα ἐξέρχεται, ἀλλὰ ἰχὼρ αἱματώδης, ἢ ὑδατώδης. τότε δὲ χρὴ τινὶ τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, ὅκῃ ἄνθος ἐϛὶ χαλκῦ, τϛτέῳ ἀνατρίψαι.

In LINDENIO haec verba Latine reddita ſic leguntur:

„Quum vero palpebras oculi raſeris, lana mileſia, criſpa, pu„ra, circum fuſum obuoluta, radito, ipſam oculi coronam vitando, „vt ne ad cartilaginem vſque peruras. Signum autem ſufficientis „raſurae eſt, ſi non amplius ſplendidus ſanguis exit, ſed ſanies cru„enta, aut aquoſa. Tunc vero liquido aliquo medicamento, in quo „flos aeris eſt, defricare oportet.„

Nos itaque τὸ ξύειν HIPPOCRATIS per ſcarifare interpretari haud dubitamus. Vulgo quidem radere, ſcabere, fricare, denotat:

31) Edit. Frobenian.

tat: vnde illud notiſſimum: τὸν ξύοντα ἀντιξύει ὄνος, mulus mulum fricat. Hic vero cruentam raſuram intelligi debere, non ſolum inſequentia verba, ſed et HESYCHIVS teſtatur, qui, vt ſupra iam notauimus, τὸ σκαριφᾶσθαι per τὸ ξύειν explicat.

§. VII. Palpebras ſcarifare iubet HIPPOCRATES, quarum artificioſiſſima eſt ſtructura. Situs, numerus, et, cui deſtinatae ſunt, vſus, omnibus cognitus eſt; de partibus vero, ex quibus compoſitae ſunt, plus ſemel inter anatomicos diſceptatum fuit. Integumenta habent ſic dicta communia, vt reliquae partes: cutim, propterea, quod mobilis et plicatilis eſſe debuit, valde tenuem; nullum vero panniculum carnoſum, vt VERHEYENIVS tradidit, (32) quem ideo Cl. HEISTERVS merito reprehendit. (33) In primis vero anatomici diſſentiunt circa muſculos, ex quibus palpebrae compactae ſunt. Vulgo duo numerantur, quorum alter, orbicularis dictus, vtrique palpebrae communis eſt, et operiendo oculo inſeruire dicitur; alter vero, qui in fundo orbitae principium habet, ſub priori latet, et, in tarſum inſertus, ſuperiori palpebrae proprius eſt, cuius eleuator dicitur. Tertium nonnulli addunt anatomici, inferiori palpebrae proprium, depreſſorem dictum, qui, vt ex tabulis anatomicis, a LANCISIO editis, (34) cognoſcere licet, iam EVSTACHIO notus fuit, quamquam in explicatione, a LANCISIO addita, nulla eius mentio fit. Qui GALENVM (35) ſecuti ſunt, putauerunt, in vtroque cantho ſitum eſſe muſculum, quorum alter maioris canthi, palpebras deorſum, alter minoris anguli, ſurſum, moueat; ex quorum numero ſunt AVICENNA, (36) CARPVS BEREN-

32) *In Anat. Tract. IV. Cap. XIV. p. 242.*

33) *In Compend. Anat. Praefat. edit. recentiſſ. p. 19.*

34) *Tab. XLI. Fig. I.* quam allegat Cl. BOERHAAVIVS *Inſtitut. Medic.* §. *510.*

35) *De vſu partium L. X. Cap. IX. T. IV. p. 541*, vbi multa de his diſputat.

36) *L. I. Fen. I. Doctr. V. Cap. V. p. 49. edit. Iuntar.* differt tamen AVICENNA a GALENO. Nam ſuperiori palpebrae eleuandae peculiarem muſculum tribuit; duos vero muſculos, quos cum GALENO in vtroque angulo ſibi imaginatus eſt, claudendis palpebris deſtinatos eſſe, credidit.

RENGARIVS, (37) nec non magnus, et anatomicorum fere princeps, VESALIVS. (38) GALENVM vero et VESALIVM primus correxiſſe videtur REALDVS COLVMBVS, (39) qui ſex palpebrarum muſculos, tres in vtraque, numerat: orbicularem, et duos palpebrae ſuperioris eleuatores. Videtur vero hic oculatiſſimus anatomicus trochlearem, ſeu obliquum maiorem, ad palpebrarum muſculos tranſtuliſſe. Numerus muſculorum magis auctus fuit a IOH. RIOLANO, filio, (40) qui, praeter leuatorem, palpebram ſuperiorem mouentem, tres orbiculares ſtatuit. Nam geminum facit orbicularem, et vnicuique palpebrae ſuum tribuit; id quod ex neruorum, in illas implantatorum, diuerſo ortu, nec non ex cynico faciei ſpaſmo, et partibus conuulſiuo motu affectis, probare ſtudet, quibus adhuc addit minimum muſculum, quem ciliarem appellat, qui vtramque palpebram orbiculatim cingere, tarſi tamen longitudinem haud excedere, dicitur. Non multum abludit ab hoc recentiſſimus anatomicus, qui magnum, forte nimium, in muſculorum numero augendo poſuiſſe videtur ſtudium, IOH. DOMINICVS SANTORINVS, in Lyceo Veneto Anatomiae Prof. Publ. (41) Is enim contra celeberrimorum anatomicorum figuras monet, muſculos frontales non omni ex parte oculorum orbicularibus eſſe ſubiectos, ſed exteriorem ac ſuperiorem fibrarum, ex quibus orbicularis conflatus eſt, ſeriem, ſub frontali ad interiorem oculi canthum moueri; haud tamen ad hunc pertingere, ſed in ſupercilia implantari, quas fibras, ab orbiculari ortas, verum ſupercilii corrugatorem conſtituere, contra HEISTERVM, exiſtimat, qui corrugatores a frontalibus deducit. (42) Praeterea multis demonſtrare labo-

37) *In Iſagoge in Anatom. human. corpor. Bonon. 1523. edita p. 58.*

38) *De Corpor. Human. Fabrica L. II. Cap. IX. T. I. p. 195. edit. nouiſſ.* nec non *in Epitome, quam* NICOL. FONTANVS *cum annotation. edidit p. 45. in tertia muſculorum tabula,* vbi horum muſculorum coalitus in media ſuperioris palpebrae parte cernitur.

39) *De Re Anatomica L. V. Cap. IIX. edit. Venet. 1549. in Fol. impreſſa p. 123.*

40) *In Anthropograph. L. V. Cap. X. p. 307.*

41) *In Obſeruatt. Anatom. 1724 editis Cap. I. p. 7. ſeqq.*

42) Confer. HEISTERI *Compend. Anatom. p. 161.*

laborat, alium esse orbicularem externum, crepidini orbitae adnatum, et vtramque palpebram ambientem, alios esse musculos interiores, palpebris impositos, quos non ex fibris, in orbem ductis, sed rectis, et arcum describentibus, conflatos esse existimat. Fibras etiam horum musculorum in cantho externo, non in orbem continuari, sed, decussatim positas sibi implicari, putat. Ciliarem vero musculum RIOLANI cum aliis negat; quam nouam horum musculorum diuisionem, intenta acie, vt ipse autor monet, indagandam, anatomicorum solertiae relinquimus. ADRIANVS etiam SPIGELIVS (43) iam orbicularem in duos, superiorem et inferiorem, diuisit. Accuratior horum musculorum, et fibrarum, ex quibus coaluerunt, cognitio, ideo necessaria est, quod in varia harum partium chirurgia, sectione imprimis tumorum cysticorum, multum refert, si sectionem ad fibrarum ductum dirigas. Sic etiam tendo, quem iuxta nasi radicem ex orbiculari formatum videmus, attentionem meretur. Quando enim is, id quod in fistulae lacrymalis chirurgia fieri potest, incauta manu aufertur, ectropium, inferioris palpebrae vitium, relinquitur. Sunt tamen nonnulli, qui hoc vitium, non tam a secto tendine, quam ab integumentis, vel cultello, vel ferro candente, prorsus ad illam partem ablatis, qua palpebrae sibi inuicem committuntur, proficisci existimant. (44) De inferioris palpebrae depressore adhuc addimus, illum, ex inferiori et externo orbicularium ortum, et in leuatorem labii superioris, qui alias incisor dicitur, continuatum, delineari a SANTORINO, (45) qui etiam distinctum motum inferioris palpebrae in monstroso infantis capite obseruauit. (46)

§. IIX. Ad glandulas palpebrarum progredimur, quae triplicis generis esse videntur; id quod tamen sic intellectum volumus, vt carunculam, quae in cantho maiori conspicua est, et olim glan-

43) *De Hum. Corpor. Fabrica L. IV. Cap. V. p. 98. edit. Venet. 1627.*

44) Vid. PRAESIDIS *Dissertat. de Fistula lacrymali*

45) *l. c. Tab. I.*

46) *l. c. Cap. I. p. 11.*

dula lacrymalis minor dicta fuit, cum Celeberr. et oculatiſſimo anatomico MORGAGNO, ex glandularum catalogo proſcribamus; (47) praefracte quidem negare nolumus, et in hac caruncula, vt in aliis ſaepe partibus obſeruamus, minores acinulos, ſeu eiusmodi glandulas ſebaceas, haerere, quae lentum humorem ad exteriora fundunt. Pili enim, in hac caruncula conſpicui, qui ſic dictis ſebaceis glandulis inhaerent, hoc probare videntur; ideo tamen ad veras glandulas, et lacrymarum fontes, haud referri meretur. Error enim, quem brutorum ſectio peperit, et anatomicorum negligentior credulitas diu ſatis fouit, a laudato MORGAGNO feliciter detectus fuit. (48) Illa vero glandula, in orbita iuxta externum canthum poſita, quae conglomerata eſt, diligentiorem conſiderationem meretur. Hanc veteribus non ignotam, nullo tamen peculiari nomine ab iisdem inſignitam, fuiſſe, certum eſt: quare et hodie glandulae innominatae titulo ſaepe diſtinguitur. (49) VESALIVS tamen hanc glandulam pro muſculo habuit, oculum aut palpebram attollente, (50) nec ab aduerſario, FALLOPIO, (51) monitus, hunc errorem ſatis correxiſſe videtur. (52) Inſequentibus temporibus haec glandula melius a THOMA WHARTONO; (53) omnium optime vero a NICOLAO STENONE, (54) ex ouillo

47) *In Aduerſ. Anatom. I. §. 22.* et *VI. Animaduerſ. 45. ſeqq.*

48) Vid. *l. c.* et imprimis *Tab. II. Fig. I. in Aduerſ. VI.* Confer Celeberr. RVYSCHII *Theſ. II. p. 56. Tab. I. Fig. III.* qui punctula excretoria huius glandulae ſic dictae obſeruauit, et illam ideo glandulis adnumerauit.

49) GALENVS *de Vſu partium L. X. Cap. XI.* Εἰς δὲ τὴν εὐκολίαν τῶν κινήσεων, καὶ δύο ἀδένες ἐγένοντο καθ' ἑκάτερον ὀφθαλμόν. Ὁ μὲν ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ὁ δὲ ἐκ τῶν ἄνω πόροις αἰθητοῖς εἰς αὐτὸν ἐκχέοντες ὑγρόν, ὅτιπερ εἰς τὸ σῶμα τὸ σίαλον ἐξοχετεύουσιν, οἱ παρὰ τῇ ῥίζῃ τῆς γλώττης ἀδένες. Ex GALENO hauſiſſe videtur BERENGARIVS *c. l. p. 59.* Inter coniunctiuam et ſcleroticam eſt notabilis pinguedo et caro glandoſa, ſuſcipiens humiditates, ſicut facit caro glandoſa radicis linguae, quas extra riuat interdum per naſum et per foramina, quae ſunt in palpebris, ante dicta, quibus mediantibus, tam pinguedine, quam humidiratibus, ſeruantur oculi ab exſiccatione.

50) VESALIVS *de Hum. Corp. Fabrica L. II. Cap. XI. T. I. p. 197.*

51) *In Obſeruatt. Anatom. p. 327. edit. Colon. de anno 1562.*

52) Vid. *Examen Obſeruatt. Fallopii p. 159. edit. Venet. de anno 1564.*

53) *In Adenographia Cap. XXVI. p. 182.*

54) *In Obſeruatt. Anatom. de Oris, oculorum et narium vaſis p. 87.*

ouillo tamen, vt ipſe fatetur, cadauere, vna cum ductibus excretoriis, fuit delineata; monuit tamen, cum aliis, Celeberr. MORGAGNVS, (55) ductus illos non adeo facile in humano cadauere demonſtrari poſſe, quamquam nullum dubium ſit, illos aeque in homine adeſſe, et lacrymalem laticem fundere. Nuper tamen SANTORINO (56) occaſio oblata fuit, hos ductus tenui ſpecillo, ex filio aeneo facto, quod, ſuſpenſa manu, ita admouit, ne viam faceret, ſed exploraret, inueſtigandi; id quod tamen, in magni capitis turgidiori glandula factum fuiſſe, fatetur. Hi minimi tubuli, ad palpebrae crepidinem, teſtante illud SANTORINO, aperti, quandoque plus humoris, quam, vt is lubricando oculo inſeruire poſſit, fundunt, et tunc, quia a punctis lacrymalibus non omnis abſorberi, et ad nares ferri, poteſt, inferiorem palpebram tranſcendit, et lacrymarum nomine per genas defluit. Hoc vero accidit, quando fibrae nerueae huius glandulae partiumque vicinarum criſpantur, id quod fumo, omnibus acrioribus oculo, nec non membranae pituitariae, admotis, fieri ſolet. Forte tamen difficilius ratio reddi poterit, cur animi affectibus, moerore aeque, ac gaudio repentino, inopinatoque, lacrymae effundantur. Niſi nos omnia fallunt, illud ex neruorum nexu explicandum eſſe videtur. Diaphragma, thorax, omneque fere corpus, motu quodam conuulſiuo, qualis eſt ſternutatio, concutitur, quando membrana pituitaria narium acrioribus afficitur, et his, tum neruorum olfactoriorum propagines, tum ramulus quinti paris, per hanc membranam diſperſus, conuelluntur, quando enim huius propagines agitantur, intercoſtalis, ex quinti et ſexti ramulis conflatus, et, quod cum hoc fere vbique intimius cohaeret, par vagum, qui nerui in vtroque latere, ad muſculos, reſpirationi inſeruientes, pertingunt, concutiuntur. (57) Hinc probabile videtur, neruos, quos glandula innominata ex rami prioris paris quinti

55) *Aduerſ. Anatom. I. §. 22. et VI. 34.*

56) *l. c. Cap. IV. pag. 79.*

57) Vid. BOERHAAVII *Inſtitut. Medic. §. 498.*

propaginibus nanciſcitur, (58) eo tempore, quando luctus, ve laetitia, in quam ſaepe animus effunditur, ſpiritum cohibet, cordisque motum turbat, ex male affectorum intercoſtalium et vagorum conſenſu criſpari, et ſic ſerum lacrymale exprimi. (59) Hic vero latex lacrymalis copioſior excernitur, quando ductus illi excretorii nimis laxantur; id quod ſuo incommodo experiuntur, qui mercurium vario opere tractant; inprimis vero, teſtante hoc WOOLHOVSIO, foemellae, quae, non naturali colore, ex ſanguine diffuſo, ſed illito fuco, ex cinnabari parato, placere ſtudent.

§. IX. Alterum glandularum genus illud eſt, quod palpebrae cum aliis pluribus corporis noſtri partibus commune habent. Sunt nempe illa minima organa excretoria, per palpebras, ſuperiorem maxime, hinc inde diſſeminata, quae, notante illud MORGAGNO, (60) in brutis facilius demonſtrari poſſunt, quam in homine. Subpalpebrales illas appellat, et ab iis diſtinguit folliculis, qui, prout in reliqua facie, inprimis in externa palpebrarum parte, haerent, atque formam ex variis tumoribus cyſticis, in his partibus oriundis, probat Celeberr. BOERHAAVIVS. (61) Conſtat quidem, haec vltima glandularum genera a Celeberr. RVYSCHIO, et, qui eum contra BOERHAAVIVM defendit, Celeberr. HEISTERO, (62) in dubium vocari, et ad glandulas haud referri, ſed pro vaſculorum ac neruorum plexibus ac papillis haberi; ſed litem, inter Celeberrimos viros ſumma cum modeſtia agitatam, noſtram quidem facere nolumus. Exiſtimamus tamen, plura glandularum genera dari, et tales minores folliculos, id quod a BOERHAAVIO factum legimus, (63) excretoriarum, vel ſebacearum, nomine appellari poſſe; ad priores palpebrales, internae, ad poſteriores, externae, commode referuntur. Superſunt tandem illae glandulae excretoriae, quae in vtraque palpebra, eleganti ordine iuxta tarſum

58) Vid. VIEVSSENS *Neurograph. L. III. Cap. 3. p. 71.*

59) Vide ex WILLISIO BRIGGESIVM *in Ophthalmographia. P. I. p. 116.*

60) *Aduerſ. I. pag. 9.*

61) *In Epiſtola ad* RVYSCH. *de Fabrica glandularum.*

62) *In Compend. Anatom. p. 222.*

63) *Inſtitut. Medic. §. 251. ſeqq.*

ſium poſitae, cernuntur, ad cuius limbum minora oſcula pertingunt. Dicuntur Meibomianae, quod illas HENR. MEIBOMIVS anno cIↃ IↃ CLXVI. in epiſtola ad IOELEM LANGELOTTVM data, anatomicorum oculis primus expoſuit; iure tamen hiſtoriae anatomicae peritiſſimus MORGAGNVS (64) ſuſpicatur, illa olim non prorſus incognita fuiſſe, quam ſuſpicionem Celeberr. viro forte CARPI BERENGARII verba afferre potuerunt. (65) Has glandulas, quas RVYSCHIVS *canaliculos, ſerpentino reptatu reptantes*, et cum arteriolarum extremis continuos eſſe, contendit, (66) MORGAGNVS ad ſebacearum claſſem retulit, fundunt illae humorem lentum, qui ex cadauere leuiori enchireſi exprimitur. Fontes enim ſunt illarum ſordium, quae in ophthalmiis palpebrarum limbos contaminant, quas Graeci λήμας vocarunt. Nonnunquam hae glandulae chronico vlcere exeduntur, et perodioſam ac chronicam lippitudinem oculis rubentibus, et prurientibus, inferunt; quale vitium a variolis ſaepe relinquitur.

§. X. Palpebrae interius, qua oculi bulbum reſpiciunt, tenui membrana inueſtiuntur, ex copioſiſſimis vaſculis ſanguiferis, modo dictis glandulis excretoriis, intertextis nerueis papillis, conflata, quam membranam Celeberr. RVYSCHIVS elegantiſſime, vt ſolet, adumbrauit. (67) Haec tenerior rubellà, et exquiſitiſſimo ſenſu praedita, tunica cohaeret, et cum tunica albuginea, et cum ipſo, quo orbita inueſtitur, perioſtio: qui harum partium nexus ideo notandus eſt, quod ex illo quaedam noſtrae ſcarifationis efficacia intelligitur. Superſunt tandem tarſi, ſeu minores illae cartilagines, arcus in formam flexae, quae palpebrarum opercula conſtituunt. Tenera inuoluta ſunt membrana, ſeu perichondrio, quae a palpebrarum tunica interna, modo deſcripta, proficiſcitur. Tarſorum in aperiendis et claudendis oculis neceſſitatem demonſtrant

64) *Aduerſ. I. p. 9.*

65) *Iſagog. Anatom. p. 58. Circa iſtam cartilaginem, quam* GALENVS *vocat tarſum, eſt aliqua pinguedo, humectans palpebras, neceſſitatis cauſa, ne exſiccentur propter ſuum fere motum continuum*

66) *Theſaur. X. p. 48.*

67) *Theſ. Anat. X. p. 10. et 48. Tab. III. fig. VI.*

ſtrant illorum laeſiones, vel violenta manu, vel igne, vel diuturna lippitudine, alioque modo, illatae, quas in entropio et ectropio imprimis videmus. Quare in omni chirurgia oculorum, noſtra etiam ſcarifatione, iubente illud HIPPOCRATE, cauendum eſt, ne illis quicquam offenſionis accidat. Pilis, ſeu ciliis, inſtructi ſunt limbi palpebrarum, tarſis ordinatim appoſitis, quibus mediantibus oculi a viuidiori luce, inſectis, aliisque rebus, quae illos offendere poſſent, prohibentur. Rigidiores ſunt pili, et peculiarem in modum flexi, quare, ſi diſtorti fuerint, grauiſſima oculis incommoda pariunt. Ex diuturna lippitudine et glandularum Meibomianarum exulceratione pili defluunt, qui poſterior morbus Μαθάρωσις et Μίλφωσις, prior vero Τριχίασις, vocatur. (68) Reliquas palpebrarum partes, imprimis illas, quae lacrymales vias conſtituunt, alibi fuſius deſcriptas, iam praeterire licebit.

§. XI. Cum HIPPOCRATE potius inſtrumentum conſiderabimus, quo palpebras ſcarifare ab eo iubemur. Si interpretes, FOESIVM, LINDENIVM, aliosque, ſequamur, textus craſſiſſimis occultatus eſt tenebris. Lanam enim Mileſiam circumuoluere debet chirurgus περὶ ἄτρακτον. Τὴν ξύσιν vero, ſeu partium, quamuis teneriorum, cruentam ſectionem, mediante lana, re adeo molli, exercere, forte idem eſſet, ac, ſi aquam ex pumice extorqueremus. Fuſus etiam, quo mulieres lanificia in fila fundunt, hebetior maiorque eſt, quam, vt tale quid illo perfici queat. Lana Mileſia nomen habet a Miletc, Ioniae vrbe, de qua vide STRABONEM: (69) quare etiam FOESIVS (70) exiſtimat, non μηληſίῳ, ſed μιλητίῳ, ἀπὸ Μιλήτου ſcribendum eſſe. Lanam Mileſiam inter molliores et optimas locum habuiſſe, varia a FOESIO ex HIPPOCRATE allegata loca, nec non PLINIVS, (71) et COLVMELLA, (72) teſtantur. Criſpam enim lanam tenerrimam eſſe, norunt artis lanificae docti: quare et hanc praeferre videtur HIPPOCRATES. Obi-

68) Vid. H. STEPHANI *Vocabul. Medic. expoſition. p. 3.*

69) *L. XIV. T. II. p. 941. edit.* ALMELOVENII.

70) *Oeconomia* HIPPOCRAT. *pag. 414.*

71) *L. IIX. Cap. XLIIX. p. 474.*

72) *L. VII. Cap. II. p. 152. edit.* ALDIN.

Obiter notamus, veteres medicos lana vſos fuiſſe, qua mediante vlceribus et vulneribus medicamina admouerent, in cuius locum hodie linteum carptum ſubſtituerunt chirurgi.

§. XII. In ἀτράκτῳ itaque quaerendae erunt cuſpides, ſcarifandis palpebris idoneae. Ἄτρακτος interpretes per fuſum reddunt. Fuſus eſt inſtrumentum notiſſimum, a filis, quae fundit, ſic dictum, quo, PLINIO teſte, (73) lanificia in fila tenuantur. Differt a colu, quae lanam ſuſtinet, id quod eleganter deſcribit CATVLLVS. (74) Haec inſtrumenta tamen ſaepe confundi, ita, vt ἄτρακτος ſubinde, et colum, et fuſum, denotet, demonſtrat HENR. STEPHANVS. (75) HIPPOCRATEM tamen, nec fuſum, nec colum, intellexiſſe, certum eſt. Vtrumque enim inſtrumentum huic chirurgiae haud aptatum eſt: itaque ἄτρακ[τ]ος hic idem erit, ac ἀτρακτυλὶς, quae planta, teſte GALENO, (76) eſt ex genere carduorum. Nomen inde duxit, quod ex ea olim agreſtes mulieres fuſum fecerunt, id quod probat SCHOLIASTES THEOCRITI: (77) quare forte, priſcis temporibus, ἄτρακτος et fuſum, et ipſam, ex qua is paratus fuit, plantam deſignauit. Hanc ſententiam firmare videtur alius HIPPOCRATIS locus, aeque ab interpretibus, vt videtur, haud ſatis intellectus. (78) Multum inter botanicos, tam veteres, quam

73) *L. XI. p. 604.*

74) *In Epithalamio Thetidis et Pelei p. 168. edit.* ISAACI VOSSII.

Laeua colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leuiter deducens fila ſupinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum.

75) *In Append. Theſ. G. L.* ſub vocabulo πῆνος *p. 1660.* Confer. *Commentar.* BODAEI a STAPEL *in* THEOPHRASTI *Hiſtor. Plantar. ad L. VI. Cap. IV. p. 617.* PLINIVM erroris accuſare videtur SALMASIVS *in Exercitatt. in* SOLINVM *p. 629.* quod THEOPHRASTI locum haud intellexerit, et τὸ πήνιον per colum reddiderit.

76) *De Medicament. ſimpl. Facultat. L. VI. Cap. I. n. 72. T. XIII. pag. 161.*

77) *Ad Eidyllion IV. p. 48. edit.* HEINSII. Ἀτρακτυλὶς εἶδος βοτάνης, ἢ ἀκάνθης. Εἴρηται δὲ ἀπὸ τῶ τὰς ἀγρόικων γυναῖκας, ἀτράκτους ποιεῖν ἐξ αὐτῶν.

78) *L. V. Epidem. Cap. XII. T. I. edit.* LINDEN. *p. 777.* Loquitur vero HIPPOCRATES de ancilla, quae, poſtquam multum porrum comederat, doloribus correpta, in orificio vteri, aſperum quiddam deprehendit, cui poſtea alia mulier

quam recentiores, de vera atractylide disputatum fuit. (79) Nobis sufficit, ἀτρακτυλίδα, cuiuscunque generis fuerit, esse herbam spinosam, quae radendis palpebris melius inseruire potuit, quam fusum, et veritati consentaneum videri, hanc plantam, propter etymon et vsum, ab HIPPOCRATE ἄτρακτον fuisse appellatam.

§. XIII.

lier καθεῖσα τὴν χεῖρα ἐξεπίεσε λίθῳ ὅσον σπόνδυλον ἀτράκτου τριχῆν, manum immittens, expressit calculum asperum, ad magnitudinem, non verticilli fusi, sed capitis cardui, seu ἀτρακτυλίδος. Τὸ enim σπόνδυλος, seu σφόνδυλος, ancipitem et multiplicem potestatem habet apud Graecos; inter alias tamen significationes, teste HESYCHIO τῶν φυτῶν πυθμένας, plantarum extrema, nec non surculos, ex radicibus progerminantes, designat. Vid. prolixe STEPHANI *Thes. G. L. T. V. p. 1742.* sub vocabulo πυθμήν, Optime vero hoc intelligitur ex loco GALENI *de Alimentor. Facultat. L. II. Cap. LI. T. VI. p. 363.* vbi περὶ κινάρας de cinara sic loquitur: οὕτως ἐσθίουσι τὰς οἷον κεφαλὰς αὐτῶν, ἃς ὀνομάζουσι σπονδύλους. Ex quibus verbis clarum esse arbitramur, σπονδύλους capita plantarum, quibus carduorum genera omnia gaudent, et σπονδύλον ἀτράκτου caput et summam partem atractylidis, non vero fusi verticillum, vti interpretes reddiderunt, denotare.

79) Imprimis contendere videntur: num DIOSCORIDES, num THEOPHRASTVS, veram atractylidis dederit descriptionem. DIOSCORIDES *de Medic. Mater. L. III. Cap. CVII. p. 219* hanc suppeditat delineationem: ἀτρακτυλὶς ἄκανθά ἐστιν ἐοικυῖα κνίκῳ, μακροτέρα δὲ πολλῷ φύλλα ἔχουσα ἐπ' ἄκρῳ τῶν βαβδίων. Τὸ δὲ πλῆον γυμνὸν τραχὺ, ᾧ καὶ αἱ γυναῖκες χρῶνται, ἀντὶ ἀτράκτου. ἔχει δὲ καὶ κεφάλια ἐπ' ἄκρῳ ἀκανθώδη. ἄνθος ὠχρόν. ῥίζα δὲ λεπτὴ ἄχρηστος. *Atractylis spina est, cnico similis, sed quae in summis virgultis folia multo longiora proferat: maior autem pars nuda est, et aspera, qua etiam foeminae pro colu vtuntur. Capitula etiam gerit in cacumine aculeata, floremque pallidum: radix tenuis est, atque superuacua.* Quem secuti sunt ORIBASIVS *Collect. Medicinal. L. XI. pag. 412. in Collect.* STEPHANI *Medicor. Principum.* Et PAVLVS AEGINETA *L. VII, Cap. III.* Aliam vero descriptionem dedit THEOPHRASTVS ERESIVS *in Hist. Plantar. L. VI. Cap. IV.* qui, postquam de Cnico syluestri et vrbano locutus est, et docuit ex vrbano a priscis mulieribus τὸ πήνιον, seu colum, fuisse confectam, ad atractylidem pergit, de qua sic loquitur: ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται καὶ λευκοτέρα τούτων. ἴδιον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, ὅτι ἀφαιρεύμενον καὶ τῇ σαρκὶ προσφερόμενον, αἱματώδη ποιεῖ τὸν χυλόν. διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν καὶ φονώδη. ὀψὲ δὲ καὶ τελειοῖ τὸν καρπὸν πρὸς τὸν μετόπωρον. τὸ δὲ ὅλον, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἅπασα ἡ ἀκανθικὴ φύσις, ἐπικαρπος. *Fusus (rectius carduus) agrestis his candidior est, habetque peculiare, quod in foliis euenit. Decerptum enim, et carni allatum, succum sanguineum effundit. Qua de causa φόνος i. e. cruor a quibusdam spina est haec nominata. Grauis etiam odore, cruoremque repraesentans, sero perficit Fructum. Autumno enim, et quidem in totum (vt summatim proponam) vniuersa spinaceorum natura fructus serotina existit.* Hunc THEOPHRASTI locum secutus esse videtur PLINIVS *L. XXI. Cap. XV. T. II. p. 248. Aegyptii maxime celebrant cnicon, Italiae ignotam; ipsis autem oleo, non cibo, gratam*

§. XIII. Poſtquam artis noſtrae parens inſtrumentum deſcripſit, etiam indicat, a quibus partibus in huius ſcarifationis exercitio cauendum ſit chirurgo. Primum mentionem facit τῆς στεφάνης τῦ ὀφθαλμῦ, ſeu coronae oculi. GALENVS (80) hanc deſcribit, quod ſit locus, in quo vniuerſae tunicae committuntur, quem alii iridem, alii coronam, vocant. Eſt vero ille oculi locus, vbi tunica adnata cum cornea, nec non iris, huiusque fibrae tendineae, cum hac, et ſclerotica, coaleſcunt, quam partem optime deſcribit GALENVS. (81) Haec pars ſenſu exquiſitiſſimo gaudet, maxime, vt videtur, propter fibrarum motricium, ex quibus iridem contextam cernimus, naturam: quare hic circulus in cataractae, hypopyi, aliaque chirurgia, ſedulo vitandus eſt. Eum quandoque peculiare vlceris genus exedit, aegris, propter acerbiſſimum doloris ſenſum, valde moleſtum, quod in circulum, et ad hanc

tam. Hoc faciunt e ſemine eius. Differentia prima ſylueſtris et ſatiuae. Sylueſtrium duae ſpecies: vna mitior eſt, ſimili caule, tamen rigido: itaque et colu antiqua mulieres vtebantur ex illis: quare quidem atractylida vocant. Semen eius candidum, et grande, amarum. Altera hirſutior etc. Multum itaque diſcrepant, notante illud SALMASIO *in Exercitt. ad* SOLINVM *p. 629. et de Homonym. Mater. Medic. Cap. LXXVI. p. 1012.* hae plantae DIOSCORIDIS et THEOPHRASTI. Qui plura de hac controuerſia legere volunt, euoluant MATTHIOLI *Commentar. in* DIOSCORID. *L. III. Cap. XCI. p. 593.* nec non MATTHIOLI *Apolog. aduerſus* AMATVM *Luſitanum p. 34. edit. Francof. anno 1598.* vt et, qui valde in AMATVM inuehitur, BERNARDVM DESSENNIVM *de Compoſit. Medicament. L. IIX. p. 115.* IOH. BODAEI a STAPEL *Commentar. in* THEOPHRAST. *l. c.* nec non SARRACENI *notas ad dictum locum* DIOSCORIDIS. Nec etiam his temporibus ſatis conſtat, cuinam plantae atractylidis nomen conueniat. Nam mox refertur ad cnici genera. Vid. TOVRNEFORT. *Inſtitut. Rei Herb. p. 450. Tab. 257.* et *in Hiſtor. Plantar. quae circa Lutetiam Pariſiorum naſcuntur, nuper* a DN. IVSSIEV *edita T. I. p. 323.* mox ad carlinae genera. Vide HERMANNI *Hort. Lugdun. Batau. p. 121.* et DODARTIVM *in Hiſtor. Plantar. pag. 3.* aliquando ad ſcolymos refertur. Forte a veritate non prorſus alienum eſt, priſcos ac primos rei naturalis medicaeque ſcriptores τῦ ἀτράκτυ et τῆς ἀτρακτυλίδος nomine varia carduorum genera comprehendiſſe.

80) *De Methodo Medendi Tom. X. Lib. XIX. Cap. XIX. pag. 343.* Πολλάκις δὲ πόνον ἀθρόως ἐκινώσαμεν διελόντες τὸν κερατοειδῆ, μικρὸν ὑπεράνω τῦ χωρίυ, καθ' ὃ συμφύονται πρὸς ἀλλήλας ἅπαντες οἱ χιτῶνες. ὀνομάζυσι δὲ ἔνιοι μὲν ἶριν, ἔνιοι δὲ, στεφάνην τὸ χωρίον. Confer. GORRAEI *Definit. Medic.*

81) *L. X. de Vſu Part. Cap. II. et III. T. IV. p. 532.*

oculi coronam, ſerpit, ἄργεμον veteribus dictum. Praeter hanc bulbi coronam veteres aliam coronam palpebrarum notarunt; id quod GORRAEVS ex RVFFO EPHESIO indicat. (82) Forte non tam ad GALENI, quam ad hanc RVFFI, coronam reſpexit HIPPOCRATES; neutra tamen harum partium cruentationem ferre poteſt. Sequentibus verbis: tarſis imprimis parcendum eſſe, monet HIPPOCRATES. Tarſos enim perichondrio, ſeu membrana, quae leuiſſimae iniuriae impatiens eſt, inueſtiri, et illorum laeſionem maiora et inſanabilia oculis relinquere vitia, ſupra notauimus. Hoc fortaſſis dubium videri poſſet, quod HIPPOCRATES, qui ſcarifationem deſcripſit, iam de vrendis his partibus loquatur. Aſt vero, cum ſaepe palpebrarum morbi: pſora, trichiaſis, aliique, igne corrigendi ſint, vel HIPPOCRATES hoc quaſi obiter notare voluit, vel et haec verba aliqua menda laborant. Criticis iudicandum relinquimus, num pro διακάυσης, διαβήσης legendum ſit. Per τὸν χόνδρον palpebrae tarſum intelligi, extra dubium poſitum eſſe videtur.

§. XIV. Quae ſequuntur, melius intelliguntur, ita tamen ſcripta ſunt, vt ex iis certo cognoſcamus, ipſum HIPPOCRATEM hanc chirurgiam exercuiſſe. Modum enim ſcarifationi conſtituens, ab illa tunc ceſſare iubet, quando non ſplendens ſanguis, ſed ichor ſanguinolentus, ſuccedit. Qui plus ſimplici vice oculos huic chirurgiae ſubiecerunt, norunt, ex iis, maxime, ſi grauiori ophthalmia laborent, ab initio cruorem exprimi, qui in aëre ſtatim in tenacius coagulum mutatur, paulo poſt ſanguinem ſincerum, magis rutilantem, et tandem, continuata ſcarifatione, aquo-

82) RVFFVS EPHESIVS *in Lib. de Corpor. Human. Part. Appellationibus p. 24. edit. Londinenſ. anno 1726. a* GVILIELMO CLINCH adornatae: ὑπὸ δὲ ταῖς ὀφρύσι, βλέφαρα, τὸ μὲν ἄνωθεν, τὸ δὲ κάτωθεν. τούτων δὲ αἱ μὲν ἐκπεφυκυῖαι τρίχες, ταρσοὶ καὶ βλεφαρίδες. τὰ δὲ ψαύοντα ἀλλήλων πέρατα ἐν τῷ καθεύδειν ἡμᾶς, τεφάναι, καὶ χηλαὶ subintelligitur ὀνομάζεται. *Sub ſuperciliis palpebrae, quas etiam genas vocant, altera ſupra, altera infra, ſitae ſunt: ab iis prodeuntes pili, Graece tarſi blepharides et Latine cilia nominantur: harum extrema, cum nos dormimus, ſeſe contingentia, coronae et chelae, hoc eſt vngulae, dicuntur.*

aquoſum, effluere. Propterea vero hucusque continuanda eſt haec ſanguinis miſſio, quia humores ſtagnantes, et in palpebris coaceruati, niſi omnes, ac debite, eliciantur, nouae inflammationi, accedente irritatione, occaſionem praebent, et ignem igni addunt. Haec enim cauſa eſt, cur haec chirurgia, non, niſi repetita, ſperatum leuamen afferre ſoleat? Sanguinis etiam mutatio optimum ſignum eſt, morbum decreſcere, atque curatum iri. Tandem HIPPOCRATES has partes abſtergendas eſſe medicamento ſicco, quale aeris flos exiſtit, docet. Hoc nomen veteres tenui illi puluillo, qui ex aere fuſo et candente excutitur, et per auras diſpergitur, quando ipſi aër frigidior repente accedit, vel, quando frigida conſpergitur, tribuerunt. (83) Quam ſalubre vero hoc medicamentum ſit oculis, mox videbimus.

§. XV. Hanc chirurgiam, ſequentibus poſt HIPPOCRATEM temporibus, non frequenter exercitatam fuiſſe, ſuſpicamur. CELSVS tamen (84) in aſperiori oculorum inflammatione craſſas durasque palpebras, et ficulneo folio, et aſperato ſpecillo, et interdum ſcalpello, eradi, verſasque quotidie, medicamentis ſuffricari a nonnullis, docet; id quod tamen, non, niſi in magna vetuſtaque aſpritudine, neque ſaepe, faciendum eſſe, putat. GALENVS etiam, vel quisquis eſt autor libelli de oculis; (85) prae aliis vero PAVLVS AEGINETA, duritiem palpebrarum, vel pumice, vel ficus foliis, vel inſtrumento, quod βλεφαρόξυστον, ſeu palpebrarum raſorium, appellat, radere docet. (86) Num praeter hos alii Graecorum

83) Vide DIOSCORID. *L. V. Cap. LXXXIIX.* PLINIVM *L. XXXIV. Cap. XI. T. II. p. 661.* et SALMASIVM *l. c. p. 759.* Ex recentioribus GEORG. FABRICII *Obſeruat. de Rebus metallic. in Collect.* CONRADI GESNERI *anno 1565. edit. p. 15.* Obiter notamus, ne error ex denominatione oriatur, eſſe quandam mineram aeris admodum diuitem, pulcherrimis coloribus variegatam, quae idem nomen a metallicolis nacta eſt; quae tamen cum flore aeris fuſi haud confundi debet. Vid. KENTMANNI *Catal. rerum foſſil. in ead. Collect.* GESNERI.

84) *L. VI. Cap. VI. p. 363.*

85) *Sect. VI.* ungulam et ſcabiem duram incidere, vel excoriare, et in ſcabie pruriente palpebram euertere, et excoriare, iubet.

86 *Lib. III. Cap. XXII.* Περὶ τραχώματος. ἢ δὲ σκληρὸς ὢν ὁ τύλος μὴ τύτοις

corum Latinorumque medicorum hanc enchiresin commendauerint, nobis haud adeo certo constat? Inter Arabes RHASES (87) aliquoties palpebras scarifare iubet cum instrumento, quod appellat *Feymith*, et alio loco, *Fenich*, vel cum *cochleari*, vel cum *foliis ficuum*, vel cum *spuma maris*, vel cum *Zuccaro*, aut *pumice*. ALBVCASIS, qui varia veterum chirurgorum instrumenta, diligenter conquisita, et delineata, nobis reliquit, rasorium, ex ferro indo conficiendum, nobis sistit, quod, capite rotundo, aspero, instructum, quodammodo cum hoc βλεφαροξύστῳ PAVLI conuenire videtur, quamuis illud ossi, carie infecto, in fistulae lacrymalis chirurgia radendo, destinatum videatur. (88) Hoc instrumentum in palpebris, psora, et vlcere serpente chironio, infectis, commode adhibetur.

§. XVI. Celeberrimus igitur WOOLHOVSIVS, HIPPOCRATEM feliciter imitatus, nouum instrumentum, affabre factum, excogitauit, etiam ex vegetabilium classe depromendum. Secale, Gallis *Seigle*, nobis Rocken, siue Korn, frumenti genus est notissimum, quod, quamuis a PLINIO (89) deterrimum, et tantum ad famem arcendam vtile, reputatum fuerit, plurimis nostrum quotidianum, et robustioribus saluberrimum, alimentum largitur. Semen, aruo pinguiori mandatum, in herbam, culmum geniculatum, exsurgit, qui emittit spicam, ex aristis consertis formatam, vnde prodeunt flosculi staminei, quales aliae cereales ferunt. Flores hi, ex staminibus pluribus compositi, ex calice emergunt. Pistillum floris mutatur in semen, calix autem in glumam, nobis imprimis vtilem. Haec quasi vaginula est, et triangularis capsula, qua granum in situ continetur, et contra aërem, aliasque in-

ἴκοι, ἐκτρέψαντες τὸ βλέφαρον, ξέσωμεν διὰ κισσήρεως, ἢ σηπέας ὀστράκου, ἢ φύλλων συκῆς, ἢ νάγη διὰ τοῦ ὀργάνου τοῦ βλεφαροξύστου καλουμένου. Confer. de hoc instrumento MARC. AVR. SEVERIN. *de Efficaci Medic. P. II. Cap. CVII.* Figuram illius, quale hodie a WOOLHOVSIO adhibetur, vid. in addita tabula.

87) *In L. II. Continent. Tract. III.* Confer. PARAPHRAS. *in IX. L.* RHAZAE ab ANDR. VESALIO *anno 1537. Basil. edit. p. 55.* qui βλεφαρόξυσον in palpebrarum scabie laudat.

88) *L. III. Cap. XIX. p. 64.*

89) *L. XIIX. Cap. XVI. T. II. p. 119.*

iniurias, defenditur. Inferior glumae pars ex duplici lamella compoſita eſt, quae, in dorſo coalita, angulum magis acutum, quam rectum, deſcribit, et ſic granum, ne elabatur, coercet. Ex his lamellis altera, et interior, tenerior eſt; exterior vero, aurae expoſita, maiori robore gaudet. Dorſum, ſeu illa pars, qua dictae lamellae ſibi coniunguntur, ſpinam format, exterius copioſiſſimis et minutiſſimis ſpiculis obſitam, quae vix, niſi intentis et armatis oculis, cernuntur. Haec ſpicula obliqua, et ita diſpoſita, vt verſus ſuperiorem glumae partem, ſeu caudam, directa ſint, altius cuti infiguntur, quando obuerſa, in eandem mouentur. Tota gluma duplici ſua lamella inferius axi dentatae affixa haeret. Superior pars in longiorem et tenuem valde acum exporrigitur, quae proprie ariſta dicitur. Quo vero noſtrum βλεφαρόξυσον conficiatur, ſpicae ex agro pingui, cultiſſimo, laetoque, colligendae ſunt. Iuſtam etiam maturitatem, et aliquale robur, illas acquiſiuiſſe, neceſſe eſt. Ex his ſelegantur integrae, nec agricolarum manibus contrectatae. Secale, quod autumno ſeritur, nobis hybernum dictum, praeſtat vernali. Ex firmioribus eiusmodi et maioribus ſpicis glumae circa radicem, qua cum axe cohaerent, forcipe bene cultellata exſcindendae ſunt, quarum plures XV. vel XX. in faſciculum collectae, ita, quantum fieri poteſt, diſponantur, vt dorſum ſpinoſum ad exteriora vergat. Filo tenui cērato conſtringendus ad illam partem eſt faſciculus, qua glumae in acus, ſeu ariſtas, deſinunt, quae, filo circumducto inuolutae, chirurgo manubrium praebent. In extrema etiam parte, glumae reſcindendae ſunt, et ſic inſtrumentum coaequandum, et figurandum. Hoc verum eſt WOOLHOVSII βλεφαρόξυσον, huic etiam chirurgiae admodum adaptatum. Accepimus quidem, eſſe quosdam, qui tali, ex filo metallico confecto, vtuntur; aſt, cum nobis nondum adeo felicibus eſſe contigerit, vt illud videre liceret, huius artificii nec ignari laudatores, nec praecipites contemtores, eſſe volumus. Vix vero tale ex auena parari poterit; id quod St. YVES memoriae prodidit. (90) §. XVII.

90) *Traitè des maladies des yeux p. 195.*

§. XVII. Oculus ita ſcarifandus eſt, vt indice et pollice dextrae manubrium inſtrumenti teneatur, ſiniſtra vero palpebrae diducantur, et ſic euertantur, vt interior rubicunda membrana, quae cruentanda eſt, emineat Facile hoc fit in inferiori, difficilius in ſuperiori, palpebra; quae tamen commode inflectitur, quando medio digito, paululum compreſſa, indice ac pollice iuxta tarſum leuatur. Palpebrae inuerſae ſibi appropinquandae ſunt, vt cornea tegatur. Supra hanc membranam βλεφαρόξυστον hinc inde reciprocetur, minima tamen ſpicula ſemper in contrarium ſenſum mouenda ſunt, quae, dum infiguntur, minorum vaſculorum tomentum lacerant, et ſic ſanguinem exprimunt. Inſtrumentum paulatim intra digitos verſandum eſt, vt noua ſemper ſpiculorum adhuc integrorum acies palpebris opponatur. Hoc ex praecepto HIPPOCRATIS, quod, et ratio, et experientia, confirmat, tam diu faciendum eſt, donec ſanguis, qui in ophthalmia grumoſus et tenacior eſt, dilutus et aquoſus appareat. Inſtrumentum, quod plus ſimplici vſui haud inſeruit, tandem hebeſcit, et ſcarifationi finem imperat. Poſt hanc, oculus calida ita eluendus eſt, vt ſanguinis coagulum, vel ſpongia, vel linteolo, calida imbuto, ſaepe abſtergatur; id quod aliquoties per illum diem repetatur, neceſſe eſt. Hunc enim in modum non ſordes ſolum exterguntur, ſed fibrae etiam laxantur, et inflammatio in ſuppurationem minimorum vaſculorum, in qua maximum praeſidium poſitum eſt, mutatur. Oculus ſauciatus nunquam deligandus eſt, ne palpebrarum vulnuſcula, vel cum adnata, vel cum cornea, concreſcant, quorum vitiorum prius Symphyſis, alterum Proſphyſis, medicis dicitur.(91) Si vero noctu deligare velit chirurgus oculos, aliquid inter palpebras et alias partes interpoſitum ſit, neceſſe eſt. WOOLHOVSIVS ſemine hormini vtitur, cuius tria, vel quatuor, grana in oculos immittit, quae glabra ſunt, et partes haud offendunt, ſed ſordes, quae ipſis agglutinantur, paulatim abſtergunt. Rei neceſſitate illud poſtulante, id quod in aliis

91) GVILLEMEAV *des maladies de l' Oeil Sect. IV. Cap. X. in Operibus p. 762.*

is oculi et palpebrarum vitiis curandis facere ſolemus, bulbo obducimus aurifabrorum tenerrimam veſicam, vnguento illitam. Vnguentum etiam ophthalmicum, quale eſt, quod ex tutia paratur, has partes a concretione impedit. His praeſidiis inſtructus oculus ferre poteſt deligationem, quae, niſi haec obſeruentur, ſaepe omnia peiora reddit, tum humorum acriorum ſaniem intra oculos coercet, qua partes, ſenſu exquiſito pollentes, offenduntur, et laeduntur. Scarifatio aliquoties repetenda eſt; ſpatium tamen, quod interponendum eſt, ex ſuppuratione, morbi atrocitate, et humorum maiori colluuie, iudicandum eſt.

§. XIIX. Quod tandem ad efficaciam, et vſum, quem male affectis oculis impertitur haec ſcarifatio, attinet, illa in triplicem finem, vt alii ſanguinem mittendi modi, a medicis et chirurgis ſuſcipitur. Euacuationis nempe, deriuationis, et reuulſionis, cauſa. Sanguis, aliique humores, in palpebris ſtagnantes, ex iisdem euacuantur, quando illae, inflammatione correptae, tument, ac turgent. Certam et celeriorem medelam affert illi inflammationi, quae ſaepe chirurgi, pannum, ſeu pterygium, exſcindentis, hypopyum aperientis, ſtaphyloma reponentis, aliaque oculorum vitia efficaci medicina curantis, manibus et inſtrumentis excitatur. Quando grauior ophthalmia ex corporis vitio oculos corripit; id quod, in chemoſi fieri, obſeruamus, nihil eſt, quod illi celerius mederi poſſit, quam repetita haec ſcarifatio, quae non palpebris ſolum, ſed, vrgente neceſſitate, adnatae, adhibetur. Ita tamen in hac re prudens medicus verſari debet, vt et aliis auxiliis fontes mali oppugnet. Eadem enim non omnibus opitulantur, nec noſtra ſcarifatio ſola omnem ophthalmiam, aliaque oculorum vitia, eradicabit. Horum namque morborum ortum diuerſum eſſe, notum eſt. Etenim, ſi illos ſanguinis abundantis et ſpiſſioris facti pertinacior ad oculum congeſtio, menſium ac haemorrhoidum obſtructio, concitauerint, aut, ſi virus venereum, in humoribus deliteſcens, gonorrhoea citius cohibita, ſcorbutus irradica-

tus, ſcabies, et tinea repreſſa, aliaque humorum inquinatorum colluuies, eosdem pepererint; vel, ſi aliae excretiones ſalutares periodicae, ſudores, alui profluuia, qualia plures, certo anni tempore, non ſine euphoria, experiuntur, cum tali lippitudine conſpirent, aliis, etiam artis noſtrae, praeſidiis oculorum vitia oppugnanda ſunt, quod, niſi fiat, ſaepe ſcarifatio nihil corrigit, ſed omnia deprauat. Exiſtimandum haud eſt, oculorum curationem externis remediis, quae ſaepe, ſine vllo diſcrimine, copioſiora admouentur, abſolui, ſed haec therapia partium, quae, et ad vitae vſum, et dulcedinem, tantum, conferunt, non, niſi ex vera theoria medica, addiſcitur. Efficaciſſime etiam haec noſtra ſanguinis detractio palpebrarum et tunicae adnatae inflammationem ſanat, quando, iam in ſiderationem prona, omnium deterrima eſt. Nam hic noſtrum βλεφαρόξυστον idem praeſtat, quod in aliis partibus, gangraena correptis, chirurgorum ſcalpellus.

§. XIX. Rarius eum in finem noſtra chirurgia exercetur, vt humores ad oculorum organa inuitentur, et, vt medici loquuntur, deriuentur. Hoc tamen fieri poteſt, quando ex neruorum ſolutorum vitio palpebrae difficilius mouentur, et imbecilliori ſenſu torpent. Noſtra enim ξύσις non ſine doloris ſenſu admodum exquiſito perficitur, qui ad reuocandam ſentiendi ac mouendi poteſtatem, et ad humorum etiam motum, aliquid facere poteſt.

§. XX. Reuulſio tandem, qua mediante humores pernicioſi a nobilioribus partibus ad alias, et loca, ex quibus foras eiici poſſunt, reuocantur, noſtrae imprimis chirurgiae miniſterio obtinetur. Supra dictum fuit, ex illa palpebrarum interiores tunicas ſuppurare. Conſtat vero, in ſanguinea et acriori ſeroſa rheumatica ophthalmia certiſſimam ſpem futurae ſanationis nobis affulgere, quando lacrymae tenuiores, limpidae, rodentes, in glutinoſam ſaniem mutantur, et tarſi palpebrarum ex his ſordibus craſſioribus ſub ſomno ſibi agglutinantur. Hoc vero optime noſtra

ſtra chirurgia obtinemus, qua, et ſincerus ſanguis, et in pus mutatus, exprimitur, et humores cauſtici a cornea et interioribus oculi partibus ad palpebras deducuntur, et, cum pure mixti, excernuntur. Eſt ophthalmiae genus, quod totum oculi bulbum, eiusque interiora, occupat; aegri atrociſſimis doloribus excruciantur, febre correpti delirant, oculus externus parum rubet, aſt valde dolet, omnisque lucis impatientiſſimus eſt. Malum, niſi efficaciora auxilia adhibeantur, coecitate, imo aliquando totius bulbi ſuppuratione, terminatur. In hoc noſtram ſcarifationem ſaluberrimam deprehendimus, qua exterius ſuppuratio excitata, et interior inflammatio ſoluta, fuit; aliis tamen generalioribus remediis, vt ſupra diximus, haud neglectis. Cornea, quando malignis ac ſerpentibus vlceribus deturpatur, etiam ſcarifatione omnium optime ſanatur. Horum vlcerum varia genera ſunt, variis etiam denominationibus a veteribus inſignita, quas recenſere hic nolumus.(92) Oriuntur ſaepe ex ophthalmia atrociori, vel male curata. Quando enim, vel ex lymphae et ſanguinis deprauati vitio, vel ex vehementiori, et rheumatica, humorum ad glandulam lacrymalem congeſtione, ſerum lacrymale acrius, imo cauſticum, fit, has partes rodit, et vlcera excitat. Saepe multum confert incongrua oculorum, lippitudine laborantium, deligatio, collyria acriora adhibita, aer frigidus, oculo admiſſus, aliique in regimine et medendi methodo commiſſi errores. Ad quos etiam merito referendae ſunt frequentiores alui ſolutiones, draſticis purgantibus concitatae, quibus leuem ophthalmiam in profundiorem exulcerationem ſaepe mutatam vidimus. Practicis enim notum eſt, et aluum ſtrictam, et eandem purgantibus ſtimulatam, in ophthalmia nocere, quamuis hanc diarrhoea, ſponte oborta, vtplurimum ſoluat. Talia vlcera quandoque foediſſima ſunt, et carcinomatis naturam induunt, quae, licet ad cicatricem perducta fuerint, hanc tamen, viſum multum impedientem, relinquunt, quae etiam, maxime in adultis, et, ſi maior fuerit, nullo artifi-

92) GVILLEMEAV l. c.

cio detergitur. Medicatio horum vlcerum difficillime obtinetur, nisi noſtra ſcarifatione humorum rodentium colluuies auertatur, et ſuppuratione reiiciatur. Hac enim adhibita, repurganda vlcera acriori medicina haud adeo opus eſt, ſed totum negotium abſoluit unguentum, quale HIPPOCRATES commendat, ex flore aeris, quem campanarum fuſores colligunt, et butyro maiali, ſeu alia depurata auxungia, confectum. Non ſolum vero hoc de corneae, ſed et adnatae, et ſcleroticae, vlceribus dicendum eſt. Leuiores cicatrices, ex vlceribus relictae, ſaepe in infantibus abſterguntur, et corneae ſua pelluciditas redditur, in quo negotio non parum confert ſcarifatio.

§. XXI. Nolumus prolixiores eſſe, in recenſendis morbis, quibus illa medetur, addere potius placet, in quibus oculorum vitiis parum, vel nihil, leuaminis adferre ſolet, quamuis in his etiam a quibusdam laudari ſoleat. Ne ea repetamus, quae ſupra, de ophthalmia, ex alio corporis vitio coorta, diximus, cui ſaltim haud ſola ſufficit: eſt genus lippitudinis, in quo oculi permoleſte pruriunt, ardent, ac ſicci et aſperi hinc inde finduntur. Serum lacrymale nullum eſt, palpebrae ſunt ſcabrae, exſiccatis ſquamulis obſitae, lucem moleſte ferunt aegri, et acerbiſſimo dolore diſtinentur; aridam lippitudinem, ſeu ξηροφθαλμίαν, vocarunt veteres. (93) In hoc morbo vix non omnia nocent, quae in alia lippitudine proſunt: veſicantia, collyria, frigida, vnguenta, detergentia, et noſtra etiam ſcarifatio, pernicioſiſſima ſunt; ſed corpus in hoc morbo ſaepe lauandum, oculi fomentis calidis emollientibus laxandi, et interiora corporis lubricanda, ſunt. In venerea et ſcorbutica ophthalmia, niſi alia, et interna, praemittantur, humorum vitioſorum affluxum ad has nobiliores partes augere poteſt. In cataractae, glaucomatis, guttae ſerenae, hypopyi, curatione, parum emolumenti adfert, niſi, quod a primo horum morborum ortu, humores ad exteriora paululum deriuare, et, poſt factam

93) CELSVS *L. VI. Cap. VI.*


F.
A.
B.
C.
D.
E.
G.
H.

ctam chirurgiam, inflammationem coercere, possit. Nec omnibus palpebrarum morbis speratum auxilium adfert; Glandulae Meibomianae exulceratae scarificatione sanantur, si malum recens sit, et reliquum corpus sanum, nec aeger cephalaea, aliisque morbis, laboret; supra tamen laudatum vnguentum et hic adplicetur. In secus se habentibus saepe spem fallit. Parum ad curationem ectropii, entropii, trichiasis, anchylosis, reliqua, confert. Psora et lepra infectae palpebrae alio instrumento, quale illud PAVLI est, radendae sunt, quae vitia saepe non, nisi igne, extinguuntur. Omittimus alia morborum genera, in quibus nostra scarifatio optimam, alia, in quibus pertenuem, salutis spem facit. Speramus enim, frequentius illius exercitium nos de eius efficacia certiores facturum esse.

EXPLICATIO FIGVRARVM.

A. *Instrumentum scarifandis naribus dicatum.*

B. C. D. E. *Partes, ex quibus illud compositum est.*

F. βλεφαρόξυστον PAVLI AEGINETAE.

G. *Gluma secalis.*

H. *Glumarum fasciculus*, s. βλεφαρόξυστον IOH. THOMAE WOOLHOVSII.

DISSERTATIO III.

DE MORBIS EX IMMVNDITIIS

PVBLICE PROPOSITA

D. IIII. MAII cIↃ IↃ C C X X X I

RESPONDENTE

IOHANNE GOTTLOB WILD.

---

§. I.

Quanquam, id quod omnibus compertum esse arbitramur, corpus decorum, faciesque liberalis, hominum, etiam feritate saeuientium, animos mouere, et ad diligendum allicere, solet; illa tamen formae dignitas, si, neglecto cultu, illuuie squalet, omnes cordatiores offendit, qui istis ascititiis dehonestamentis eo ipso maxime irascuntur, quod in naturalem pulchritudinem eadem grassari videant. Vsurpare liceat vocem TERTVLLIANI: (1) *Quae cum immunditiis pulchritudo?* Omni quidem aetate non pauci fuere, qui, vt alios in magnam suae virtutis opinionem inducerent, vtque vltra vulgum sapientes, sancti, seueri, viderentur, omnem corporis cultum, munditiasque, neglexerunt, quibus, vt LVCIANI Cynico, (2) non alius cultus est, quam squalere, hirsutum esse, tritum pallium habere, calceis carere; quorum opinionem firmare videtur OVIDIVS, (3) elegantiarum magister, qui corporis curam a blanda voluptate deducit, quae

Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus, mundaque cura sui.

Iam-

1) *De cultu foeminarum Cap. VI. Operum T. II. pag. 199.*
2) *Tom. II. p. 725. edit.* GRAEVII.
3) *Fastorum Lib. IV. v. 107.*

Iamdudum vero comprobatum eſt, tales, qui ſaepe, vt IVVENALIS (4) loquitur:

Curios ſimulant, et Bachanalia viuunt,

hiſpida fronte, ſciſſaque tunica, intolerandam ſuperbiam, imo flagitioſam vitam, operire, quare et illud horridum philoſophorum genus acerbiorem veterum ſatyricorum cenſuram expertum eſt. Sordes enim voluptati haud obeſſe, PETRONIVS (5) autor eſt, qui, matronas iisdem non raro calere, teſtatur, quae flagrorum veſtigia oſculari, et amplexus in crucem mittere, non vereantur, talesque foeminas harenarium, vel perfuſum puluere mulionem, aeque accendere, ac praecinctum comptumque puerum; id quod probat, non virtutem, ſed belluinam voluptatem, ſtercorata colluuie vtplurimum eſſe inquinatam. Moderata vero corporis cura honeſti animi indicium eſſe, illamque optime cum perſpectae virtutis induſtriaeque ornamentis conſiſtere poſſe, exiſtimamus, quam rem diſertiſſime, et argumentis non ficulneis, probauit APVLEIVS, ingenioſiſſimus autor. (6) Hunc enim cum magiae incuſauerant, quod et rerum naturalium et munditiarum paulo ſtudioſior eſſet, in Apologia ſe ipſum, corporisque curam, optime defendit. Non vero purpuriſſatas genas, illasque lacinioſas pomparum et deliciarum ineptias, laudamus, quarum lenocinio meretriculae, ſeſe toto corpore proſtituentes, adoleſcentulis inſidiantur, de quibus TERENTIVS: (7)

Quae

4) *Satyra II. v. 3.* cum quo conuenit illud HORATII *Epiſtol. L. I. Epiſt. XIX. v. 12.*

Quid? ſi quis vultu toruo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae ſimulet textore Catonem:
Virtutemne repraeſentat moresque Catonis?

et eleganter QVINTILIANVS *in Prooemio Inſtit. Orator: Non enim virtute et ſtudiis vt haberentur Philoſophi laborant, ſed vultum, et triſtitiam, et diſſentientem a caeteris habitum peſſimis moribus praetendunt.*

5) *Satyric. Cap. 126. p. 599. ſeq. Edit.* BVRMANNI. Exemplum huius rei vide in PLINIO *Nat. Hiſt. Lib. XXXIV. Cap. III. Tom. II. Edit.* HARD. *p. 641.*

6) *In Apologia Tom. I. p. 405. edit. ad vſum Delphini.*

7) *In Eunucho Act. V. Sc. IV.*

Quae dum foris sunt, nihil videtur mundius
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans,
Quae cum amatore suo, quum coenant, ligurriunt,
Harum videre ingluuiem, sordes, inopiam,
Quam inhonestae solae sint domi atque auidae cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum vorent,
Nosse omnia haec salus est adolescentulis.

Naturalem pulchritudinem, non fucatum nitorem, honestum ac modicum cultum, non quaesitas venustates, multoque studio elaboratas concinnitates, vtque verbo dicamus, munditias, probamus, cum OVIDIO sentientes, qui sic puellas alloquitur: (8)

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.
Nec prodite graues insuto vestibus auro,
Per quas nos petitis saepe fugatis opes.
Munditiis capimur.

§. II. Bene moratas gentes omni tempore magnam munditiei curam habuisse, legimus. Tacemus sacratissimas Hebraeorum leges, quibus illa, in terris flagrantiori solis aestu incalescentibus inprimis necessaria, diligentissime custodita fuit. Iudaeis enim frequentiori ablutione sese purgare, castra etiam ab omnibus sordibus liberare, antiquissimum fuit, id quod ex sacro codice notum est omnibus. (9) Quantum Romani his rebus tribuerint, praeter veterum autorum monimenta, testantur insanae balneorum publicorum substructiones, quarum rudera et his temporibus maximam omnibus mouent admirationem. De Turcis AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIVS (10) memoriae prodidit, eos corporis sordes instar piaculi detestari, magis etiam, quam animi impuritatem, et crebras ea de causa iis esse lotiones. Alia, et ve-

8) *De Arte amandi L. III. v. 129.*
9) *Deuteronom. Cap. XXXIII. v. 12. Levit. Cap. XV.*
10) *In Legationis Turcicae Epistola III. p. 146.*

vetuſtiſſimorum, et noſtra aetate florentium, populorum exempla tacemus.

§. III. Neminem vero magis corporis cultus honeſtare videtur, quam medicum. Qui enim in arte ſalutari ediſcenda verſatur, is non poteſt non crebrius inter exanimata corpora verſari, haec incidere, oculis intentis contueri, viſcera rimari curioſius, manusque cruore, nec non, chemiae deditus, carbonario puluere, contaminare. Nec medentem reformidare decet vulnerum et ſuppurationum, atro ſanguine et ſanie delibutarum, colluuiem, ex quibus ſaepe cordatiſſimi homines ſummam nauſeae moleſtiam capiunt. Tacemus aliarum ſordium, lotii inter alia, examen, quod medici in grauioribns quandoque morbis intuentur. (11) Haec vero, quae natura ſua ſordida et humilia ſunt, ſalutis tamen humanae cauſa ſuſcipienda, eo debent medicum adducere, vt diligentiori, virili tamen, non muliebri, corporis ac munditiarum cura, luroris et impuritatis ignominiam auerruncare ſtudeat. Nihil enim odioſius videri poteſt, quam, ſi, id quod optimorum iuuenum frequens vitium eſt, his ſtudiis et anatomicis exercitiis operam daturi, in illuuie, ceu in deliciis, verſantur, hocque primum ſibi agendum putant, vt omnem humanitatem penitus exuant. Non enim ii anatomici dicendi, quibus cadauerum ſpurcities inhaeret, nec chemici, quibus carbo contritus infricatus eſt, ſed, qui corporum naturalium principia ſtudioſius ſcrutantur, et admirabilem corporis humani fabricam diligenter oculi mentisque acie contemplantur. Quae itaque artis magiſtri, HIPPOCRATES (12) et GALENVS, (13) de elegantiae ſtudio praeceperunt, illa ſedulo

11) HIPPOCRATES *de Flatibus, ab ineunte:* Ὁ ἰητρὸς ὁρέει τὰ δεινὰ, θιγγάνει τὲ ἀηδέων, καὶ ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρπῶται λύπας. *Medicus grauia et periculoſa intuetur, et moleſta contrectat, ac ex aliorum calamitatibus proprias ſibi colligit moleſtias.*

12) *De Medico* ἔπηται περὶ ἀυτῶν καθαίρειν, ὡς ἔχειν ἐσθῆτι χρηστῇ, καὶ χρίσμασι ἐυόδμοις. ὀδμὴν ἔχειν ἀνυπόπτως πρὸς ἅπαντα. *ex Verſione* MERCVRIALIS *Tom. IV. p. 35. deinde vt in extrinſecis pure ſe habeat, veſtitu decoro, et vnguentis odoratis, non ſuſpectum odorem ad omnia habentibus.*

13) GALENVS *de Faſciis Cap. I.*

ſedulo obſeruari decet medicum. Non leuis enim ignominia ci inuritur, quem, id quod QVINTO, Romano medico, accidiſſe, GALENVS (14) tradidit, poſt prandium vini odor vehementer ſpirans dedecorat, vel cui

Grauis hirſutis cubat hircus in alis;

qualem medicum Aſiaticum, propter negligentem alarum foetorem, nemo liberaliorum aegrotantium ferre potuit, eodem GALENO teſte, qui ideo ſuadet, ne medici, cepas et allium redolentes, aegros inuiſant. (15) Qui vero ex ſqualore gloriolam aucupantur, ii forte magno hepate laborant, ſi vera ſunt, quae de quibusdam animalibus vetus Iatroſophiſta, ALEXANDER APHRODISEVS, tradidit. (16) Habent tales, quod caueant, ne cognomine vocentur, quod AESCVLAPIO impoſuit ARISTOPHANES. (17)

§. IV. Haec elegantiae cura ad morum condecentiam attinet. Vt vero, id quod animo intendimus, perficiamus, munditiei haec ſumma laus eſt, quod illa ad ſanitatem, et tuendam, et inſtaurandam, plurimum confert. Valetudinis proſperitatem, maxime illarum vſu legitimo, et ad corporis habitum compoſito, obtineri, quas medici non naturales vocant, omnibus compertum eſt; cum CORTESIO vero, (18) aliisque, exiſtimamus, ad rerum non naturalium ordinem, aerem ſcilicet, victumque, ſomnum, variarum rerum et recrementorum ex corpore egeſtionem, corporis

Καὶ γὰρ τέμνοντα (ἰατρὸν) καὶ καίοντα, καὶ δὴ δὲ ἐπιδέοντα, καὶ ἄ τι ἄλλο χειρυργοῦντα μετὰ τῶν συμφερόντως πράττειν, καὶ τῷ καθαρίως καὶ εὐρύθμως πεφορτικέναι δεῖ. Confer IOH. BAPTISTAE SYLVATICI *Controuerſiar. medicar. Centur. IV. p. 22.*

14) *In Commentario IV. in Libr. VI.* HIPPOCRATIS *Epidemicorum Textu IX. Edit.* CHARTER. *Tom. XI. p. 484.*

15) *eod. loco.*

16) *In Problematibus medicis a* IOH. DAVIANO, *anno 1541. Pariſiis editis L. I. Probl. 141.* Διὰ τί ὗες κόπρῳ τέρπονται; κατὰ μὲν τὺς ἰατρὺς, ὅτι φυσικῶς ἥδονται ταύτῃ, ἥπαρ μέγιστον ἔχοντες, ἐν ᾧ καὶ ἡ ἐπιθυμία.

17) *In Pluto v. 706.* vocat eum Θεὸν ἄγροικον καὶ σκατοφάγον. Aſt iniuria in AESCVLAPIVM et Magnum HIPPOCRATEM videtur interpretatio huius loci a CAROLO GIRARDO addita. Vide *eius notas in Edit.* KVSTERI *p. 37.* De ſarcaſticis medicorum denominationibus vide LENTILII *Iatromnemata Theoretico-Practica P. II. Cap. XV. p. 462.*

18) *Miſcellaneorum medicinalium Decad. V. Cap. VIII. p. 229.*

poris exercitationem, animi demum pathemata, et commode munditiem, referri poſſe. Haec ſola enim, ſi deſideratur, nec coelum, nec victus, nec reliqua, ſalubria ſunt, ſed vim grauiter nocendi habent.

§. V. Aeris inſpiratione vniuerſa animalia ſuſtentari, notum eſt omnibus. Non vero illo corpore fluido, pellucido, et quod ſumma pernicitate mouetur, ad vitam opus eſt homini, ſed eo, quod tenuiſſimorum ramentorum, ex terreo aquoſis corporibus abſcedentium, multitudine remixtum, nos alluit. Atmoſphaeram vocamus, quae ab his admixtis, iisque diuerſimode motis, mox ſalubritatem noſtris corporibus impertitur, mox maximum adfert detrimentum. Improbiſſimus eſt aer, paludoſis effluuiis, putidis halitibus fraceſcentium vegetabilium, et putreſcentium animalium atque inſectorum, refertus, quales poſt graues inundationes, vbi aquae effuſae ſtagnare coeperunt, non raro morbos atrociſſimos, epidemicas malignasque febres, imo in plagis, maiori ſolis ardori expoſitis, peſtilentiam, attulit. Hanc rem peculiari commentatione ita perſecutus eſt Cl. LANCISIVS, (19) vt haud amplius quidquam deſiderari poſſe videatur. Aer etiam, quem coeli ſolisque clementia purum ſalubremque dedit, aliis ſaepe inquinatur ſordibus. In magnarum vrbium frequentia aer, iners redditus, et plurimis vaporibus turgidus, inſaluberrimus eſt, qui ideo, et plurimos ac peſtiferos morbos alit, et ſaepe maximas ciuitates, breui tempore, depopulatur. Aeris campeſtris vero, montanique, tanta eſt ſalubritas, vt eius ſolius beneficio ſaepe magni et deſperati morbi curentur.

§. VI. Qui itaque ciuium ſaluti prouidere, iisque, ex hominum frequentia oriundis, incommodis mederi volunt, eos viarum ſedulo euerrendarum curam non dedignari oportet. Viae enim multiplici coeno ac animalium excrementis computreſcentibus refertae, non ſolum viſu graues et odoratu foetidae ſunt, ſed peſtiferae etiam, et quae noxiis ſuis halitibus, corpora noſtra ſubin-

 gredien-

19) *De Noxiis Paludum Effluuiis.*

gredientibus, ſanitati ruinam intentant. Summam vero adferre videtur perniciem congelata talis colluuies, quae verno tempore ſolaribus radiis ſoluitur, ac inteſtino putredinis motu eleuatur. Haec enim effluuia, ſua natura humida, lenta, craſſa, fibrarum robur in pulmonibus ſoluunt, catarrhos, aliosque pectoris morbos, pariunt, totum corpus, quod halitu perſpirat, illo cohibito, eneruant, imo ſeſe altius inſinuant, et, fermenteſcente ac venefico vitio, febres rheumaticas, intermittentes, imo malignas, aliosque ſonticos morbos, gignunt. Commoditatibus itaque publicis ciuiumque valetudini laudabiliter conſultum fuit a TARQVINIO SVPERBO, Romanorum rege, qui vrbi hanc aeris ſalubritatem, munditiemque, per cloacas praeſtitit: Per quae ſubterranea purgamentorum receptacula, quicquid ſordium vias noſtris temporibus infeſtare ſolet, corriuatis etiam ſeptem amnibus, praecipiti aquarum curſu in Tiberim deriuabatur (20). Laudibus etiam LVDOVICVS XIV,

20) Hoc cloacarum opus ſummo labore, tantoque taedio plebis ſtructum fuit, vt plures ex Quiritibus conſcita morte hoc fugerint, quos TARQVINIVS, cruci adfixis ita defunctorum corporibus coërcuit. Quales illi fornices, quantae illi molis fuerint, ex eo videre eſt, quod M. AGRIPPA hanc ipſam cloacarum expurgationem in ſplendidiſſimis aedilitatis ſuae operibus habens, finito labore, pompae cauſa per eas in Tiberim ſubuectus ſit. Vid. DIONYS. HALICARNASSEVS *Antiquitat. Roman. L. III. p. 200.* PLINIVS *L. XXXVI. Cap. XV. Tom. II. Edit.* HARDVIN. *p. 742.* DIO CASSIVS *in Hiſt. Rom. L. XLIX. p. 417.* NICOLAVS BERGIERIVS *de Publicis et militaribus Imperii Romani viis L. II. Sect. XXIX. in* GRAEVII *Theſauro Antiquitat. Roman. Tom. X. p. 169.* LIPSIVS *de Magnitudine Romana L. III. Cap. XII. Tom. III. Operum p. 799. Publicae itaque cloacae, publicam curam merentur,* vt ait ICtus VLPIANVS in *L. 1. §. 3. D. de Cloacis.* Sed et de priuatis praetor edixit: *Quo minus illi cloacam, quae ex aedibus eius in tuas pertinent, qua de agitur, purgare ac reficere liceat vim fieri veto.* Ad haec ſequentem in modum VLPIANVS in lege allegata §. 2. *Curauit autem Praetor per haec interdicta, vt cloacae, et purgentur, et reficiantur, quorum vtrumque, et ad ſalubritatem ciuitatum, et ad tutelam, pertinent: Nam et coelum peſtilens, et ruinas minantur immunditiae cloacarum, ſi non reficiantur.* Sed et hoc ſingulari ratione Legislatoribus Romanis placuit, *non eſſe in interdicto addendum, quod non vi, non clam, non precario ab illo vſus, vt etiam ſi quis talem vſum habuerit, tamen non probibeatur volens cloacam reficere, vel purgare,* vt iterum inculcat VLPIANVS, d. l. §. 7. quia cloacarum refectio et purgatio ad publicam vtilitatem ſpectare videtur.

Vid.

XIV, Galliarum Rex, a LANCISIO (21) celebratur, cuius cura factum est, vt et his temporibus Lutetianae viae, a luto exsuperante, quod antiquitus vrbi nomen dediſſe videtur, perpurgari ſoleant. Num maior ſalubritas ex viis, quae lateritio lapide ſtratae ſunt, quam ab iis, quae ſilice, expectari poſſit, vt probare annititur LANCISIVS, (22) iam disquirere nolumus. Inſigniorem ad ſanitatem vim habet obſeruatio, quotidiana experientia confirmata inſalubres prae caeteris eſſe habitationes in plateis latebroſis et angiportibus, qui altioribus aedibus continentur, quod ex iis aer, putidis vaporibus foetus, ventorum beneficio euerri non poteſt, quae aedes ac plateae ideo maiorem munditiei curam poſtulant.

§. VII. Non vero ab his ſolis excrementitiis ſordibus repurgandae ſunt vrbes, ſed et videndum, ne artificum officinae, quae ſaepe tetrum ac ſanitati infeſtum halitum ſpirant, cum ſanitatis diſpendio in vrbe tolerentur. Olim apud Romanos, olidae merces, officinaeque ſordidiores, transtiberinam regionem occupabant, propter peſtiferam et putentem auram infamem, quam regionem Romani ideo Iudaeis, victis hoſtibus, omnibusque, quibus infenſi erant, incolendam dederunt (23). Ex horum artificum numero coriarios fuiſſe, praeter ARTEMIDORVM (24), IVVENALIS (25),

Vid. plura in LANCISIO *de aduentitiis Romani coeli qualitatibus P. II. Cap. II. p. 67.*

21) *De Noxiis Paludum effluuiis L. I. P. I. Cap. IV. p. 12.*

22) *l. c. L. II. Epidem. IV. Cap. II. pag. 252.*

23) Vide BARTHOLOMAEI MARLIANI *Vrbis Romae Topographiam L. V. Cap. 19. in Theſauro* GRAEVII *Tom. III. p. 186. et* ALEXANDRVM DONATVM *de Vrbe Roma L. III. Cap. 21. eod. Tomo p. 779.* confer RAMAZZINVM *de Morbis Artificum Cap. XV. in Operibus p. 531.*

24) *De Somniorum interpretatione L. I. Cap. 53. pag. 29. Edit. apud* ALDVM *anno 1518.* Τὸ δὲ βυρσοδέψειν, πᾶσι πονηρὸν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης καὶ τῆς πόλεως ἀπώκισται. *Coriariam exercere omnibus malum. Corpora mortua enim tractat coriarius, adeoque ab vrbe ſecluditur.*

25) *Satyra XIV. v. 201.* in qua auarus pater filium hortatur.

Nec te faſtidia mercis
Vllius ſubeant, ablegandae Tiberim vltra.
Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter
Vnguenta

et MARTIALIS, poëtae, (26) teſtantur; qui, dum morticina tractant, animalium coria macerant, lauant, expurgant, viciniam paedore infeſtant. Eo etiam ablegati fuerunt fullones, qui, dum laneas veſtes, mediante ſulphuris fumo, lotioque putreſcente, a ſordibus purgauerunt, foetidiſſimo nidore omnia impleuerunt (27). Noſtra aetate his cum RAMAZZINI (28) adnumerare poſſemus cetarios et ſalſamentarios, laniones, et qui ex animalium inteſtinis fides muſicas parant, nec non caſearios, olearios, aliosque, quorum omnium officinae et tabernae aëri foetorem, hominibus inſalubritatem, adferunt. Forte etiam ſubmouendae eſſent officinae, in quibus ſeuum, ſaepe rancidum, in ſaponem coquitur, vel in candelas figuratur, quod, dum coctione ebullit, foedam exhalationem diffundit. Hi enim vapores inſuetis cardialgiam, lipothymiam, vomituritionem, aſthmata, foeminis dira hyſterici morbi ſymptomata, adferunt (29). Saponariorum acre et pinguibus particulis foetum lixiuium, ſi in puteis quieſcit, inteſtino motu terrimum putorem nanciſcitur, et odoris intolerabili foeditate omnes depellit, imo, ſi haec colluuies diu in cloacis conſtitit, his apertis, eius valde attenuatus halitus, dum aera nimium expandit, et elaſticitate ſua priuat, operarios, qui eum ore naribusque excipiunt, in repentinae ſuffocationis vitaeque diſcrimen adducit, cuius rei haud ita pridem triſte hic Lipſiae vidimus exemplum.

§. VIII.

Vnguenta et corium Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. Illa tuo ſententia ſemper in ore
Verſetur, Diis atque ipſo Ioue digna, poëtae.

26) *L. I. Epigr.* 42. Transtiberini ambulatoris conuicio appellat Caecilium quendam et *L. VI. Epigr.* 93. de Thaide male olente

Tam male Thais olet, quam non fullonis auari
Teſta vetus, media, ſed modo fracta via,
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani transtiberina cutis.

27) Vid. PLINIVS *L. XXXV. Cap. XV.* et *L. XXVIII. Cap. VIII.* Plura de fullonibus habet OCTAVIVS FERRARIVS *de Re Veſtiaria P. II. L. IV. Cap. 13. Tom. VI. Theſaur.* GRAEVII *p. 887.* confer RAMAZZINI *l. c. C. XIV. p. 519.*

28) *c. l. Cap. XV. p. 529.*

29) Exemplum vide in BARTHOLINI *Actis Hafnienſibus Obſ. 86. p. 209.* confer. ZACHIAE *Quaeſtiones Medico-Legales L. V. T. VI. Quaeſt. VII. pag. 442.*

§. VIII. De omnibus vero exhalationibus notum eſt, illas nocentiores eſſe, ſi aere non libero, ſed graui, quieſcente, ac in aedibus conclauibusque concluſo, effoetoque, excipiuntur. Non minor itaque diligentia adhibenda eſt, vt et his nitor ac mundities conſtet, et vt ſedulo ab omni illuuie repurgentur. Non vero ſordes ſolae deuerrendae ſunt, ſed et id ſaepius agendum, vt, patentibus feneſtris, portisque, aliquis perflatus accedat; id quod eos diligentius obſeruare oportet, qui in paruis ac depreſſioribus, vt et interioribus, cum a luce, tum etiam ab aere, nimium remotis, cubiculis dormitoriis (*Alcouen*) ſomnum capiunt. Squalida enim, excrementitioque halitu referta, aura, quam peſtifera ſit, in lue epidemica, ſi qua graſſatur, luculento teſtimonio cognoſcimus. Peſtilentes enim morbi per infimam plebem populique fecem maximam vt plurimum ſtragem edunt, cuius anguſtas fortunas ſpurcitia ac illuuies comitatur. Qui chirurgiam in maioribus noſodochiis exercent, in quibus a tot aegrotantium exſpiratione et excrementis, nec non ſuppurationum et vlcerum tabo, aer inquinatur, norunt, omnibus vulneribus citiorem imminere putredinem, ac in aliis locis, quos purior aura circumfundit. Nullis vero ex impuro aere maius imminet periculum, quam iis, qui capite vulnerati ſunt, id quod a IOH. BAPTISTA CORTESIO (30) et IOH. BAPTISTA SYLVATICO (31) notatum, frequentiori chirurgorum experientia confirmatur. Atque ideo in valetudinario, vbi maior aegrotantium frequentia eſt, raro curatio bene cedit, ſi fracta caluaria modiolo exciditur, quod inſalubrior aura membranam cerebrumque grauiter afficit. Si vero aer impurus vulneratis adeo exitioſus eſt, non poteſt non et eos, qui aliis morbis decumbunt, infeſtare. Certe non praeter rationem medicos reprehendit FRANCISCVS VALLERIOLA, (32) qui, nec aerem cubiculi, in quo iacet aeger, unquam diffiari, ſinunt, nec lumina aperiri, ad noui aeris ingreſſum. Haud negamus, hoc in nonnullis morbis, eorum-

30) *l. c. Decad. V. p. 229.*
31) *l. c. Controuerſ. IV. p. 22.*
32) *Obſeruat. Medicarum L. IV. Obſ. VI. p. 183.*

eorumque curationibus, opportune, et ſine aegri periculo, fieri haud poſſe, aſt, ſi morbus, aerisque clementia, concedunt, vel, ſi aeger in aliud, et vicinum, conclaue deferri poteſt, neminem medicorum hanc munditiem, aerisque correctionem, negligere decet.

§. IX. Quae de ſeui ac olei fraceſcentis pernicioſo nidore diximus, ad eos etiam attinet, qui in literarum ſtudiis et lucubrationibus verſantur. Lucernae enim et candelae foetidis exhalationibus, ſi illae muſei anguſtioris concluſo aeri committuntur, corporibus, non raro infirmatis, grauem noxam inferunt, morbosque, quibus literati ſaepe conflictantur, inappetentiam, languorem, hypochondriacum malum, aſthma, aliosque longe acerbiores, ac magis refractarios, reddunt. Neruis enim inimicus eſt ille vapor; et, ex ARISTOTELE, (33) iam PLINIVS (34) prodidit, ſaepe odorem, a lucernarum extinctu, abortus cauſam fieri. Eruditorum vero ſcripta lucernam nihilominus olebunt, quamuis iidem in id ſimul incumbant, vt ſanitatis cuſtodiendae cauſa olei recentis puri, nullum foetorem ſpirantis, vel cerei luce, quae omnium praeſtantiſſima eſt, muſeum illuminetur. Nam, vt MARTIALIS autor, (35)

Hic tibi nocturnos praeſtabit cereus ignes,
Subducta eſt puero namque lucerna tuo.

§. X. Nec camarinam mouere delignabimur. Inſaluberrimae aedes ſunt, in quibus malus ex latrina odor eſt. Illi enim putres acerrimique halitus, quibus aenea et argentea vaſa denigrantur, et pulmonibus pernicioſiſſimi ſunt, et aliis corporis partibus non minus infeſti. Animaduerſione dignum eſt, quod RAMAZZINI de foricariis obſeruauit, eos non ſine ſumma moleſtia in cloacis morari poſſe, quod ille volatilis halitus oculos, tenerrimae

33) *L. VIII. Hiſtor. Animalium Cap. 29.*

34) *Hiſtor. Naturalis L. VII. Cap. VII. Tom. I. p. 377.*

35) *L. XIV. Epigr. 42. Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis, vtebantur.* SEXTVS POMPEIVS FESTVS *de Verborum ſignificatione L. III. p. 75. Edit. ad vſum Delph.*

rimae texturae organa, adeo feriat, vt, rubore ſuffuſi, poſt paucas horas caligare incipiant. Plures etiam miſerorum, qui vitam tam ſpurco labore tolerare coguntur, oculorum morbis obnoxios, coecutire, et tandem luminibus orbari. His conſilium dedit RAMAZZINI, vt veſiculas pellucidas oculis adligarent, hosque, ad ardorem temperandum, poſt confectum opus, tepida eluerent, et, vbi inflammatio ruborque deferbuerit, vino abluerent, illudque ſuperhaberent. (36). Quibus itaque valetudinis proſperitas curae cordique eſt, eos aedes perflabiles inhabitare, vel ſpiraculis, quae ſcrobibus ac cloacis adaptantur, foedas exhalationes diſſipare, vel igne et ſuccenſis aromaticis lignis et ſuffitionibus aera emendare, oportet, ne corporis languore, pectoris morbis, oculorum lippitudine, aliisque infirmitatibus, affligantur. Si in dormitoriis cubiculis latrinarum foramina aperta ſunt, et per medios parietes excrementa in cloacas deriuantur, illa ſollicite obturanda ſunt. Vaſa ſellarum familiaricarum, in cubiculo potentiorum et aegrotantium poſitarum, quae oletum excipiunt, frequentius exportari, et repurgari, decet. Ad ſanitatem enim parum intereſt, ſi quis foedam ventris proluuiem auro excipiat, vt ANTONIVS TRIVMVIR, (37) et ille, apud MARTIALEM, Baſſus, (38) modo ea, ne aera coinquinet, frequentius exportetur.

§. XI. Nihil putidius, nihilque exſecrabilius, eſſe videtur, quam, ſi victus, quo quotidie vtimur, faecibus, et ſqualore, ſcatet, isque in vaſis adponitur, contrectatu digitorum ſordidatis, multaque illuuie ſqualidis, quam rem HORATIVS (39) reprehendit elegan-

36) *l. c. Cap. XIII. p. 514.*

37) PLINIVS *L. XXXIII. Cap. III. T. II. p. 613. Meſſala orator prodidit, Antonium Triumuirum aureis*(vaſis) *vſum in omnibus obſcenis deſideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae.*

38) Quem ideo ridet *L. I. Epigr. 38.*
Ventris onus miſero, nec te pudet excipis auro,
Baſſe, bibis vitro, carius erga cacas.

39) *Satyrarum L. II. Satyra IV. v. 78.*
Magna mouent ſtomacho faſtidia, ſeu puer vnctis
Tractauit calicem manibus, dum furta ligurrit:
Siue grauis veteri craterae limus adhaeſit.
Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe, quantus

elegantius. Neminem fugit, quantam vim in corpus noſtrum habeat nauſea, quae ſola quandoque maximas turbas in oeconomia animali concitare poteſt. Nunquam certe a victu, qui cum nauſea ſumitur, bonam nutritionem expectaueris. Imo, id quod delicatioris faſtidii hominibus frequentius accidit, vel ſatietate mox abalienantur, vel ex inſolenti nauſea vomitus, cardialgias, febres, experiuntur. Nec deſunt exempla, quibus probari poteſt, victum ſordidatum pluribus fuiſſe exitioſum. Hoc omnibus compertum eſt, tenuiſſimum victum, modo is apparate, et cum aliquo elegantiae ſtudio, adponatur, ab omnibus, ipſis etiam magnatibus, opipare viuentibus, non raro expeti, teſte HORATIO: (40)

Plerumque gratae diuitibus vices,
Mundaeque paruo ſub lare pauperum
Coenae, ſine aulaeis et oſtro.

Itaque inter conuiualia oblectamenta princeps eſt mundities, omnesque, qui ſibi conuiuas adducere volunt, imitari decet HORATIVM (41)

Haec ego procurare et idoneus imperor, et non
Inuitus, ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares: ne non et cantharus et lanx
Oſtendat tibi te.

et IVVENALIS (42)

Hoſpite venturo, ceſſabit nemo tuorum:
Verre pauimentum: nitidas oſtende columnas:
Arida cum tota deſcendat aranea tela,

Hic

Conſiſtit ſumtus? neglectis flagitium ingens.

hunc ſecutus eſt BOILEAV *Satire III. v. 138.*

On a porté par tout des verres à la ronde,
Ou les doigts des laquais, dans la craſſe tracés,
Temoignoient par ecrit, qu'on les avoit rincés.

40) *L. III. Ode 29.*
41) *L. I. Epiſtol. V.*
42) *Satyra XIV. 59.*

Hic laeue argentum, vaſa aſpera tergeat alter.
- - - - ne ſtercore foeda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus.

Inprimis hoc obſeruari diligentius debet in aegrotantium victu, qui languore confecti inexpugnabili ſaepe nauſea premuntur. HIPPOCRATES (43) itaque, vt omnia, quae iis exhibentur, munda iucundaque ſint, praecepit, et GALENVS (44) probat, omnia, quae libenter aſſumuntur, et ſi paulo deteriori natura ſint, melius concoqui, quare medentes et hoc praeſidium negligere haud decet.

§. XII. In victus rationem cadit aquarum ſalubritas. Peſſimae ſunt ſtagnantes, pigrae, putreſcentes, limo refertae, et, quae, decoctae, coenum faciunt, aut vaſa craſſis obducunt cruſtis, ſiue tales bibantur, ſiue elixandis carnibus, obſoniisque, vel cereuiſiae coquendae, adhibeantur. In libris HIPPOCRATIS, qui (45) ſummo ſtudio aquarum differentias perſecutus eſt, habemus, eos, qui talibus vtuntur, maturius ſeneſcere. (46) Longam etiam morborum ſeriem enumerat, quibus impurae aquae potatores opprimuntur. Videndum itaque eſt, vt aquis puris vtamur, hoc maxime ſeculo, quo caldae potus, (47) vulgatiſſimae Thee et Coffee ſorbitiones, adeo inualuerunt. Quanquam enim, id quod HIPPOCRATES, (48) AETIVS, (49) PLINIVS, (50) aliique veterum, pro-

 dide-

43) *L. VI. Epidem. Sect. IV. Text. VIII.* Αἱ τοῖσι κάμνουσι χάριτες οἷον τὸ καθαρίως ὁρᾶν ἢ ποτὰ ἢ βρωτά. Confer. GALENVM *in Commentario.*

44) c. l. ὅσα ἴδιος προσφερόμενα τῶν ὀλίγον χρόνα τὴν φύσιν ἐχόντων, ἄμεινον ταῦτα πέπτομεν.

45) *In libro de Aere aquis et locis.*

46) *l. c. Cap. III. Tom. VI. Edit.* CHARTERII *p. 195.*

47) *De Caldae et Caldi apud veteres potu* vide *doctiſſimam Diſſ. Excellentiſſ.* GEBAVERI, ICti, quem honoris cauſa nominamus.

48) *c. l. Cap. IV. p. 199.*

49) *L. III. Cap. 165. pag. 63. Edit. apud* ALDVM. Ὅσα δὲ τῶν ὑδάτων σύψιν ἢ ἁλμυρίδα ἢ νιτροδίαν ἢ παχύτητα ἢ ἄλλό τι παρεμφαίνει γευομένοις, πονηρά. καὶ τὰ δύσοσμα, καὶ ὅσα ἐπίπαγον ἴσχει, καὶ ὑπόσασιν δυσώδη καὶ ψερεὰν, καὶ ὅσα προσπήγνυται τοῖς χαλκείοις λιθώδως. καὶ ὅσα βδέλλας τρέφει, ἢ τοιαῦτα τινὰ μοχθηρὰ ζῶα, καὶ τὰ ῥάσιμα, καὶ τὰ ἑλώδη, καὶ τὰ ἐν μετάλλοις χρυσῦ καὶ ἀργύρου ἢ συπτηρίας ἢ θείου, ἢ τῶν ὁμοίων, ὅσοις τε ἐμπεφύκασι ῥίζαι οὐκ ἐπιτήδειοι, καὶ οἷς γαστνιὰ θερμὰ

diderunt, vitioſae aquae remedium eſt, ſi decoquatur, vix tamen illa ſola coctione ita purgari poſſe videtur, vt ſanitati ſit idonea. Optima eſt fontana, ſaliens, quae percuſſu curſuque extenuatur, longe inferior, quae ex amni, non incitato, ſed ſedato, vel ex puteo, hauritur. In puteo nocentior eſt, quae in eo quieſcit, et cui crebro hauſtu nulla exercitationis ratio contingit, vel, quae, cloacis et ſterquiliniis vicina, dulci viroſoque ſapore inficitur. Inſaluberrimum etiam potum eſſe aquarum niualium, et quae ex glacie regelata colliguntur, ii quandoque experiuntur, qui inter alias lautitias vinum hiemant, niuem glaciemque potant, et, vt PLINIVS (51) loquitur, poenas montium in voluptatem gulae vertunt. Aquae vero glaciales peſtilentiſſimae ſunt, ſi, dum calore verno ſoluuntur, coeno viarumque colluuie remixtae, in puteos deſtillant, et poſt in potum, aliosque vſus, hauriuntur. Damnandae itaque ſunt impurae aquae, quae ventriculum intendunt, cruditates et lumbricos, aluum occupantes, gignunt, aluum, vel languidam, vel ſtrictam, reddunt, exſpirationem, vrinaeque profluuium, coërcent, et faciunt, vt eius potores, vel aqua inter cutem male habeat, vel eos emaciet, tandemque opprimat. Qui ſtipendia meruerunt, norunt, morborum caſtrenſium peſtilentiam, qua interdum ingentes exercitus maximas clades acceperunt, ex aquarum inſalubrium ſordidarumque potu frequentius oriri.

§. XIII. Plurimum ad ſecundam aduerſamque valetudinem facere

μὰ ὕδατα ἢ γῆν ἀυτοφυῆ, πάντα τὰ τοιαῦτα πονηρά. ἄριστον ἂν τὸ τοιοῦτον ὕδωρ προεψήσαντας ἐν κεραμίοις ἀγγείοις, καὶ ψύξαντας, καὶ πάλιν θερμάναντας, πίνειν. *Quaecunque aquarum ſaporem, aut adſtringentem, aut ſalſum, aut craſſum, aut alium, habent, malae ſunt, et quae male olent, quibus coagulum innatat, ſedimentum ſolidum ac foetidum eſt, et quae lapidis inſtar aeneis vaſis adhaereſcunt, et quae hirudines alunt, et alia moleſta animalia, et quieſcentes, et paluſtres, et quae in metallis, auro, argento, alumine, et ſulphure, aut ſimilibus, ſunt, quibus radices increſcunt, haud conuenientes, aut quibus iuxta ſunt thermae, ſcilicet ſponte erumpentes, omnes hae malae. Optimum igitur eſt, has aquas coquere in fictilibus vaſis, refrigerare, et iterum calefactas bibere.* Maximam partem cum AETIO conſentit SYMEON SETHVS *de Alimentorum facultatibus, a* MARTINO BOGDANO, *Lutet. Pariſ. 1658. 8. editus p. 129.*

50) *L. XXXI. Cap. III. Tom. II. p. 553.*

51) *L. XIX. Cap. IV. T. II. p. 163.*

facere amictum, alii praeſtantiſſimi viri (52) ante oculos poſuerunt. Veteres, qui ſe laneis veſtibus frequentius induerunt, has ſaepius eluendas emaculandasque curauerunt, cui rei operam locauit plebeium genus hominum, fullones, de quibus ante dictum eſt. Oleo madentes veſtes vetuſtiſſimis populis in vſu fuiſſe, ex HIPPOCRATE (53) intelligimus, qui hieme veſtes puras, aeſtate vero oleo imbutas, induere iuſſit. Eum tamen merito reprehendit GALENVS, (54) qui oleo infectas veſtes ſordidas plane eſſe probat, quas nemo, munditiei ſtudioſus, omnium minime vero aeſtate, ferre poſſit. Noſtris temporibus linea, quibus amicimur, indumenta melius lauari poſſunt, quam lanea; et illorum frequens mutatio magnam ſalubritatem homini praeſtat. Corpus enim, quod, et perſpirat, et bibulum eſt, ſordes, quas iugiter exhalat, ex linteis ſqualidis et ſudore perlitis iterum haurit, humoribus admiſcet, grauioribus morbis fomitem futurum, vt, ipſam inſenſibilem exſpirationem ad ſanitatem ſumme neceſſariam immunda hac illuuie cohiberi, taceamus. Omnes, qui de peſtiferorum morborum contagione ſcripſerunt, ſuadent, vt, qui iis graſſantibus labem auertere, ſanitatemque tueri, volunt, induſia lodicesque frequentius commutent. In luis venereae et ſcabiei curationibus experientia clarum eſt, hos morbos vix penitus eradicari poſſe, niſi hac munditie diligentius obſeruata, qui morbi etiam, vt et plures alii, contagione ſpurcorum linteorum ac veſtimentorum in alia corpora transferuntur. Sordidarum artium operariis, imo omnibus, linteorum crebrae lotiones his temporibus tanto magis neceſſariae videntur, quod balneorum vſus, quibus veteres ſe abluebant, laſſatumque corporis robur reficiebant, tantum non prorſus, ſaltem in noſtris regionibus, obſoleuit.

§. XIV. De his omnibus nemo dubitare videtur; de eo vero, et inter medicos ſaepe diſceptatum eſt, num acutis et exanthema-

52) RIVINVS *in Diſſert. de morbis ex veſtitu*, et BAIERVS *de veſtitu.*

53) *De ſalubri victus ratione Text. XI. Tom. VI. Edit.* CHARTER. *pag. 226.*

54) *in Commentario.*

thematicis morbis periculoſius decumbentes, puerperae, et quibus ptyaliſmus mercurio concitatus eſt, ſe ſordidatis linteis absque periculo exuere queant. Sunt non pauci eorum, qui, hoc absque ſummo aegrorum diſcrimine fieri poſſe, negant. Eorum tamen ſententia, et ratione, et experientia, fulta videtur, qui, ſpurcam illius excrementi colluuiem aegro ſaepius ipſo morbo nocentiorem eſſe, probant. Inficias ire quidem nolumus, non quouis tempore commode lintea ſordida deponi poſſe. Quo enim corporis quaedam partes madeſcunt, et ſudorem venturum teſtantur, vel, quo puſtulae in malignis prorumpunt, leuior aura, quae cutim ferit, omnia inuertit, et atrociſſima ſymptomata parit. Aſt vero, quo tempore ſudor finitus eſt, exanthemata corpus iam occupauerunt, morbus de impetu paululum remiſit, aeger ſe aliquantum leuatum ſentit, opportunitas eſt lintea mutandi, modo haec tepefacta ſint, nec humida, nec frigida, hocque fiat aere temperato, paulo calidiori, omnisque perflatus ſedulo arceatur. Hoc obſeruari, maxime in eorum curatione, decet, qui inter alias lautitias, et linteorum munditiis adſueti, illo ſqualore obſiti, longe grauius offenduntur, quam vile, obſcurum, ſordidumque, genus hominum, quod inter ſterquilinia adoleuit. (55)

§. XV. Nec ab inſtituti noſtri ratione, nec a veritate, nos quidquam declinaturos eſſe, confidimus, ſi crudelem naſorum peſtem, foetorem, morbis adnumeramus. Male enim olentes homines odoris intolerabili foeditate omnes depellunt, et conuictui ac ſocietati humanae vix idonei exiſtunt. Hominum enim putor iis odoribus accenſendus videtur, quos THEOPHRASTVS, (56) acerrimos et viroſiſſimos eſſe, exiſtimat. Sunt, quibus in toto corpore malus odor eſt, vt Ozolis, populo ob foetorem ita dicto, (57)

55) Vide CORTESIVM et SYLVATICVM *c. l.* CASPARVM a REIES *in Campo Elyſio Quaeſt. 82. p. 1080.* et RAMAZZINI *c. l. p. 544.*

56) *De Odoribus in Opuſculis a* DANIELE FVRLANO *editis pag. 195.* πλῆσαι (ὀσμῶν) καὶ κακωδέστατοι περὶ τὰς ὀχήας, καὶ ὅλως συντηκομένων καὶ καμνόντων σωμάτων.

(57) vel Lemniis mulieribus, quae, ANTIGONO (58) teſte, ex Medeae artibus tantum foetorem contraxerunt, vt viri iis abſtinuerint; aliis accidit, quod Rufo CATVLLI, (59) cui

Valle ſub alarum trux habitare caper

dicebatur. Nec deſunt, quae ſolent ἐκμαγεῖα ὄζειν, (60) vel, qui, pedibus ſuis, alieno naſo magnam faciunt moleſtiam. Quamuis vero haec graueolentia ex diuerſiſſimis quandoque cauſis proueniat, malo corporis habitu, victu, (61) aeris intemperie, et, ſi corpus nimium perſpirat, nec non a veneris immoderato vſu, vel clandeſtinis deſideriis, (62) et quamuis tutum non ſit, hos excrementitios halitus externis reprimere, cum MERCVRIALI (63) tamen nobis perſuaſum eſt, harum, quibus omnium nares ſpurcantur, foeditatum, foecundam matrem almamque nutricem eſſe, ſordidam illuuiem. Certum enim eſt, haec vitia, corporis cura, linteorum corporisque lotionibus, melius emendari, quam quibus-

57) Vid. PAVSANIAS *in Deſcript. Graeciae L. X. Cap. 38. p. 895.*

58) *In Mirabilium enarrationum congerie no. 130. p. 142. edit.* XYLANDRI. Τὰς δὲ Λημνίας δυσόσμους γενέσθαι Μηδείας ἀφικομένης μετ' Ἰάσονος. καὶ φάρμακα ἐκβαλούσης εἰς τὴν νῆσον. Κατὰ δή τινα χρόνον, καὶ μάλιστα ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ἑορτὴν ἦγον τὴν Μηδειαν παραγενέσθαι, δυσώδεις αὐτὰς ἔτως γίνεσθαι, ὥστε μηδένα προσιέναι.

59) *Pag. 297. Edit.* ISAACI VOSSII.

60) CATVLLVS *c. l. pag. 96.*

Non eſt ſana puella, nec rogate
Qualis ſit, ſolet ἐκμαγεῖα ὄζειν

Id quod ISAACVS VOSSIVS de obſcoenorum foetore interpretatur, et τὸ ἐκμαγεῖον ſpongiam ſeu terſorium ſignificare probat. Ligno enim, cui ſpongia adhaerebat, vſos fuiſſe veteres ad emundanda obſcoena ex SENECAE *Epiſt. LXX. pag. 259.* cognoſcimus, qui fortitudinem beſtiarii miratur. Hic enim cum ad ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus, et ſpongiam in gulam farſit, vique praecluſis faucibus ſpiritum eliſit.

61) De Moſcho quodam et Anchimolo, qui toto vitae tempore ſolam aquam et ficus guſtauerant, ex ATHENAEI *L. II. Cap. VI. pag. 44.* refert MERCVRIALIS *de Decoratione. Cap. XXIX. pag. 89. Edit. Venet. anno 1601.* eos adeo foetuiſſe, vt in balneis ferri non potuerint.

62) Notus eſt locus HIPPOCRATIS *L. VI. Epidem. Sect. III. Tom. I. pag. 805. Edit.* LIND. de aegris, qui ἄρχωνται ἀφροδισιάζειν ἢ τραγίζειν. Cum τῷ τραγίζειν Graecorum conuenit Latinorum *Hirquitallire.* Vide FESTVM *de Verborum ſignificationibus et* G. I. VOSSII *Etymologicum L. L.* Haec vocabula, et a laſciuiae, et odoris, conuenientia, ortum habent.

63) *c. l.*

quibusuis aliis artibus. Qui enim ſe odoratioribus ſuffiunt, cinnamaque redolent, iis merito obiicitur id, quod Poſthumo a MARTIALI (64)

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene Poſthume ſemper
Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Illud enim de omnibus dicendum videtur, quod CICERO de mulieribus: (65) eas bene olere, ſi nihil oleant. Nemo itaque, liberaliter educatus, imitabitur MAXIMILIANVM SFORZAM, Mediolanenſem Ducem, qui nunquam calceos linteos exuit, niſi putrefactos. (66) Nec forte peluis honeſtiſſimam foeminam, eiusque ſupellectilem et muliebrem mundum, dedecorabit, qua olim meretriculas vſas fuiſſe, legimus. (67) Crebris enim verendorum lotionibus plures horum morbos, eosque valde tenaces, et gra ues, inprimis τὸν ξὺν γυναικείου τὸν λευκὸν feliciſſime auerti, nec, niſi iisdem in ſubſidium vocatis, curari poſſe, notum eſt medentibus.

§. XVI. Porro, quanquam id forte non absque naris incommodo fiat,

neceſſe eſt
Has offendere baſiationes,
Quae ſetam bene uindicare poſſunt; (68)

illas eorum intelligimus, qui contaminatum ſpiritum nobis inhalant, nosque ſaepe immundiſſimo baſio conſpuunt. Et huius graueolentiae non vnus fons eſt. Nam, quandoque ſpiritus ieiunio, vel moerore, macer fit, ſunt, qui heſterno mero foetent, (69)

64) *L. II. Epigr.* 12.

65) *L. II. Epiſtolar. ad Atticum Epiſt. I.*

66) CORTESIVS *c. l. p.* 230.

67) DEMETRIVS PHALEREVS *de Elocutione n.* 326. *Edit.* THOMAE GALE *Oxonii* 1676. *p.* 176. inter meretriciam ſuppellectilem refert, peluim, nummulos, et lectulum. τὴν λεκανίδα καὶ τὰς ὀβολὰς καὶ τὴν ψιάθον. Confer. OVIDIVS *in Amorum L. III. Elegia VII. v.* 84. et BVRMANNVS *in Commentario.*

68) MARTIALIS *L. II. Epigr.* 23.

(69) aliis vlcera circa fauces ſunt, quae ex carie malum odorem habent, aliis magni lienes. His enim, teſte HIPPOCRATE, (70) et CELSO (71) gingiuae malae ſunt, et os olet. Omnes etiam, qui febre conflictantur, foetidam habent animam, quare et THVCYDIDES, Hiſtoricus, (72) in elegantiſſima peſtis Athenienſis deſcriptione, inter alia ſymptomata ingruentis morbi numerat τὸ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες. Tacemus eos, quibus ex viſcerum ſuppurationibus foetor per fauces prorumpit, nec non, qui ſtomacho infirmato laborant. His enim omnibus alia inuenienda ſunt auxilia, quamuis et hi tetrum halitum non parum dispellant, ſi os frequentius eluunt, ſordesque, quae linguae, faucibusque, inſident, abſtergunt. Aſt vero non rarum eſt, homines videre, qui maiorem curam munditiarum pedibus, quam ori, dentibusque, impertiuntur, de qua oris illuuie APVLEIVS (73) pronunciauit, nihil minus, quam eam, libero et liberali viro competere. Haec oris autem foeditas irreparabile damnum toti oeconomiae humanae infert, dum dentes exeſt, eosque ſcabros, nigros, labantes, reddit, quibus hominibus tandem accidit, quod Aeliae apud MARTIALEM (74)

Si memini fuerant tibi quatuor Aelia dentes.
Exſpuit vna duos tuſſis, et vna duos.
Iam ſecura potes, totis tuſſire diebus;
Nihil iſtic, quod agat, tertia tuſſis habet.

Dentibus vero in ore conſtructis, cibum mandi, extenuari, molliri, corporique nutriendo idoneum reddi, omnibus gnarum eſt; ſi den-

69) *Idem L. I. Epigr. 88.*
70) *De Internis affectionibus Cap. XXIII. Tom. VII. pag. 662.*
71) *L. II. Cap. VII.*
72) *L. II. Cap. 49. p. m. Edit. Oxonienſ.* quem ſecutus eſt LVCRETIVS *L. VI. v. 1152.*

Spiritus ore foras tetrum volebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.

73) l. c. p. 410.
74) *L. I. Epigr. XX.*

ſi dentes vero cadunt, vel, carie infecti, labant, alimentum in ore haud conficitur, quod, deglutitum, difficilius a ventriculo, aliisque viſceribus, ſubigitur, contrahitur cruditas, qua viſcera infirmantur, humores vitiantur. Cibis etiam, dum manduntur, limus et ſqualida colluuies, quae dentibus inhaeret, et qua lingua, fauces-que obſitae ſunt, intime admiſcetur, quae chylo ſanguinique rancorem, corpori futurarum valetudinum ſeminium, adfert. Ne itaque hanc dentium iacturam, quae, ſi per negligentiam venit, turpiſſima eſt, faciamus, OVIDIVM audiamus: (75)

Linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes.

id quod optime efficitur munda oris cura, dum os dentesque colluuntur, puluillo emaculantur, et confirmantur. (76) Nemo vero malit, ea ratione dentium nitori ſtudere, qua olim Celtiberorum vxores, quae vrina, in ciſternis inueterata, dentes terſerunt. (77)

§. XVII Eadem etiam aliarum corporis partium ratio eſt, quarum quaedam exiſtit elegantia. Capillus, cum cura compoſitus, vel ingenio ſuo flexus, vel calamiſtro in cincinnos conuerſus, magnam venuſtatem et decentiam homini conciliat, neglectum vero, hiſpidum, et horridum, omnes reformidant. Et hic morbos alit ſpurciſſimos, porriginem, achores, fauos, foediſſima et manantia capitis vlcera, et φθειριασιν. (78) Nec his tutum eſt ſuperhabere medicamenta, quae reprimunt, aut vlceribus medentur, cum experientia doceat, grauiſſimos capitis oculorumque dolores, imo comitialem morbum, ex praepoſtera curatione oriri.

75) *De Arte amandi L. I. v. 515.*

76) De dentium cura, eorumque chirurgia, nuper optime ſcripſit Chirurgus Gallus, FAVCHARD, qui edidit le *Chirurgien Dentiſte.*

77) Vid. STRABO *L. III. p. 246. Edit.* GRONOV. Hine CATVLLVS *in Egnatium p. 93.* qui, quod candidos habebat dentes, vsque quaque renidebat, ſeu ſubridebat.

Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atque ruſſam defricare gingiuam.
Vt quo iſte veſter expolitior dens eſt,
Hoc te amplius bibiſſe praedicet lotii.

78) De his vide plura in TRALLIANO *L. I. Cap. VIII. et IX. Edit. apud* ROB. STEPHANVM *p. 5.*

ri. Optimum itaque leuamen iis adfert munditiei cura; in qua re conſentientem habemus CELSVM, (79) qui commodius eſſe monet, porriginem ſubinde pectendo repurgare, quam ex toto prohibere. Et ſane, niſi haec munditiarum praeſidia his putidiſſimis morbis adhibeantur, omnem ſpem fallit quaeuis curatio. De eo vicinis populis endemio morbi genere, quod plicam Polonicam vulgo appellitant, veritati non minus conſentaneum videtur, illud quam plurimum ex ſqualido et inquinatiſſimo viuendi genere, neglectoque cultu, oriri.

§. XVIII. Quae cutis nitorem et faciei elegantiam ſummo ſtudio curant, foeminae, illam variis inquinamentis non parum quandoque foedare ſolent. Quid enim immundius videri poteſt, quam facies medicamine attrita, ſi per frontem ſudantis acaciae riui defluunt, et inter rugas malarum tantum cretae eſt, vt putes detectum parietem nimbo laborare (80)

Sic quae nigrior eſt cadente moro,
Ceruſſata ſibi placet Lycoris (81)

non aeque aliis. Hoc non ita accipiendum volumus, ac ſi foeminis curam cultus ſui eripere velimus, id quod nec CELSVM (82) auſum fuiſſe legimus; ſed facimus cum MARTIALI, (83) non ſtulto harum rerum exiſtimatore, qui ait:

Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.

Vniuerſum itaque coſmeticae artis apparatum, et CLEOPATRAE regias atque peculiari volumine deſcriptas artes, (84) ſi unquam verum eſt, quod de ea circumfertur, longe inferiores eſſe illarum ſtudio arbitramur,

79) *L. VI. Cap. II.*
80) PETRONIVS *Cap. 23. p. 79.*
81) MARTIALIS *L. I. Epigr. 73.*
82) *L. VI. Cap. 5.*
83) *L. II. Epigr. 36.*
84) Quem librum, absque dubio ſpurium, frequentius allegat MICHAEL NEANDER *in Synopſi Menſurarum et Ponderum, Baſileae, 1555.* Confer MERCKLINI *Lindenium renouatum.*

Quae munditiis annorum damna rependunt. (85)

Illis enim, quae fuco colorem mentiuntur, citius rugas venire, in vulgus innotuit. Nec cutis infucata, vt decet, perſpirat, gignuntur ideo notiſſima illa, et adeo exoſa, cutis vitia, lenticulae, vari, ephelides. Obſeruatum eſt alibi, eas, quae vulgatiſſimum fucati ruboris medicamentum, cinnabarim, genis allinunt, tandem turpiter lippire, dum deliteſcens hydrargyrum glandulam, lacrymas fundentem, aliasque, anatomicis Meibomianas dictas, ſubit, illarum ductus ampliat, et vlcera, moleſtamque humoris redundationem, palpebris adfert. Supra dicta cutis vitia quandoque faciei delicatularum adfricari, manuum rancida illuuie ſordidatarum contrectatione, experientia docuit.

§. XIX. Non minus confert emunctae naris eſſe. Solerti autem naturae prouidentia factum eſt, vt naſus in media capitis parte ſit locatus, eo, quod odores ſurſum feruntur, et, vt organa capitis, ſenſibus maximam partem dicata, et tenerrima, nullus, niſi purior et defecatus, humor allueret. Lentor enim, mucusque, in illa membrana, qua interius nares, et iuxta poſiti oſſei ſinus, inueſtiuntur, ſecernitur, qui excrementitius humor neruis olfactoriis cuſtodiendis non inutilis eſt. Si vero humor ex dicta membrana, quam pituitariam appellant, vel SCHNEIDERIANAM, (86) non rite procedit, grauiſſimis morbis caput, et oculi inprimis, affliguntur, qui, amauroſi et glaucomate tentati, caecutiunt. Plus ſimplici vice obſeruatae ſunt in infantibus lippitudines, ex neglecta narium cura, quae, imperata frequentiori emunctione, melius, quam aliis remediis, curatae fuerunt. Itaque humentibus naribus eſſe, vt olim CLAVDIVS CAESAR, (87) et turpe eſt, ac indecorum, et inſaluberrimum

§. XX.

85) OVIDIVS *de arte amandi L. II. v. 677.*

86) a CONRADO VICTORE SCHNEIDERO, qui eam *in libello de Oſſe cribriformi, et in vaſto opere de Catarrhis* accuratius deſcripſit.

87) v. SVETONIVS *Cap. XXX.*

§. XX. Ad ῥυπονυχίδας descendimus, eosque, qui, vt LVCIANI (88) Cynicus, optant, vt vngues ab equinis vngulis nihil differant, quales olim CHIRONIS CENTAVRI fuisse, dicuntur. Hoc enim, quod parum ad sanitatem facere videtur, exitiosum esse potest puerperis, si, parturientibus opem ferentes, eminentes et incuruos vngues habent, quibus vterum laedunt, et inflammationi occasionem praebent. Vngues itaque quouis tempore prosecare possunt, et obstetrices, et omnes, quod equidem olim, teste PLINIO, (89) tempore nundinarum, et, teste PETRONIO, (90) in naui, religiosum fuit. Illudque OVIDII (91) omnibus dictum esto:

Et nihil emineant, et sint sine sordibus ungues.

§. XXI. Munditia multa, circumspecte compositeque agere decet myro-et pharmacopolas, quorum vasa, omniaque, quae ad supellectilem attinent, diligentius eluenda mundandaque sunt, ne sordidum quid, aut virulentum, admisceatur medicaminibus, in salutem aegrorum parandis, et, ne haec ex nidore ac illuuie situm et mucorem contrahant. Chirurgorum summa culpa est, si phlebotomo, aliisue ferramentis, vtuntur, incuria sordidis et rubiginosis, et ex iis vulnerum cruorem, vlcerumque ichorem, non sedulo extergunt, si vulnera fasciis, pannisque, tetra sanie oblitis, deligant, haec non diligenter purgant, fluente tabo madentibus, vel illuuie squalidis, manibus in aegri os inuolant, illi ore foetido teterrimam popinam inhalant, proprii corporis cultum negligunt, hacque turpitudine aegrotantibus nauseam, sibi contemptum, adferunt. Idem de obstetricibus dicendum est, hoc maxime tempore, quo foeda syphilis plures depascitur; quam quondam obstetrici adeo exitiosam fuisse, legimus, vt illi manus ex foedo vlcere exciderit. (92) Hoc virus, nisi illae mulierculae manus,

88) *T. II p. 314.*
89) *L. XXIIX. Cap. II. Tom. II. p. 448.*
90) *Cap. CIV. p. 485.*
91) *l. c.*
92) v. FERNELIVS *de Abditis rerum causis L. II. Cap. XIV. p. 224.*

vel linteolo obuoluunt, vel diligentius deluunt, furfure et ſapone defricant, et cum cura pertergunt, contagione ad alias innocentiſſimas transferri poteſt. His itaque omnibus confirmari exiſtimamus, quae a nemine noſtrum ignorari debent, munditiarum videlicet curam ad ſanitatem tuendam, inſtaurandamque, ſordidam vero illuuiem ad gignendos alendosque peſtilentiſſimos morbos, plurimum valere.

DIS-

DISSERTATIO IIII.

DE THORACIBVS

PVBLICE PROPOSITA

D. XXVIIII. IVLII CIↃ IↃ CCXXXV

RESPONDENTE

TRAVGOTT GERBER.

§. I.

Medentes, qui cum laude dignitateque artem, quam profitentur, facere volunt, nihil eorum negligere decet, quae ad ſanitatem impediendam, morbosque alendos, praeſentes habent vires, nec vllum genus auxiliorum contemnere, quibus aduerſae valetudinis impetus leuari poſſunt, quamuis vilia et vulgaria haec aliis videantur. Rerum vero leuiorum cognitionem artis ſtudioſi ſaepe maiori difficultate conſequuntur, quam arduarum, quarum doctrina et ſcholae perſonant, et omnes libri abundant. Illud iam HIPPOCRATES (1) animaduertit, qui, *artis vilia noſſe difficile, ſeria vero facile, vilia medicis, minime autem vulgo, cognita eſſe*, profitetur. Alto ſupercilio plerumque haec deſpiciunt magniloqui, arcanorum venditores, qui, dum ſaluberrimam artem ad vilem ſordidamque nundinationem traduxerunt, nihil attentione curaque dignum eſſe putant, quam, quae magnifica praedicatione, glorioſaque oſtentatione, inſtitorum more, efferunt, medicamina, quod ex horum mercatu vberiorem quaeſtum facere ſolent. Nec apud tales gratiam inire in mente fuit, dum hanc exercitationem, cuius argumentum tenue paruumque eſſe videtur, conſcripſimus; Cordatiores vero, vt ſperamus, vitio nobis haud vertent, ſi illud veſtimenti genus, quo pectus coërcetur,

1) *Libro de Flatibus* ab initio: Τῆς τέχνης τὰ μὲν φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι, τὰ δὲ σπουδαῖα ῥηΐδιον. καὶ τὰ μὲν φλαῦρα τοῖσιν Ἰητροῖσι, καὶ ὐ τοῖσιν ἰδιώτῃσιν. ὐ γὰρ σώματος ἀλλὰ γνώμης ἔργα εἰσίν.

tur, et quod thoracem appellauimus, paulo accuratiori examini ſubmittemus, quia, hoc pectoris tegumentum, inter omnem, quo iam vtimur, amictum, tum ad gignendos pernicioſiſſimos morbos, tum ad valetudinem tuendam, inſtaurandamque, non parum valere, cognitum eſt.

§. II. Thoracem vocauimus illud capitii (2) genus, quo his temporibus pectus conſtringunt, prae viris, foeminae, quae corporis proceritatem, gracilitatemque, conſectantur, vt ſibi, aliisque, placeant. (3) Θώραξ veteribus ſignificat, et ipſum pectus, (4) et quoduis pectoris munimentum, pectorale, loricam, qua, aenea, ferrea, hamis ſquamiſque conſerta, imo et lanea, milites olim induebantur. (5) In SVETONIO (6) vero legimus, Auguſtum Imperatorem, hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et ſubucula, et thorace laneo, et feminalibus, et tibialibus, munitum fuiſſe. GALENVS (7) faſciam deſcribit, qua pectus in chirurgicos vſus vincitur, quam Θώρακα Ἀμήντου appellant. Haud vero conſtat, apud veteres foeminas, quibus omni aetate et apud omnes gentes rerum, quae ad corporis ſpeciem augendam faciunt, antiquiſſima cura fuit, thoracem eum in finem induiſſe, vt corpori decus

2) De Capitio, pectoris amictu, vide VARRONEM *de L. L. L. IV. p. 32.* Dictum fuit ab eo, quod capit pectus, id eſt, vt veteres dicebant, indutu comprehendit. Confer. OCTAVII FERRARII *Analecta de re Veſtiaria Cap. VIII.* in *Theſauro Antiqu. Rom.* GRAEVII *T. VI. p. 1059.*

3) Et apud veteres foeminas proceras aliis antelatas fuiſſe legimus. THEOCRITVS, Helenam laudaturus, illam μεγάλην vocat Idyllio XVIII. v. 28.

Ὥδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν
Πιήρη μεγάλη.
Sic et aurea Helena elucebat inter nos Valida, procera.

De Lacedaemoniis teſtatur PLVTARCHVS, eos regem ſuum Archidamum, qui puſillam vxorem duxerat, pecunia mulctaſſe. *in Ageſilao ex Edit.* AVGVST. BRYANI *T. III p. 368. et de Liberis educandis* mox ab initio. Confer MEVRSII *Miſcell. Lacon. L. I. Cap. 19.*

4) vid. IVLII POLLVCIS *Onomaſticum L. II. Cap. IV. Segm. 162.*

5) vide POLLVCEM *l. c. Segm. 134.* et IVSTVM LIPSIVM *ad* POLYBIVM *de Militia Romana L. III. Dialogo VI.*

6) *In Auguſto Cap. 82.* Confer OCTAVIVM FERRARIVM *c. l. L. III. Cap. III. p. 729.*

7) *Libro de Faſciis Cap. LXXXIX. in Edit.* CHART. *T. XII. p. 493.* Figuram vide in Tabula VII. Hodie Chirurgi illam faſciationem vocant Quadrigam.

decus adferrent; quam pulchritudinem ſibi aliis machinis, faſciis (8) nimirum, admotisque medicaminibus, (9) forte etiam ipſa ſectione adhibita, (10) conciliare ſtuduerunt, quia turpe erat, mammoſam eſſe, (11) caſtigatis vero papillis, decorum. (12) De Antonino

8) OVIDIVS *Artis Amat. L. III. v.* 274. inter alias artes, quibus mendae corporisque vitia occuluntur, et hoc praecipit:

Inflatum circa faſcia pectus eat.

et MARTIALIS *L. XIV. Epigr. 134.*

Faſcia creſcentes Dominae compeſce papillas.

Confer APVLEIVM *in Metamorphoſi L. II. p. 43. et L. X. p. 841. Edit.* IVLIANI FLORIDI. Et LVCIANVM *in Amoribus Ed.* BOVRDELOTII *p. 579.* Illas faſcias ſtrophia appellabant, hinc CATVLLVS *in Epithalamio Thetidis et Pelei in Edit.* VOSSII *p. 178.*

Non contecta leui velatum pectus amictu,
Non tereti ſtrophio lactantis vincta papillas.

Seruos vero, ſtrophiorum opifices, ſtrophiarios, quorum inter numeroſiſſimam ſeruorum, luxui muliebri dicatorum, familiam meminit PLAVTVS *in Aulularia Act. III. Sc. V.* confer notas TAVBMANNI et OCTAVIVM FERRARIVM *c. l. Cap. XXI. p. 761.*

9) SERENVS SAMMONICVS *de Medicina Cap. XX.*

Si caſtigatas ſtudium eſt praeſtare papillas,
Ex hedera ſertis ambas redimire memento
Protinus, et raptas fumis mandare coronas:
Anſeris aut ſeuum, pariter cum lacte tepenti,
Aut ouum illinito, tulerit quod garrula perdix.
Praeterea pluuio decocta papauera rore
Haereſcant, multis poſt diſſoluenda diebus.

Et GALENVS *de ſimplicium Medicamentorum Facultatibus L. IX. Cap. II. §. 17. T. XIII. p. 258.* Νάξίας ἀκόνης ἀπότριμμα κηὶ τιτθὸς παρθένων κολύει πρὸς ὤρας; ἐμφυσᾶσθαι κηὶ παίδων ὄρχεις. Cotis Naxiae ramentum mammas virginibus ſuo tempore prohibet tumeſcere et puerorum teſtes.

10) Ad minimum PAVLVS AEGINETA *L. VI. Cap. 46.* mammoſis viris propoſuit chirurgiam, qua turgentibus mammis, facta ſectione, detractaque pinguedine, mederi poſſint; Exuberantes enim mammas effoeminatae naturae opprobrium adferre adſerit.

11) MARTIALIS L. XIV. Epigr. 49.

Mammoſas metuo: tenerae me trade puellae.
Vt poſſint niueo pectore lina frui.

Et OVIDIVS *in Remediorum amoris libro,* inter alia corporis vitia, quibus foeminae dedecorantur, et hoc numerat

omne papillae
Pectus habent tumidae.

12) De caſtigatis papillis vid. HIERONYMI MERCVRIALIS *variae Lect. L. V. Cap. III. p. 147.* BVRMANNI *Comment. in* SERENVM c. l. et ad OVIDIVM *L. I. Amorum Eleg. V. v. 21.*

tonino Pio ([13]) tamen legimus, eum, quum esset longus et senex, incuruareturque, tiliaceis tabulis in pectore positis fasciatum fuisse, vt rectus incederet. Nostris vero virginibus in vsu sunt cataphractae, ex linteo plerumque, quandoque ex corio, insutis balaenariis virgis structae, quibus ligula, valentius adducta, se eum in finem adstringunt, vt proceritatem gracilitatemque corporis iuuent, similes illis, de quibus TERENTIVS ([14]).

quas matres student
Demissis humeris esse vincto pectore vt graciles sient
Si qua est habitior paullo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum
Tametsi bona est natura reddunt curatura iunceas.

§. III. Dum autem, quantum prodesse, quantum nocere, possint rigidi thoraces, exponere animus est, deprehendimus, illos valetudini frequentissime obesse, rarius opitulari. Nihil tamen acerbius videtur, magisque dolendum, quam ex hoc, quo foeminae ad

13) Vide IVLIVM CAPITOLINVM in eius vita. Apud veteres comicos Poëta διθυραμβοποιὸς, qui, cum summa gracilitate corporisque infirmitate esset, et ideo pectus, ne ob proceritatem corpus flecteret, tabula ex ligno tiliae facta circumcingeret, appellatus fuit φιλύρινος. vide ATHENAEVM *L. XII. Cap. XIII. p. 551.* SVIDAS *T. III. p. 614.* sub hac voce aliam huius nominis causam adducit, quem tamen emendauit doctissimus vir THOMAS REINESIVS *in Variis Lectionibus L. II. Cap. XVIII. p. 293.* In gibberis curatione vsus est HIPPOCRATES Assere ex tilia. Σανὶς δὲ φιλυρίνη μὴ λεπτὴ ἐνείνη, ἢ καὶ ἄλλου τινὸς ξύλου de articulis *Sect. II. Text. 49. T. XII. Edit.* CHARTER. *p. 389.* TERTVLLIANVS *Libro de Pallio Cap. V.* loquitur de rugis in tunica formatis, et in tilias deductis et *Cap. I.* de pallii redundantia tabulata congregatione facta, ex quibus verbis a vero haud alienum videtur, veteres vestes suas muniisse tabulis, et his assuisse rugas ordinatim positas. Aliam tamen sententiam tuetur SALMASIVS *in Comment. in* TERTVLLIANVM *de Pallio p. 320.* Forte eaedem tabulae fuerunt, quibus veteres pro chartis vsi sunt, de quibus vid. AELIANVS *Variar. Historiar. L. XIV. Cap. XII.* et HERODIANVS *L. I. Cap. XVIII. p. 55. in Edit. Oxon. §. 52. p. 42.* conf. BODAEVS a STAPEL in THEOPHRASTI *Historiam Plant. p. 179.* Nero histrionicis artibus deditus, plumbea lamina, pectori imposita, vsus est, vt vocem aleret. vid. PLINIVS *L. XXXIV. C. XVIII. pag. 670.* Edit. HARDVINI. Hoc tamen ideo factum fuit, quod insignem refrigerandi vim plumbo tribuerent, quare et lumbis illud adligauerunt, vt veneris impetus cohiberent. *vid. c. l.*

14) *In Eunucho Act. II. Sc. III.*

ad ſpecioſiorem cultum vtuntur, amictu, etiam naſcituro homini ſaepe ſummam offenſionem accidere, et foetus in maternis viſceribus ſuffocari, praematuroque partu expelli. Ex numero aliarum occaſionum, per quas abortus fiunt, hanc inter elegantiores foeminas ſatis frequentem eſſe, omnibus notum eſt, quae, dum formae atque muliebri venuſtati magis, quam proli conſeruandae, ſtudent, intumeſcentem ventrem, et, quod iam ſurgentis vteri mole anguſtatum eſt, pectus, valentius, et ſaepe immaniter, conſtringunt, tandemque miſeram prolem ante legitimum partionis tempus infeliciter elidunt, et exprimunt. HIPPOCRATES (15) iam inter alias cauſas, ex quibus partus, in vtero concepti, aboriuntur, ventris coarctationem, et hinc factam foetus compreſſionem, retulit. Vix autem violentius premi poteſt vterus, quam, ſi cum pectore etiam abdominis muſculi his arctioribus thoracibus continentur, quibus cataphractariae mulieres, quamuis grauiditas et valetudo negligentiorem amictum excuſare poſſet, ſe veſtire ad vltimos ſaepe menſes ſolent. Nam tanto magis hoc peſtiferum eſt, et ipſis matribus, et in vtero deliteſcenti partui, ſi, poſtquam plures menſes expleuerunt, has grauiſſimas offenſiones haud omittunt. Nec tamen his ſolis machinis in naſciturae prolis vitam ſanitatemque graſſantur vecordiſſimae matres, ſed huic inſaniae aliam peiorem addunt. Ne enim venter, quod minus decorum putant, proiiciatur, in thoracis partem anteriorem infigunt rigidum bacillum, leuiter inflexum, ex metallo, ligno, cornu, ebore, balaenaria virga, confectum, quo prominentior vmbilicus multum premitur. *La Planchette* Germ. das Blanckſcheit appellant, hoc nocentioris cultus inſtrumentum, cuius noxam inter alios RODERICVS a CASTRO, (16) BARTHOLOMAEVS THVRIANVS, (17) WOLFGANGVS HOEFERVS, (18) nec non ſingulari commenta-

 tione

15) *de Morbis mulierum L. I. in Edit.* FOESII *Sect. V. p. 165.*

16) *de Morbis mulierum L. IV. Cap. IV. p. 449.*

17) *In Iatrobulia Lib. IV. Cap. X. p. 274.*

18) *in Hercule Medico L. III. Cap. I. p. 166.*

tione GEORGIVS FRANCK, de FRANCKENAV, (19) expoſuerunt. Periculum vero, quod ex hoc bacillo foetui imminet, multum augetur, ſi, quae proceriores, quam ſunt, videri volunt mulieres, calceamentis altiuſculis vtuntur. Dum enim grauidae, ſic calceatae, ſeu rectius cothurnatae, erecta planta incedunt, abdomen anteriora verſus proiicitur, et thoraci, illius bacilli comitatu rigorato, multum adprimitur, vt taceamus, tali inceſſu non parum intendi eos abdominis muſculos, quos rectos vocant Anatomici, quibus dum ſubmittitur grauidus vterus, is magis coarctatur, foetus vero tandem miſere praefocatur.

§. IV. Grauiter itaque et ſeuere reprehendendus, legeque publica prohibendus, videtur veſtitus, (20) quo, et parentis valetudo, id quod ex omni abortu fit, periclitatur, et ipſa proles indigniſſime iugulatur. Si vero abortum haud patiuntur mulieres, aliud tamen foetui imminet periculum, dum, accedente hac externa violentia, eius corpuſculum, cui ſumma teneritas ac mollitudo eſt, deforme ac monſtroſum redditur. Haud praeter rationem ii, qui de monſtris ſcripſerunt, (21) contractas adſtrictasque veſtes et faſcias, quibus eae, quae conceptum occultare volunt, abdomen coercent, adnumerarunt portentoſorum partuum, qui non raro in lucem eduntur, cauſis. Nec HIPPOCRATEM (22) haec

19) *In Satyrar. medicar. XII. p. 213.*

20) Athenienſes inter alios magiſtratus habebant γυναικονόμους, ſeu γυναικοκόσμους, qui de matronarum et omnium mulierum ornatu ſtatuebant. vid. IVLIVS POLLVX *L. VIII. Sect. 112. p. 934.* Graecos imitatos fuiſſe Venetos, tradit GVILIELMVS POSTELLVS *de Republ. Athenienſium Cap. XXXII.* confer CAROLVM SIGONIVM *de Rep. Athenienſ. L. IV. Cap. III. in Theſauro* GRONOVII *Vol. V.* Lacedaemoniis erant ἀρμόσυνοι, quibus idem erat officium. vid. HESYCHIVS ſub hac voce *p. 144.*

21) vide LICETVM *de monſtris L. II. Cap. V. p. 68.*

22) *Libro de genitura in Edit.* FOESII *Sect. III. p. 14.* Ἢ ἑτέρῳ τρόπῳ τοιῶδε πηρῶται παιδία, ἐπὴν ἐν τῇσι μήτρῃσι κατὰ τὸ χωρίον καθότι καὶ ἐπηρώθη τενὸν ἔῃ, ἀνάγκη ἐν τενῷ κινευμένῳ τῷ σωματος πηρῶσθαι, κατ' ἐκεῖνο τὸ χωρίον. ὥσπερ καὶ τῶν δένδρων ὅσσα ἐν τῇ γῇ ἐόντα μὴ ἔχη ἐυρυχωρίην, ἀλλ' ὑπὸ λίθῳ ἢ ὑπό τινος ἄλλῳ ἀπολήφθῃ, ἀνατέλλον σκολιὸν γίνεται, ἢ τῇ μὲν παχὺ τῇ δὲ λεπτὸν. ὕτω καὶ ἔχει δὲ τῷ παιδίῳ γίνεσθαι, ἢν ἐν τῇσι μήτρῃσι κατά τι τῶ σώματος τενότερον ἔῃ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ. Alio huiuscemodi modo mutilantur pueri, vbi vteri locus, in quo mutilati fuerunt, anguſtus fuerit, cum neceſſe ſit, corpus, quod anguſto loco mouetur, illic mutilum fieri. Non ſecus ac arbo-

res,

haec latuerunt, qui, foetus eo loco, quo vteri anguſti ſunt, mutilari, probauit. Imo, ſi miſeris partubus non corporis deformitas his vteri anguſtiis adfertur, ii nihilominus maternam ſtoliditatem aliis poenis luunt, dum corpora eorum infirmantur, debiliaque fiunt. Si enim, id quod grauidis, quae thoracibus arctioribus veſtiuntur, accidere nouimus, reſpiratio multum impedita eſt, non laudabilis, et ad tenella viſcera nutriendum ſatis idoneus, confectuſque, ſuccus, ad vterum perlabitur, ſed alienus et crudus, quo foetui, nec alimenti, nec incrementi, ſatis praeſtatur. Pueri ideo naſcuntur his parentibus imbecilli, eneruatique, qui hac, quam matrum ineptiis debent, infirmitate ſaepe per omnem vitam conflictantur. Tales vero matres multum agreſtibus inferioriſque ſortis parentibus infeliciores ſunt, quae, quamuis diurno quaeſtu, et quotidianis, quibus franguntur, laboribus, vix famem propulſant, exactis rite menſibus, infantes pariunt, corpore vegetos, et valentes, et qui aliorum in opprobrium per omnia vitae ſuae tempora hac corporis ſalubritate inoffenſaque valetudine gaudent. Hoc certe a veritate alienum haud videtur, dirum illum, et hac aetate adeo frequentem, puerorum morbum, rhachitidem, cuius plures cauſae fontesque ſunt, non raro ab hac grauidi ventris coarctatione oriri, ad minimum hanc, ſi materni corporis habitudo, aliaeque occaſiones, praeſto ſunt, non parum conferre. Omnes enim conſentiunt, peſtiferam illam tabem, qua tot pueri emaciantur, ex vitiato humore naſci, quo corpus, cui naturaliter ſemper aliquid per ſe-et excretiones decedit, non rite alitur, ſed ex crudo alimento emacreſcit, omnemque colorem decoremque amittit: cui tandem illud accedit, vt, ſubſidente prauo humore, aliquae partes, oſſium maxime appendices,

res, quae terra continentur, neque ſatis amplum ſpatium habent, ſed, vel a lapide, vel alia quapiam re, detinentur, cum exoriuntur, tortuoſae euadunt, aut parte vna craſſae, altera tenues. Sic certe circa puerum contingit, ſi pars quaedam corporis in vtero anguſtiore loco, quam antea, contineatur. conf. quae de his habet HENRICVS EYSSONIVS, Profeſſor Groeningenſis doctiſſimus, in eleganti Tractatu *de Oſſibus Infantis Cap. VI. §. I. p. 89.*

intumeſcant, quae tandem, ſi malum increbreſcit, peſſimo illo cariei genere, paedarthrocace, vitiantur. Iam vero ſupra oſtendimus, grauidarum viſcera, ſi illa thoracibus, arctius adſtrictis, premuntur, intercluſo vitali ſpiritu, laudabilem humorem conficere haud poſſe, ſed crudum, vitiatumque, qui, ſi ad foetum, materno ſucco alendum, permanat, mox ad huius primordia deteſtabilem illam perniciem adfert, quae poſtea, in lucem edito partu, aliisque accedentibus cauſis, latius ſerpit, diriſque ſymptomatis miſellos conficit, atque eos non raro praematura morte extinguit. Hoc vero certius accidit, ſi matres, ita delirantes, etiam eneruato corpore ſunt, et a ſimilibus genitae, quales plerumque eſſe ſolent foeminae molliculae, quae formae augendae tanto impendio ſtudent, vt ſe, ſuamque progeniem, peſſundare haud vereantur. De his ea, ſi pauca mutaueris, dici poſſe videntur, quae HORATIVS de Romanorum moribus conqueſtus eſt.

Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

§. V. Tam exitialem cladem homini in ipſis primordiis, dum fingitur, dum animatur, inferunt thoraces. Iam vero, antequam ad ea incommoda deſcendimus, quae adultis hominibus ex iisdem accidunt, non alienum erit, ſi et illas iniurias attingimus, quas infantes, ſimul atque editi ſunt, ex immodica faſciatione accipiunt. Prima enim mulierum cura eſt, vt excluſus partus, abſterſis prius ſordibus, faſciis comprehendatur, quae totum corpus frequentius circumeunt. Hoc ſi eum in finem faciunt, vt paruuli, quorum corpora tenella, oſſa cerea, ſunt, a nutricibus geruliſque melius prehendi, molliuſque ferri, tractarique, queant, laudabile eſt. Propter ſummam enim omnium membrorum teneritudinem, et ligamentorum, quibus articuli comprehenduntur, naturalem imbecillitatem, mollioremque oſſium in appendicibus

ſuis

ſuis commiſſuram, facile diſtortiones, membrorumque deformitates, fiunt, dum aliqua, vel repentina, vel continuata, per tempus, corpuſculi motione, eiusque ſaepius in latus quoddam facta inclinatione, ligamenta infirmantur, officula, horumque appendices cartilagineae, preſſae, vel paululum emotae, inaequaliter increſcunt, et membra, ex altera parte depreſſa, ex altera extantiora, fiunt. Hoc frequentius in ſpina incidere, experientia cognitum eſt. Nam, dum nudi, et, qui nullo faſciarum adminiculo ſuſtinentur, infantes, a gerulis durius attrectantur, ſpondyli, vel repentino motu valentius diducuntur, vel, dum paruuli crebrius in vnum latus procumbunt, eneruatis in aliqua parte, quibus continentur, vinculis, ii diſparili incremento augentur. Ne itaque pueri ex his cauſis gibboſi fiant, optime congrua faſciatione cauetur. Si vero, quod adeo molle et tenerum eſt corpuſculum, faſciis iniectis, violentius adſtringitur, turpiſſimae membrorum prauitates, aliaque, et infinita, ac funeſta, mala, oriuntur. Iure itaque, ſuo iam tempore, GALENVS, (23) qui rectam infantes

23) *Libro de morborum cauſis Cap. VII. T. VII. p. 25.* Κατὰ τὸν θώρακα δὲ μέλη διαστρέφεται πολλάκις ὑπὸ τῶν σφιγγόντων τροφῶν αὐτὰ κακῶς ἔξωθεν ἐν τῇ πρώτῃ ἀνατροφῇ. καὶ μάλιστα παρ ἡμῖν ἐστι τοιοῦτον ἰδεῖν συνεχῶς γιγνόμενον ἐπὶ τῶν παρθένων, αὐξανέσθαι γὰρ αὐτῶν αἱ τροφαὶ βυλόμεναι τὰ κατ' ἰσχία τε καὶ λαγόνας, ὡς πολλῷ μείζω γίγνοιτο τῶν κατὰ θώρακα, ταινίαις τισὶν ὅλον ἐν κύκλῳ περιλαμβάνουσιν ἰσχυρῶς σφίγγουσαι τὰ κατ' ὠμοπλάτας τε καὶ θώρακα μόρια σύμπαντα. Κἂν τούτῳ πολλάκις ἀνίσου γιγνομένης τῆς τάσεως, ἢ προπετὲς εἰς τ' ἔμπροσθεν ἀπέφηναν τὸ στῆθος, ἢ τὰ ἀντικείμενα τὰ κατὰ ῥάχιν κυρτά. συμβαίνει δὲ ἐνίοτε καὶ ὥσπερ διακεκλασμένον καὶ παρηγμένον εἰς τὰ πλάγια γίγνεσθαι τὸ μετάφρενον. ὡς τὴν μὲν ἑτέραν ὠμοπλάτην ἀναυξῆ τε καὶ μικρὰν καὶ προσεσταλμένην ἱκανῶς φαίνεσθαι, τὴν δ' ἑτέραν ἐξέχουσάν τε καὶ προπετῆ καὶ πάντῃ μείζονα. ἅπασι σύμπασαι κακίαι σχημάτων ἐν θώρακι συνίστανται πλημμελείᾳ καὶ ἀμαθίᾳ τῶν τροφῶν αγνοούσῶν ἰσορρόπως ἐπιδεῖν. Thoracis partes plerumque a nutricibus inuertuntur, dum ipſas in prima educatione extrinſecus praue conſtringunt. Maxime vero hoc continenter apud nos intueri licet in virginibus, quibus, dum ſtudent nutrices eas augere partes, quae circa coxas ſunt, ac ilia, quo hae thoracis partibus maiores fiant, faſciis quibusdam totum comprehendunt, atque omnes ſcapularum ac thoracis partes vehementer conſtringunt; hinc, cum ſaepe inaequalis fit tenſio, aut pronum in anteriora prominet pectus, aut huic oppoſitae ſpinae partes gibbae reddunt. Accidit autem nonnunquam veluti praefractum in obliquum ſeduci dorſum, ita, vt altera ſcapula, et non aucta, et parua, et valde compreſſa, altera vero prominens, tumida, et omnino maior, appareat. Haec omnia figurarum vitia in thorace conſiſtunt ob nutricum errorem imperitiamque aequilibrem deligationem ignorantium.

tes vinciendi rationem satis laudat, hunc immanem eos compressius ligandi morem grauiter reprehendit, et inter principes νοσημάτων ὀργανικῶν causas retulit. Et GVILIELMVS FABRICIVS, HILDANVS, (24) testatur, se plus simplici vice gibbositates, artuumque deformitates, ex his solis causis enatas, vidisse, quibus et nos vnum alterumque exemplum addere possemus, nisi verenda esset mulierum, impune ineptientium, indignatio. Illis itaque adstrictioribus fasciationibus, quas mulierculae saepe eum in finem infantibus admouent, vt eos forma conspicuos reddant, efficiunt, vt iidem foediſſimis distortionibus deformentur, et gibberosi fiant. Nec vertebrarum spina sola laeditur, sed et reliqui artus dehonestantur. Nam pueri, quorum pedes adductioribus fasciis inuoluuntur, vari, valgi, comperneſque, fiunt. Ad minimum hoc iteratis experimentis compertum est, haec crurum vitia, si a natiuitate obtigerunt, iisdem non corrigi, sed magis corroborari, et augeri. Hoc vero maxime ab emacrescentibus ligamentis emotisque ossium epiphysibus fieri, infra demonstrabitur.

§. VI Non vero, id quod enucleate exposuit Doctissimus Groeningensium Professor, HENRICVS EYSSONIVS, (25) ossa tantum hac immodesta vinciendi ratione vitiantur, sed plures aliae, etiam grauissimae, valetudines eam subsequuntur. Hectici fiunt pueri, testibus Celeberrimis Viris, PETRO BORELLO, (26) et HERMANNO PAVLO IVCHIO, (27) quorum vltimus in principe puero, his detestandis artibus confecto, quem, hectica defunctum, inciderat, vidit peritonaeum hepati, ventriculo, intestinis, et vrinariae vesicae, arctius adnatum, omnia fere viscera aliis accreta, mesenterii glandulas induratas, et vlcere exesas, in iliaca regione absessus, aliaque vitia, quae omnia ad compressius iniectas fascias, quibus infantem constrinxerant, referre haud dubitat. Nobis ali-

24) *Obseruat. Cent. II. Obs. 99. p. 181.*

25) *de Ossibus infantum Cap. VI. §. 4. p. 112.* confer GLISSONIVM *de Rhachitide Cap. XIII. p. 148.*

26) *Obs. Med. Phys. Cent. II. Obs. 59. p. 156.*

27) *in Dissert. de Vsu, et abusu inuolutionis et fasciationis infantum. Erf. 1730.*

aliquando viſum fuit, illum totius corporis eryſipelas, quo neonati, et inter hos, prae reliquis, praematuro partu excluſi, et ab imbecillioribus geniti, corripiuntur, et quam mulierculae noſtro idiomate das lauffende Feuer appellant, ab his erroribus fuiſſe ortam. Infirmiora enim corpuſcula, quae leuioribus pannis, laxisque faſciarum circumductionibus, velari ſaltem decet, ſi valentiori, vel conſueta, et robuſtioribus opportuna, vinctura continentur, facile ſtrangulantur, et ad peſſimam iſtam totius cutis inflammationem deducuntur. Nec hic praetermittendum eſt, faſcias, quibus ex lineo panno ſciſſis vtuntur, quamuis ab initio ſatis laxae videantur, non parum adduci, ſi a ſudoris, lotii, faecumque, illuuie immaduerunt, quod linum, ex quo pannus contextus eſt, dum aquam bibit, breuiatur. Si etiam infantes per iſtas deligationes non tam praeſentaneo exitu pereunt, illi tamen, ad maciem redacti, intabeſcunt, vel aliis diuturnioribus morbis affliguntur. Ad caput enim, quod in prima aetate ex dentitione, vagitu, aliisque occaſionibus, grauiſſimas offenſiones contrahit, humores, cohibito in inferioribus partibus vitali eorum motu, impetuoſius feruntur, qui vaſa diſtendunt, et varias aegrotationes, futurarumque cauſas, pariunt, nec minus aliunde, e. g. ex dentitione, ortas multum exacerbant. Tacemus infantes, ſic excarnificatos, crebrius incitari animo, et propter hanc iracundiam aduerſae valetudinis vim multum augeri.

§. VII. Sed, vt in circulum, et ad thoraces, redeamus, apud omnes, non ſolum cultiores, vrbanosque, homines, ſed fere etiam plebeios, mos hoc tempore inualuit, vt puellas, puerosque, aliquot menſes natos, thoracibus amiciant. Si vero de his thoracibus iudicium ferendum eſt, ea omnia repetenda ſunt, quae modo de faſciatione dicta fuerunt. Nullum enim dubium eſt, ſi thorace apte caeſo, non valde rigido, nec nimis adſtricto, infantes induuntur, illorum pectora, totamque oſſium, ex quibus truncus componitur, compagem, optime contra externas iniurias muniri, firmari, atque ſic, ne membrorum diſtortiones fiant, caueri. Plures tamen hac noſtra aetate in illam rabiem efferri videas matres, vt puero-

rum puellarumque thoraces eum in finem compreſſius conſtringant, quo formam proceritatemque augeant, id quod ſine ſummo ſanitatis diſpendio fieri nequit. Nemo enim inficiabitur, hunc adſtrictiorem amictum ſummarum et nocentiſſimarum perturbationum fontem eſſe, qui cogitat, his anguſtiis pulmonum actionem, quibus, dum ſpiritum excipiunt, redduntque, ſanguis et chylus, per eos diuiſus, ſubigitur, ac perficitur, cordis motum, quo vitalis humor per directas vias in omne corpus diffunditur, ventriculi robur, quo neceſſarium alimentum excipitur, et coquitur, vt et reliquorum diuerſiſſimis vſibus deſtinatorum viſcerum functiones, multum impediri. Et quis mirabitur, eiusmodi infantes ſumma laterum, omniumque membrorum, infirmitate, viriumque imbecillitate, laborare, quos, nec gratus vitaliſque color honeſtat, ſed perpallidus ac luridus dedecorat. Corpora etiam improcera fiunt, minusque adoleſcunt, quod propter ſupra dictas impeditiones non confectus, et nutritioni idoneus, ſuccus ad teneriora membra permanat, ſed crudus, variisque inquinamentis remixtus, qui etiam in minimis fiſtulis libere haud circumagi poteſt. Nerui vitali robore deſtituuntur, quod ad cerebrum, et eorum ex huius medulla oriundos minimos tubulos, non elaboratus humor defertur, et quod ipſi nerui variis in ſedibus, per quas diſtribuuntur, non parum compreſſi tandem infirmantur, ſoluunturque.

§. VIII. Haec, cum in vulgus nota ſint, multa etiam experientia comprobata, vix ab vllo, harum rerum intelligente, in dubium vocatum iri exiſtimamus. Hoc vero, quod nunc planius exponendum eſt, nonnullis mirabile videri poteſt, his ipſis thoracibus, nimium contractis, quos ad formae dignitatem augendam adhibent, tenella infantum corpora diſtorqueri, et gibbera fieri. Quo vero haec euidentiora ſint, nunc oportet oſſa, quibus corporis truncus conſtat, et quae, tum viſcera comprehendunt, tum hominem humo excitatum, celſum et erectum, conſtituunt, paulo ſtudioſius examinari, quod, horum diſtortione vulgatiſſimas gibberum deformitates gigni, compertum eſt. Nec

minus

minus commodum erit, iſtorum vitiorum varias ſpecies diſſimilesque cauſas attendere, quod, a nemine, qui eas ignorat, aliquid horum recte emendari poſſe, arbitramur. Sunt vero oſſa, quibus illa corporis pars finitur, quam truncum appellamus, dorſi et lumborum ſpondyli, quorum ſeptendecim numerantur, (nam ſeptem illas, qui in ceruice ſunt, et caput ſuſtinent, omittimus) coſtarum in vtroque latere duodecim, pectoris os, ſeu ſternum, eaque oſſa, quibus peluis efformatur, ſacrum, coccyx, et quae vulgo innominata audiunt. In omoplatas etiam, et iugula, quibus artus ſuperiores, ad varium motum adcommodati, ſuſtinentur, noſtram conſiderationem intendi neceſſe eſt, quod et horum vitio homines gibbi fiunt, ac deformes. Omnia vero ita perſequi volumus, vt non tam perfectam dictorum oſſium deſcriptionem lectoribus exhibeamus, quam ex attenta contemplatione, optimisque autoribus, conſequi non difficile eſt, ſed, vt, prae reliquis, horum oſſium commiſſuras, vincula, quibus connectuntur, et eam etiam diſcrepantiam, quae puerilem inter adultamque aetatem intercedit, perſcrutemur, quia his potiſſimum rebus, ea, quae nobis probanda ſumſimus, nituntur.

§. IX. Dum itaque a ſpina ordimur, huius fabricatio vim quandam incredibilem artificioſi diuinique operis teſtatur. Ea enim non ſolum ad ſtabilitatem apta eſt, et in homine excelſam illam proceritatem efficit, qua is ſupra caeteras animantes eminet, ſed, dum ex pluribus oſſibus, mirabiles commiſſuras habentibus, compoſita eſt, facilem etiam corpori mobilitatem praeſtat, vt homo, et rectus inſiſtere queat, et ad neceſſaria opera curuari. Haec ſpina tamen non recta exſurgit, ſed leniter inflexa in adultis deprehenditur. Spondylorum enim ad coſtas poſitorum, ſeu dorſualium quinque priores, dum ab iis, qui in ceruice ſunt, deſcendunt, in poſteriorem partem leniter inclinantur. In his etiam vertebrarum corpora anterius paulo deficere, et anguſtiore orbe finiri, conſpicuum eſt. Eam ob cauſam hoc factum eſſe videtur, vt, ampliato ſic ſummo pectore, pulmones reſpiratu dilatari

commode poſſint. Quae vero quintam dorſualium vertebrarum excipiunt, iterum flexu modico in priorem partem recuruantur, corpora habentes non ſolum ampliora, ſed et prominentiora, quae res, dum minores ſpondyli maioribus ſuſtinentur, et ad ſtabilitatem, et ad gratam proceritatem, multum confert. Vltima vero lumborum vertebra, quae reliquas omnes magnitudine ſuperat, vt et os, cui illa inſidet, ſacrum dictum, in poſteriorem partem iterum non parum recuruatur, qua re maior amplitudo pelui, et viſceribus, in foeminis vtero grauido, opportunior ſedes praeſtatur. Os ſacrum tandem ima ſua parte cum oſſe coccygis, quod ei adhaereſcit, et quo denique ſpina terminatur, iterum in anteriorem partem proiicitur, quo coccygis os aluum, in quam illud inclinatum eſt, rectumque inteſtinum, tueri queat, et ſuſtinere. (28) Hic vero, qui in adultis hominibus obſeruatur, ſpinae flexus in foetibus paruulisque aliusmodi eſt, quippe qui ſpinam gibbam, et in poſteriora curuatam, ac quaſi lunatam, habent, quae res cum naturali infantis in vtero poſitu optime conuenire videtur. (29)

§. X. Tali igitur inflexione ſpina exſurgit, cuius nunc oſſa conſiderari oportet. Illa Graecis σπόνδυλοι, ſeu σφόνδυλοι, Latinis vertebrae, dicuntur, translato nomine a verticillis, ſeu ponderibus, quae nentes mulieres fuſo appendent. (30) Omnes enim vertebrae mediae perforatae ſunt, qua ſpinae medulla, cerebro commiſſa, deſcendit. Haec medulla, ex qua vtrinque nerui deducuntur, ſi, quacunque ex cauſa, comprimitur, membra, quae infra emotas vertebras ſunt, femina inprimis, pedesque, reſoluuntur, et vrina aluique feces ſine voluntate prorumpunt, tandemque homo moritur. Ne vero is in hoc ſummum diſcrimen facile vocari poſſit, ſpondyli validis vinculis conſtricti ſunt, id quod et in eorum

28) Hunc ſpinae flexum iam deſcripſit HIPPOCRATES *de Articulis Com. III. Text. XL. ſeqq.* confer GALENI *Commentarium.* vide accuratiſſimam VESALII figuram *de C. H. Fabrica L. I. Cap. XIV. p. 49.*

29) vide THEOD. KERCKRINGII *Oſteogeniam Cap. XII. p. 238.* et EYSSONIVM *l. c. Cap. IV. p. 56.*

30) vide IOACHIMI CAMERARII *Exquiſitionem Nominum, quibus partes corporis humani appellari ſolent p. 369.*

rum corporibus et in proceſſibus, quos exigunt, nunc conſiderari neceſſe eſt, Spondylorum enim prior pars, quam corpus vocant, et ſatis notabilem circuitum habet, toto orbe, quo finitur, ſimili corpori, inferius poſiti ſpondyli innititur, corpus etiam in dorſi inferioribus lumborumque vertebris auctum ampliatumque eſt, vt ſuperioribus, quae minores ſunt, in inferioribus opportuna ſedes eſſet. Vltimus tandem lumborum ſpondylus lata baſi, quae illius corpori exacte reſpondet, et in ſumma oſſis ſacri parte eſt, excipitur. Aliam commiſſuram habent vertebrae in apophyſibus, ſeu proceſſibus, quos ſingulae vtrinque, et ſurſum, et deorſum, exigunt, et quos anatomici obliquos, vel articulares, appellant. Superiores, qui vulgo adſcendentes dicuntur, committuntur cum ſupra poſitae vertebrae proceſſibus obliquis inferioribus, ſeu, vt vocant, deſcendentibus, ita, vt ſuperioris vertebrae inferiores proceſſus ab inferioris vertebrae proceſſibus ſupremis excipiantur. Apophyſes enim, ſurſum ſpectantes, ſeu adſcendentes, habent paululum deſidentes ſinus, quibus apophyſes, deorſum ſpectantes, ſeu deſcendentes, quae parum gibbae ſunt, inhaerent. In ſummis tamen dorſi ſpondylis hi ſinus fere nulli, et proceſſus, qui inter ſe committuntur, plani exiſtunt. Ea parte, qua ſe contingunt apophyſes, lubrica cartilagine obductae ſunt; id quod cum aliis articulis commune habent. In lumborum ſpondylis hi obliqui proceſſus, eorumque articuli, non, vt in dorſo, ad latus flexi, ſed recti magis, et in poſteriorem partem exporrecti, praeterea ſurſum ſpectantes, magis ſinuati, deorſum vero ſpectantes, gibboſiores, ſunt, qua ipſa re efficitur, vt lumborum ſpondyli, qui propter deficientes coſtas facilius, quam in dorſo, excidere poſſent, melius contineantur. In oſſe ſacro etiam, huiusque ſuprema parte, duo cauati proceſſus extant, quibus apophyſes deſcendentes ſpondyli omnium infimi inſident. Hoc proceſſuum obliquorum articulamentum in adultis, illa apophyſi, quae in poſteriorem partem producitur, et ſpina audit, nec minus duobus aliis transuerſis, quae omnes obliquis ſupereminent, ſeu quodam praeſidio et tutamento

tegitur, et contra iniurias, quae accidere poſſunt, munitur. Nec poſteriores illi, ſeu ſpinoſi, proceſſus totam vertebrarum ſpinam, quae facili flexu in pronum dari hominem ſinit, eum contrario ſupinoque motu incuruari, permittunt.

§. XI. Haec ita conformata oſſa pluribus validiſſimiſque vinculis conſtringuntur, quorum alia ad corpora, alia ad proceſſus, attinent. Maximum robur in colligandis his oſſibus eſt, in illa craſſiori inter vertebrarum corpora intermedia cartilagine, cui inter reliquas corporis cartilagines, interque iſta vincula, quibus alia oſſa continentur, et quae ligamenta recentioribus vocantur, media quaſi natura eſt. (31) In his enim cartilaginibus ſingularis quaedam

31) Ad illud genus, vel cartilaginis, vel ligamenti, hoc ſpondylorum vinculum commode referri poteſt, quod GALENVS *L. II. de Temperamentis Cap. III. T. III. Ed.* CHART. *p. 61.* Νευροχονδρώδη σύνδεσμον vocauit. χόνδροι δὲ μετὰ τὰς συνδέσμους εἰσί κῃ τι μέσον ἀμφοῖν σῶμα καλοῦσι δ' αὐτὸ νευροχονδρώδη σύνδεσμον ἔνιοι τῶν ἀνατομικῶν. Ἔστι δὲ σύνδεσμος σκληρὸς κῃ χονδρώδης. HIPPOCRATES *de Articulis Comment. III. Text. 36. T. XII. p. 379.* eandem cartilaginem vocat δεσμὸν μυξώδη. Καὶ δέδενται πρὸς ἀλλήλας (οἱ σφόνδυλοι) δησμῷ μυξώδει, κῃ νευρώδει ἀπὸ χόνδρων ἀποπεφυκότι, ἄχρι πρὸς τὸν νοτιαῖον. Cum quo ſentit GALENVS *in Comment. in dictum locum*, nec non in *libro de Oſſibus Cap. VIII. T. IV. p. 17.* vbi diſertis verbis negat, vertebras per cartilagines colligari ἐ γὰρ δὴ διὰ χόνδρου γε συμφύονται, (οἱ στόνδυλοι) καθάπερ ὅσοντά τινες. ἀλλ' ὁ τὰς τῶ νοτιαίῳ δύο μήνιγγας ἔξωθεν περιλαμβάνων χιτὼν, εἰς τὴν μεμαξὺ χώραν αὐτῶν παρεμπίπτων, κοινὸς ἀμφοτέρων γίνεται δεσμός. *Non enim certe per cartilaginem coaleſcunt vertebrae, vt nonnulli arbitrantur, ſed ea membrana, quae geminas ſpinalis medullae meningas foris ambit, in mediam ipſarum ſedem incidens commune vtrisque vinculum ſit*, confer *eiusd. L. XIII. de Vſu partium Cap. VIII. Tom. VI. p. 622.* GALENVM tamen confutauerunt VESALIVS *l. c. L. II. Cap. XI. p. 249.* REALDVS COLVMBVS *de Re anatomica L. III. Cap. II. p. 106.* et IOH. PHILIPPVS INGRASSIAS *in Comment. in* GALENI *librum de Oſſibus Cap. VII. p. 157.* Ex recentioribus haec cartilaginea ligamenta optime deſcripſerunt duo celeberrimi viri inter anatomicos facile principes IOH. BAPTISTA MORGAGNVS *Aduerſar. Anat. P. III. Animaduerſione 50. p. 103.* et IACOBVS BENIGNVS WINSLOVIVS *dans l'Expoſition Anatomique de la ſtructure du corps humain T. I. P. II. de oſſibus recentibus §. 305 ſeqq.* et in *Comment. Acad. Reg. Scient. Anno 1730. p. 500. ed. Amſtel.* Vltimus demonſtrat, illud phaenomenon, quo homines, mane ſurgentes, proceriores ſunt, quam veſperi, quando diurnis laboribus fractos languidosque artus quieti dare ſolent, ex harum cartilaginum natura eſſe explicandum. Erecto enim corpore et proprio, capitis inprimis, vt et geſtatorum pondere magis et magis illae premuntur cartilagines, attenuanturque, quae, dum corpus ſub quiete molliter cubat, denuo in priſtinam craſſitiem exſurgunt. vid. *Hiſt. Acad. Reg. Scient. 1725. p. 21 ſeqq.*

dam raritas ac mollitudo deprehenditur, vt, inclinato in quamcunque partem corpore, vel, ſi grauiora ceruicibus iniuncta ſunt onera, illae motui ponderique cedant, reddita vero rurſus libertate, ſe ſe in priſtinam ſedem et amplitudinem reſtituant. Vt enim ad hanc flexilem mollitiem magis eſſent idoneae iſtae cartilagines, illae non, vt reliquae in corpore, ex ſquamis, ſed ex fibris, conflatae ſunt, ita in orbem ductis, vt exteriores ampliori cruciatu, interiores minores, comprehendant. Inter has fibras humor eſt, articulorum axungiae ſimilis, quo, ſeu vnguine, mollitudo, et naturalis illa vis ſe ſe in priſtinam ſedem reſtituendi, elaſticitatem vocant philoſophi, conſeruatur. Vergente vero aetate hic pinguis humor multum imminuitur, et, dum tandem in ſilicerniis decrepitiſque prorſus deficit, hae cartilagines oſſeam duritiem adipiſcuntur. (32) Per has cartilagineas fibras, ita in orbem diſpoſitas, earumque ſupremas imaſque oras, ſeu per mediam materiam, vertebrarum corpora ita connectuntur, vt, niſi vi maxima adhibita, illa dirimi nequeant. Sunt tamen, praeter haec cartilaginea vincula, alia ligamenta, quibus haec corpora inter ſe nectuntur. Ex horum enim ſumma, imaque, parte, ſeu extremis orbiculis, qui in iunioribus epiphyſes ſunt, et in his alia intermedia cartilagine a reliquo oſſe diſcernuntur, deducuntur breuia, aſt vel ideo valentiora, ligamenta, quae illius, mox deſcripti, cartilaginoſi ligaminis oras comprehendunt, et, dum ſe in ſpeciem Graecae literae X decuſſant, vnam vertebram alteri illigant. (33) Membrana etiam eſt, ex fibris validis contexta, quae per totam ſpinam deſcendit, et anterius, tum vertebrarum cor-

32) Quomodo hae cartilagines in iunioribus, adultis, et aetate prouectioribus, differant, indicat MORGAGNVS *c. l.* Spinam ex ſilicernio, cuius vertebrae prorſus coaluerunt, delineauit PETRVS PAVIVS *de H. C. oſſibus P. II. p. 92.* Nec hoc praetereundum eſt, hanc cartilaginem inter lumborum vertebras craſſiſſimam eſſe, inter dorſuales tenuiſſimam, inter colli vero vertebras, eam mediam fere obtinere amplitudinem. vid. Celeberrimus ALBINVS *de Oſſibus.* Id quod eos obſeruare decet, qui in ſceleto conficiendo naturalem oſſium compagem, quantum fieri poteſt, imitari volunt.

33) Haec ligamenta deſcripſit REALDVS COLVMBVS *l. c.* et WINSLOVIVS *l. c. num. 314. 315.*

corpora, tum modo dicta breuia ligamenta, continet, qua vertebrarum corpora, et inueſtiuntur, et colligantur. (34) Ligamentis denique adnumerant illam robuſtam ſatis craſſamque membranam, qua interius mediumque ſpinae cauum, ſacram fiſtulam veteres appellauerunt, (35) tanquam velo quodam obtenditur, ipſaque medulla includitur. (36) Huic praeterea fiſtulae innectuntur alia breuiora ligamenta, quae, a radicibus proceſſuum ſpinoſorum orſa, illis foraminibus inhaerent, quae vtrinque a duabus vertebris, inter ſe commiſſis, efformantur, et quae neruis deducendis exſculpta, in ſceleto ampliora, in corpore recenti, his validis ligamentis, circum circa poſitis, multum anguſtata cernuntur. Et, his ligamentis vertebras non parum conſtringi, certum eſt. (37) Inter proceſſuum ſpinoſorum ſumma capitula poſita ſunt alia teretia vincula, (38) et, tum inter baſes ſpinoſarum, tum inter tranſuerſos proceſſus, alia, membranae in modum diſpanſa, (39) quibus et haec oſſa inter ſe iunguntur, et muſculis commoda ſedes praeſtatur. Superſunt tandem illa, quibus proceſſuum obliquorum articuli deligantur, et quae, dum vtrinque, et ſuperiores, et deorſum ſpectantes, proceſſus, eorumque commiſſuras, comprehendunt, ad ſimilitudinem aliorum ligamentorum, quae in articulis ſunt, inſtructa eſſe videntur. (40) Vincula, quibus coſtae vertebris adligantur, nunc omittimus.

§. XII.

34) VESALIVS *l. c. L. II. Cap. 40. p. 249.* WINSLOVIVS *num. 316.*

35) Sic olim dicta fuit. POLLVX *L. II. Cap. IV. Segm. 180. p. 243.* Ἡ μέν τοι διὰ τῶν σφονδύλων πορεία, δι' ἧς ὁ μυελὸς τέτατοι σωλὴν καλεῖτοι ἱερὰ σύριγξ.

36) WINSLOVIVS *num. 317.* Hoc tamen ligamentum non connectendis oſſibus, ſed tuendae medullae, inſeruire exiſtimat REALDVS COLVMBVS *c. l.*

37) VESALIVS *l. c. p. 250.* ALBINVS §. *140.* WINSLOVIVS §. *324.*

38) VESALIVS *c. l.* WINSLOVIVS §. *324.*

39) VESALIVS, REALDVS COLVMBVS *c. l.* WINSLOVIVS §. *325.*

40) His ligamentis WINSLOVIVS nomen impoſuit, a ſimilitudine deſumtum, quae illis eſt cum capſis, quibus res quaedam comprehenduntur, *Les Capſulaires.* In duas tamen partes et haec ligamenta diuidit, in externam, et in internam. Putat enim, id quod in aliis articulis, maxime in ginglymis, absque difficultate conſpicitur, fibras externas rectas magis eſſe, internisque, quae articulum inuoluunt, incumbere. vid. *c. l. num. 327. 328.* VESALIVS *c. l.* ALBINVS §. *126.*

§. XII. Magnum vero diſcrimen inter infantum adultorumque ſpondylos eſſe, iamdudum obſeruarunt anatomici. Quamdiu enim tenerior proles vteri materni cuſtodia tegitur, ne huic raro mollique viſceri, ex iis proceſſibus, quos vertebrae a parte poſteriori exigunt, et quos ſpinoſos diximus, aliqua offenſio accideret, hi prorſus deficiunt, qui, in lucem edito partu, tandem paulatim ex ea ſynchondroſi conſurgunt, per quam in parte poſtica vertebrarum officula committuntur. Ipſae vero vertebrae ex ternis officulis, per interpoſitas cartilagines conflatae, habent anteriorem partem rotundam, quae poſtmodum in corpus mutatur, quasque laterales, in quibus, et proceſſus obliqui, et transuerſorum, adhuc valde exiguorum, rudimenta, conſpiciuntur. Haec duo ad latus poſita officula, in parte anteriori laterali, cum corpore, et in poſtica, vt iam retulimus, inter ſe, per cartilaginem committuntur. (41) Mediae vertebrae, vt in adultis, perforatae ſunt, qua cerebri medulla deſcendit. Poſt partum vero, adoleſcente tandem aetate, ex vertebris ſpinae procedunt, tranſuerſae apophyſes extantiores, oſſeaeque, fiunt, et illa tria officula, deleta omni cartilagine, coaleſcunt. (42) Manent tamen etiam in pueris quinque conſpicuae appendices, ſeu epiphyſes, quae poſtremum in aetate integra in apophyſes vertuntur. (43) Nam corpora

41) Si ferosa colluuie cerebrum in hydrocephalo interno redundat, eaque per sacram fistulam ad medullae latus descendit, mole sua dirimit hac parte verebras inferiores, et, dum se humor, ruptis his cartilagineis repagulis, per carnes, aliasque vicinas partes, diffundit, eas in tumorem tollit. Misere pereunt plerumque hi infantes, spina bifida laborantes, et longe citius, si tumores illi inciduntur, quorum causa maxime in hac vertebrarum conformatione, ipsaque synchondrosi, ponenda esse videtur. Nuper de hisce fusius diximus in Programmate, quo indicta fuit publica cadaueris masculini sectio.

42) vid. FALLOPIVS *Obs. anat. p. 45.* Edit. primae. *In Operibus* VESALII p. 704. COITERVS *Cap. V.* EYSSONIVS *Cap. IV.* KERCKRINGIVS *Cap. XII.* POLLICHIVS *Diss. de Incremento Ossium, Lugd. Bat. 1723.*

43) vide REALDVM COLVMBVM *L. I. Cap. XVI.* INGRASSIAM *c. l. in Prooem. ad Text. VI.* GALENI *p. 15.* qui numerum appendicum in ossibus singu-

ra ſumma, imaque ſua parte, qua ipſis iſtud cartilagineum ligamen inſidet, habent in iunioribus duas laminas, a reliquo oſſe per interpoſitam veram cartilaginem diſtinctas. (44) Spinoſi proceſſus terminantur alia tuberoſa appendice, quae omnium diutiſſime, et in perfecta etiam aetate, reliquo proceſſu, diſtincta eſt. Similes prorſus epiphyſes inſident transuerſis proceſſibus. (45) Et his appendicibus, vergente aetate, accidit, vt, dum mediae cartilagines indureſcunt, illae reliquo oſſi accreſcant, nullumque huius diſcriminis veſtigium maneat.

§. XIII. Spina in ſacro et coccygis oſſe definit. Sacro, (46) quod

lari ſtudio perſecutus eſt. Is thoracis et lumborum vertebras ad oſſa refert, quinque appendicibus donatas *p. 17.*

44) Has duas corporum epiphyſes accurate delineauit VESALIVS *c. l. L. II. Cap. XL.* Eas in dubium vocauit FALLOPIVS *c. l.* ſed VESALIVS eas defendit *in Examine Obſ.* FALLOPII *in Operibus p. 775.*

45) REALDVS COLVMBVS *Cap. XV. p. 54.* INGRASSIAS *l. c. p. 17.*

46) Οσῦν ἱερὸν cur dictum fuerit, non vna autorum ſententia eſt. In *Etymologico Magno Edit.* SYLBVRG. *p. 468.* Ἱερὸν ὀσῦν, τὸ ἄκρον τῆς ὀσφύος οὕτω γὰρ κέκληται, ὅτι μέγα ἐστίν, (ἢ ὅτι κύριόν ἐστι πάθος, παρ' ὅσον ἀναιρεῖ) ἢ ὅτι ἱερολογῆται, ἢ ἱερουργῆται τοῖς θεοῖς. Μένανδρος, οἱ δὲ τὴν ὀσφῦν ἄκραν θύσαντες. Ἢ ὅτι (φησίν) ἡ ὀσφῦς πρώτη φύεται τῶν ζώων ἦγουν τῶν ἱερείων. *Sacrum os eſt ſuprema pars iliorum. Sic vocatur, quia magnum eſt, vel quia conſecratur et ſacrificatur Diis. Menander ſummum lumbum immolantes. Alii autem, vt dicunt, quia primus gignitur ſummus lumbus, animalium videlicet hoſtiarum.* Alius locus eſt in MENANDRI fragmentis ἔκ τῆς μέθης p. 114.

Ἐγὼ μενοῦν ὢν γε, θεὸς οὐκ ἂν ἤασα
Τὴν ὀσφῦν ἐπὶ τὸν βωμὸν ἐπιθεῖναί ποτὲ
Εἰ μὴ καθήγιζέ τις ἅμα κἀὶ τὴν ἔγχελυν.

Ego quidem, ſi Deus eſſem, non paterer lumbum altari vnquam imponi, niſi anguillam etiam conſecraret. Primus locus MENANDRI integer hic eſt. Ἐν τοῖς ἐκ τῆ Δυσκόλη λειψάνοις v. 25. *Edit.* CLERICI *p. 52.*

οἱ δὲ τὴν ὀσφῦν ἄκραν
Καὶ τὴν χολὴν, ὀσᾶ τ' ἄβρωτα τοῖς θεοῖς
Ἐπιθέντες, αὐτοὶ τ' ἄλλη καλαπίνουσιν

Illi vero ſummos lumbos et bilem, oſſaque, quae edi non poſſunt, Diis imponentes reliqua deuorant. Ex quibus locis manifeſtum eſt, hanc partem fuiſſe ſacris adhibitam, et Comicum ſacrificulos ſuos ridere, quod non opimiora, ſed ſequiora, Diis offerrent, quem locum ſic etiam interpretatus eſt CLEMENS ALEXANDRINVS *L. VII.* στρωματέων *T. II. p. 847. Edit.* IOH. POTTERI, cuius vide Commentaria. In textu etymologici quaedam vitio laborare certum eſt, quare et verba incluſa Latine reddere nolui. Exiſtimat SYLBVRGIVS *in notis ad hunc locum p. 28.* haec verba magis ad τὴν ἱερὰν νόσον, (ſic dictus fuit, vt notum eſt, morbus comitialis, ſeu epilepſia,) quam ad

τὸ

quod fere triquetrum eſt, eiusque baſi ampliori, inſiſtit vltima lumborum vertebra, cuius proceſſus, deorſum ſpectantes gibberoſi, aliis duobus, qui leuiter ſinuati ex oſſe ſacro conſurgunt, excipiuntur. Huic in oppoſita ac inferiori parte coccyx inhaeret, ad latera vero illud cum oſſibus maioribus coxarum committitur. Ex quinque, rarius ſex, partibus illud conflatum eſt, quae in iunioribus media cartilagine continentur, in adultis vero ita concreſcunt, vt ſemper aliquod huius diſcriminis, maxime in anteriori parte, inueniatur veſtigium. Vertebris analoga ſunt haec oſſa, proceſſibus tamen, quos vtrinque exigunt, et qui cum tranſuerſis conueniunt, latioribus donata, qui etiam in extrema ſua, et laterali, parte omnino inter ſe conflantur. In medio relinquunt foraminum, mox quatuor, mox quinque, paria. A tergo etiam, quod gibberum eſt, os perforatum exiſtit, et imam medullae partem, quam, in plura neruorum fila diuiſam, caudae equinae nomine deſignare ſolent anatomici, complectitur. Nec minus haec, quae ſic in eo formatur, fiſtula ad latus peruia eſt, ex qua per ſupra dicta foramina, inprimis anteriora, inſignes nerui deducuntur. In poſteriori vero parte illa foramina, et minora ſunt, et membranis in recenti cadauere clauſa, forte ideo a natura exſculpta, vt os leuius, et commoda ſedes, eſſet ligamentis. Sacro,

τὸ ἱερὸν ὀστῦν pertinere. Fere eadem ſunt, quae habet MELETIVS PHILOSOPHVS *de Natura hominis p. 109. At iſtud, quod exacte lumborum medium eſt, quod ſedimento ſupereminet, ſacrum os nuncupatur, ob id videlicet, quod magnum ſit, (magnum enim ſacrum dici ſolet) ſiue quod vitae fatum obtinet, ſiquidem eo patiente animal interitum patitur, ſiue quod vetuſto tempore illud os in ſacris praeſertim offerri Diis conſueuit.* Luculentus etiam locus eſt in PLVTARCHO *de Solertia animalium T. II. Ed.* XYLANDRI *p. 981.* Τὸ δὲ τῦ ἀνθίᾶ θαυμασιώτατόν ἐστιν, ἣν Ὅμηρος ἱερὸν ἰχθὺν εἶρηκεν. Καίτοι μέγαν τινὲς οἴονται τὸν ἱερὸν (καθάπερ ὀστῦν ἱερὸν τὸ μέγα, καὶ τὴν ἐπιλημψίαν, μεγάλην νόσον οὖσαν, ἱερὰν καλῦσι.) *Mirabilis eſt anthias piſcis, quem Homerus ſacrum appellat, quanquam nonnulli ſacrum magnum eſſe exiſtimant. Quare os magnum, ſacrum, et epilepſiam, quae magnus morbus eſt, ſacram, dicunt.* Confer locum in HOMERO *Iliados L. XVI. v. 407.* Conſentit etiam VARINVS PHAVORINVS CAMERS *in Lexico p. 380.* Edit. Venet. Ἱερὸν τὸ μέγα Φασί. Καὶ ἱερός Φασιν ἰχθὺς ἡ μέγας. confer. LVD. COELII RHODIGINI *Lect. Antiqu. L. VII. Cap. XII. p. 322.*

quod inferius in apicem contrahitur, inhaereſcit, vt dictum eſt, os coccygis, iterum ex quatuor, vel quinque, oſſiculis compoſitum, quae etiam media cartilagine connectuntur. (47) Haec cartilago prouectiori aetate, et, dum ſacri vertebrae iam omnino coiuerunt, adhuc mollis reperitur, tandem vero, poſt ſeptimum circiter annum, etiam indureſcit, et coccyx ex vno oſſe plerumque conſtat, (48)

§. XIV. Contra ſacrum ſita ſunt oſſa maiora, quae cum eo et coccyge peluim efficiunt, atque anatomicis innominata, vel coxarum, oſſa dicuntur. Ne nimis prolixi ſimus, nihil de figura horum oſſium, quae confragoſa admodum eſt, dicemus. Nec quemquam ignorare opinamur, haec oſſa in iunioribus eſſe in tres partes diuiſa, quibus, media cartilagine connexis, peculiare nomen eſt. Haec nomina etiam poſt perfectam in adultis concretionem tenent, parsque ſumma ac proſterior, caeterarum maxima, ileon, pars infima et poſtica, iſchion, ſeu coxendicis os, et tandem pars anterior, os pubis, ſeu pectinis, nuncupatur. In externa ſede, vbi haec tria oſſa inter ſe coëunt, profundus admodum ſinus inciſus eſt, in quem rotundum femoris caput coniicitur. Ex coxendicis et pectinis oſſibus formatur foramen magnum, quod, ligamento maximam partem clauſum, ouale dicitur. Singulorum vero oſſium proceſſus, et receſſus, confractum, figuram, magnitudinem, iam multis perſequi non huius loci eſt. Illud potius, quod magis in rationem noſtri inſtituti cadere videtur, ſupereſt, vt horum oſſium, quae ad peluim pertinent, commiſſuras, cartilagines, ligaminaque, quibus adſtricta ſunt, intueamur. Os ſacrum praeterea, quod, vt iam retulimus, ſedem praeſtat vltimo ſpondylo, contra ilia ſitum eſt. Tranſuerſi illi proceſſus oſſium, ex quibus ſacrum coagmentatum eſt, et quidem trium ſupremorum oſſium proceſſus, inter ſe in laterali parte coaliti

47) De numero oſſium, ex quibus ſacrum et coccyx conſtat, vid. ALEXANDER MONRO *in Anat. Off. Hum. p. 213.*

48) vid. Diſſ. POLLICHII *de Incremento Oſſium p. 29.*

aliti, in posteriori parte vtrinque sinum habent excauatum, asperum, et inaequalem, cui ilia, mutuis etiam sinubus, et tuberibus, exasperata, insident. (49) Inter haec ossa posita est cartilago, qua, vt media materia, connectuntur. (50) Similis vero συνχόνδρωτις reperitur in anteriori peluis sede, vbi pectinis ossa sibi iunguntur, de qua, num eo tempore, quo foetus per has angustias exitum molitur, diducatur, multum apud autores disputatum fuit. (51) Nec tamen his solis cartilaginibus haec peluis ossa continentur, sed sunt plura validiora ligamenta, quae super ea illigantur. Tale ex vltimo lumborum spondylo, huiusque apophysi transuersa, et eius parte ima, educitur vtrinque, et internae ac posteriori spinae, quam ossa ilia habent, inseritur. (52) Alia sunt, quae a posteriore parte ossis sacri, huiusque processibus transuersis, et quidem tribus eorum supremis, qui illa parte paruis tuberibus foraminibusque exasperati sunt, veniunt, et interiori parti spinae ossis ilei inhaerescunt. (53) Anterius alio vinculo processus transuersus primi ossis, ex quibus sacrum constat, ad ilium, huiusque spinam interiorem, alligatur. (54) Omnium maxima vero et robustissima sunt ligamenta, quibus sacrum et coccyx cum ischio connectuntur, quae, tum ex acuto processu, tum ex maiori tubere coxendicis, se se latius expandunt, et super lateralem inferioremque sacri, et superiorem coccygis, partem finiuntur. Haec ligamenta, quae commode in duo diuiduntur, a plurimis anatomicis descripta, a WINSLOVIO sacro-ischiadica denominata sunt. Is ve-

49) Hoc accurate describit VESALIVS *L. I. Cap. 18. p. 70.* et *Cap. 29. p. 109.*

50) Haec cartilago, si in iunioribus mollis est, etiam partum faciliorem reddit.

51) Vide historiam a medico quodam traditam in INGRASSIA *l. g. Cap. XIX. p. 245.* cui tamen ipse autor parum fidei adhibet. Is enim medicus gloriatus est, se puerperam immanibus doloribus ex diuaricatis his pectinis ossibus excruciatam, iniecta adstrictiori fascia curasse. Ex recentioribus ad propriam experientiam prouocat SANTORINVS *Obs. anat. Cap. XI. p. 209.* vid. Autores dissentientes in MORGAGNI *Animaduers. III. Animadu. 15. p. 28.*

52) WINSLOW *Anat. des os frais §. 103. T. I. p. 399.*

53) VESALIVS *L. II. Cap. 61. p. 298.* WINSLOVIVS *c. l. §. 105.*

54) WINSLOVIVS *c. l. §. 104.*

ro ea longe altius, et quidem primum, quod magnum et externum vocant, ab ilei ſpina externa, oſſisque ſacri parte laterali, alterum inferius, a prioris ligamenti parte interna, deducit. (55) Synchondroſi, quae pectinis oſſa inter ſe iungit, etiam ſubiectum ligamentum eſt transuerſum, quod illi ligamento, quod foramini ouali innexum eſt, illigatur. (56) Sic itaque haec peluis oſſa, cartilaginibus ligamentiſque inter ſe colligata, et ad ſtabilitatem totius corporis, et ad nobiliſſimorum viſcerum tutelam, accommodata, ſunt. Num vero etiam hae commiſſurae ad aliquem, quamuis obſcurum, motum ſint idoneae, id quod cum SCHELHAMMERO celeberrimus HEISTERVS (57) defendere videtur, non omnes conſentiunt. Hoc aliquando praeter naturam iis incidere, quibus ex varia occaſione cartilagines emollitae, et ligamenta laxa infirmataque ſunt, experientia compertum eſt. (58) Vix vero, niſi in iunioribus, in quibus ſumma iſtorum vinculorum mollities ac teneritas eſt, haec oſſa aliquam motus facultatem praeſtant, cum in aetate prouectioribus cartilaginum durities, et rigidorum ligamentorum robur, omnino non ſinant haee oſſa ita moueri.

§. XV. De iſtorum oſſium habitudine in infantibus iam ſupra memorauimus, ſacrum ex pluribus, quae cartilago ſatis multa diſcernit, eſſe compoſitum: Iam vero addimus, in foetu tenello, et qui quartum aetatis menſem nondum attigit, iſtam oſſiculorum partem, quae vtrinque in latus mouetur, prorſus eſſe cartilagineam, in hac vero cartilagine prius punctum oſſeum a medio corpore

55) vid. VESALIVS *Cap. LXI. p. 298.* EVSTACHIVS *Tab. 36.* SANTORINVS *c. l. Cap. X. p. 175.* ALBINVS *de Oſſibus §. 190.* WINSLOVIVS *c. l. §. 108. ad 114.* Vnicum ſaltem deſcribunt REALDVS COLVMBVS *c. l. p. 109.* et COWPERVS *in Myotomia reformata Tab. VII. lit. G. et Tab. XI. VI. Lit. V.*

56) VESALIVS *c. l.* WINSLOVIVS *c. l. §. 117. 118.*

57) SCHELHAMMERVS *in Analectis Anatomicis* HEISTERVS *in Compendio Anat. p. 41.*

58) vide DEVENTRIVM *in Nouo Lumine Obſtetricantium P. I. Cap. III. p. 18.* in quo etiam vide elegantiores horum oſſium icones.

re diſtinctum oriri, ex quo tandem, increſcente, tota cartilago oſſea fit; quare et ſingula oſſa, ſeu vertebrae, in foetu maturo ex tribus oſſiculis compoſitae ſunt, id quod contra COITERVM et EYSSONIVM animaduertit KERCKRINGIVS. (59) Coccyx vero cartilaginea appendicula prorſus concreta exiſtit, in qua nullum, quale in adultis eſt, diſcrimen, obſeruatur. De coxis etiam iam retulimus, eas ex tribus oſſibus in iunioribus eſſe compoſitas. Praeterea amplior ſummaque ilei pars cartilagine terminatur, ex qua etiam magnum aeque coxendicis tuber, ac huius ſuperior acutuſque proceſſus, conſtant. In adultioribus tandem iſtae quidem cartilagines multum recedunt, aſt tamen diu ſatis, et non raro vltra viceſimum annum, conſpiciuntur, tum diſcriminis illius veſtigia, tum epiphyſes, ilei, ſpinae et coxendicis, tuberi inhaereſcentes. (60)

§. XVI. Dum ad coſtas ſternumque venimus, Diuini Opificis ſummam induſtriam mirari oportet, qua pectus ex numero pluribus mobilibusque oſſibus, interpoſitis alternis muſculis, effectum eſt. Vt enim hoc cauum ad perennem aëris reciprocationem, hauriendum, emittendumque, ſpiritum, aptum eſſet, nec ſolis oſſibus conſtare potuit, nec ſolis muſculis, quod illa rigerent, motumque impedirent, hi vero nulla, etiam exterius accedente, vi reſiderent, et cor non minus, ac pulmones, ſpongiae aſſimiles, comprimerent. Iam vero etiam pulmones reſpiratu commode dilatantur, et iſta viſcera oſſibus, ſeu repagulis, contra omnia, quae exterius incidere poſſunt, muniuntur. Miſſis iam omnibus, quae de coſtarum numero, et diuiſione in veras ac nothas, ab anatomicis traduntur, ſolum poſitum figuramque earum paucis indicabimus. Illae primis ſuis partibus rotundiores vertebrarum corporibus excipiuntur; vbi tamen aliquod diſcrimen eſt. Suprema enim coſta, duaeque vltimae ex ſpuriis, vni ſaltem vertebrae, exiguoque ſinui eius corpori inciſo, inſident, reliquae vero per ſinus, qui duabus vertebris communes ſunt, multum-

59) *c. l. Cap. XII. p. 241.* 60) vid. INGRASSIAS *c. l.*

tumque exporrecti, accipiuntur. Ad transuersum etiam pollicem a priori alius est articulus, vbi costae leuiter capitulatae transuersis vertebrarum processibus, ea parte paululum sinuatis, inhaerent. Et hi articuli suas habent cartilagines, quibus, et sinus, et capitula, laeuigantur, nec minus ligamenta, quibus in sede sua continentur. Quia vero imae duae costae, inprimis vltima, quae nec ibi capitulata est, ad processus transuersos vertebrarum haud perueniunt, illae maioribus, multumque exporrectis, ligamentis, ex iisdem processibus eductis, deligantur. (61) Superiores costae breuiores existunt, inferiores vero longiores, (excipiendae tamen sunt imae spuriarum) quae arcuatae multum in interiora recuruantur. Ille flexus in tergo conspicuus est, iuxta artieulum, quo costae contra vertebrarum processus obliquos positae sunt, ita tamen, vt in inferioribus ille flexus plus a vertebris recedat. (62) Dum costae oblique descendunt, et dum inferiores longiores fiunt, illae in antica parte multum inter se recedunt, pectusque et latum reddunt amplumque, et ad alternos motus idoneum. In eundem finem costae, praeterquam, quod, vt diximus, arcuatae sunt, etiam ita intortae existunt, vt inferior illarum ora magis versus exteriora proiiciatur, id quod maxime in vltimis verarum deprehenditur. Tandem costae anterius leniter versus interiora flexae, in cartilagines degenerant, valde renitentes, quae cum pectoris osse committuntur; quarum cartilaginum non vna ratio est. Suprema enim costa vtrinque eo processu cartilagineo destituta est, cuius extremum osseum, cartilagineam apophysin, ex sterno ipso eductam, accipit. Sex aliae costae, in cartilaginem versae, anterius sterno insidunt, quarum cartilaginea capitula ab eius lateralibus sinubus excipiuntur. Differunt hae cartilagines, et magnitudine, et ipso flexu. Supremae breuiores, imae longiores, sunt, et anterius

61) Vltima costa toti fere adhaerescit diaphragmati, et huius motu ad interiora multum trahitur, id quod commode fieri non potuisset, si, vt reliquae costae, et haec arctius ad transuersum vertebrae processum deligata essent vide Cl. HALLERVM *de Diaphragmate et* MONRO *c. l. p. 242.*

62) VESALIVS *Cap. XIX. fig. 2.* ea parte, cui numeri inscripti sunt.

anterius aeque, ac iam de oſſea parte dictum eſt, in interiora curuantur. Quinque etiam vltimae verarum coſtarum ita cum ſterno coëunt, vt in progreſſu primum depreſſae, extremis ſuis rurſus ad ſternum exſurgant, et notabilem flexuram recipiant. Spuriarum vero cartilagines ad ſternum non perueniunt, quarum tres priores, in vnam quaſi appendicem conflatae, ad vltimam verarum coſtarum accedunt, duarum vero imarum breuiores cartilagines in ligamenta degenerant, quae abdominis muſculis inhaereſcunt.

§. XVII, Pectoris os, ſeu ſternum, ſuprema ſua parte, qua a faucibus incipit, amplum eſt, media anguſtum, et, tum inferius rurſus lateſcit, ab vtraque parte lunatum. Terminatur appendice, quae in iunioribus cartilaginea, in aetate prouectioribus non raro oſſea, eſt, et, quia obtuſi mucronis figuram repraeſentat, Graecis ξιφοειδὴς dicitur. Hanc appendicem bifidam reperiri, non adeo rarum eſt. Sternum, dum a ſupremis deſcendit, multum in anterius proiicitur, quod vltimae verarum coſtarum, quae ad illud tendunt, ſupremis magis exporrectae ſunt, et longioribus etiam cartilaginibus finiuntur. ξιφοειδὴς tamen appendix in interiorem partem recuruata eſt. Totum os, poſteriori ſua ſede, qua pectori inſidet, modice cauatum, anterius gibboſum, eſt, minus tamen, quam brutis, quibus pectus carinatum eſſe PLINIVS animaduertit. (63) Nec praetereundum, hoc os, etiam in admodum adultis, in duas dirimi partes, quae media cartilagine connectuntur. (64) Suprema pars plenior eſt, latiorque, quae vero, dum ad dictam commiſſuram multum anguſtatur, triangula fere exiſtit. Inferior pars oblonga, dicta appendice terminatur, quam ab ea diducere non difficile eſt. Haec ξιφοειδὴς appendix minimae craſſitudinis exiſtit, totum vero os, media ſua parte craſſiſſimum,

63) *L. XI. Cap. 37. T. I. p. 631. Edit.* HARDVIN.

64) VESALIVS *c. l. p. 79.* exiſtimat, et in hac commiſſura aliquem eſſe motum, huncque deprehendi in magnis reſpirationibus.

ſimum, ab vtroque latere tenuatur. Magna prae omnibus aliis oſſibus ſterno eſt raritas, et mollitudo, quippe quod totum ex cellulis minoribus, medullarem ſuccum continentibus, conſtat.

§. XVIII. A ſterno incipiunt iugula, Graecis κλεῖδες dicta, quae ad omoplatas tendunt, haſque, vt et totum brachium, ſuſtinent. Sunt haec oſſa oblonga, ad ſternum in anteriora, ad omoplatas in poſteriora, curuata, et quae ſpeciem Latinae literae S repraeſentant. Inferius iugulum ſinu excipitur, qui elatiori ſterno, ſupremaeque huius parti, verſus latera poſteriora inſculptus eſt. Ad ſternum autem iugulum intumeſcit, longeque plenius eſt, et fere triquetrum, cartilagine tamen mollitum, quam etiam ſinus, ſterno inciſus, vt omnes articuli, habet. Inter has ſterni iugulique cartilagines alia eſt media, qualis in articulo inferioris mandibulae et oſſium temporum inuenitur. (65) Ligamento membranaceo validiori et hic articulus comprehenditur, quod ex ora iſtius ſinus, qui ſterno inciſus eſt, conſurgit, mediae cartilagini inhaereſcit, et in iuguli extremam partem inſeritur. (66) Suprema parte iugulum recuruum et lateſcens contra omoplatam, magnumque illius proceſſum, qui ex huius dorſo conſurgit, et ἀκρώμιον dicitur, ſitum eſt. Talis eſt commiſſura, vt in anteriori gibbaque huius acromii multum lateſcentis ſede ſinus ſit leuiſſimus, cartilaginoſus, qui capitulum, minime extuberans, et oblongum, quod in poſteriori et laterali iuguli ſede eſt, accipit. Et hic articulus, praeter cartilagines, quae oſſibus inhaereſcunt, aliam mini-

65) Huius articuli accuratam deſcriptionem nuper admodum dedit iam ſaepe laudatus ALEXANDER MONRO, *in Commentariis Edinburgenſibus*, quibus Titulus *Medical Eſſays and Obſeruations by a Society in Edinburgh 1733. Obſ. XI. p. 124.* Cartilaginem inter ſternum et iugulum poſitam vide in VESALIO *L. I. Cap. XXII. p. 86.* confer. WINSLOVIVS et eiusdem laudati MONRO *Anatomy of the Humane Bones.*

66) vid. VESALIVS *L. II. Cap. XXXVI. p. 242.* WINSLOVIVS et hic alia adiecit, quae huic capſulari exterius inhaereſcere, illiusque robur augere, dicuntur. Deſcribit etiam nouum ligamentum, quod in poſteriori ſterni parte ab vno iugulo ad alterum exporrectum, haec duo oſſa deligare inter ſe dicitur *c. l. §. 248.*

minimam interuenientem, habet, quae maiorem, vt videtur, mobilitatem praeſtat. (67) Ligamentum comprehendit articulum, iis ſimile, quo iugulum pectoris oſſi adſtringitur; etiam illud mediae cartilagini inhaereſcit. Ad haec, quo melius in ſede ſua contineatur iugulum, illud alio omoplatae proceſſu ſuſtinetur, qui, ex huius ceruice eductus, ἀγκυροειδὴς, vel κορακοειδὴς, dicitur, et ligamento valido illi tuberculo, quod is proceſſus ſumma mediaque ſua parte habet, valentius adligatur. (68)

§. XIX Iugulis fultae ſuſtinentur ſcapulae, Graecis ὠμοπλάται dictae, quae oſſa lata, triangula, tenuia, et leuia, inſigniores exceſſus habentia, ſupremae ac poſteriori thoracis parti verſus exteriora impoſita ſunt, cui ſedi, pluribus muſculis conſtricta quaſi, innatant. Ne a propoſito nimium aberremus, miſſis caeteris omnibus, ea ſaltem attingere integrum erit, quae ad ſitum eorum, mobilitatemque, quae his oſſibus maxima eſt, attinent. Vtraque igitur omoplata, exterius gibba, interius caua, erecto corpore, et, quieſcentibus omnibus muſculis, ita fita eſt, vt ora omnium longiſſima, quam baſin vocant, ſua ſuprema, eaque parte, ex qua ſcapulae ſpina excreſcit, fere ſpondylorum proceſſus ſpinoſos attingat. Ab his vero baſis, dum deſcendit, non parum recedit, ita, vt angulus ſcapulae inferior ſatis a vertebrarum ſpina dimotus ſit. Superior ora, quae inter coracoidem proceſſum et ſupremum baſis angulum tranſuerſa eſt, ad modo dictum angulum elatior, et ad proceſſum depreſſior, exiſtit. (69) In ſede ſua firmatur ex aliqua parte illo articulo, qui vt retulimus, inter acromium et iugulum eſt. Verticillatus vero eius proceſſus, qui collum audit, ſedem opportunam humero praeſtat, cuius rotundum caput huius γλήνῃ excipitur. Quia vero caput, valde tumidum, maiore parte extra γλήνην ſitum eſt, validiſſimo ligamento,

67) VESALIVS *c. l. Cap. XXI.* WINSLOVIVS §. *244.* exiſtimat, hanc cartilaginem non in omnibus cadaueribus reperiri, cum quo ſentit MONRO *c. l. p. 262.* qui in ſenibus aliquando, loco cartilaginis, officulum ſeſamoideum inuenit.

68) Hoc ligamentum etiam in duo diuidit WINSLOVIVS §. *250.*

69) vide EVSTACHII *Tabulas XLIV. et XLV.*

totum articulum comprehendente, deligatur. (70) Articulum a ſuprema ſua parte tuentur duo iſti alii proceſſus, qui ex ſcapula exſurgunt, nec non ea, quae inter hos exiſtunt, ligamenta. (71) Non niſi itaque hac ſuprema parte omoplata oſſibus, humero et iugulo inhaeret, aſt potiſſimum muſculis, quorum magnus numerus eſt, in ſede ſua continetur, quae iam nominaſſe ſatis erit. Itaque omoplatam adligat, oſſi hyoidi, muſculus coracohyoideus; (72) occipiti, proceſſibus ſpinoſis vertebrarum colli, dorſique, vt et clauiculae, muſculus trapezius; inferioribus vertebris colli, ſupremis dorſi, harumque ſpinis, rhomboides; proceſſibus transuerſis quatuor priorum vertebrarum colli, muſculus eleuator; (73) Secundae, tertiae, quartae, quandoque quintae, coſtarum verarum, muſculus ſerratus minor anticus; (74) coſtis veris omnibus, vni alterique ſpuriarum, muſculus ſerratus, ſeu dentatus anticus maior; humero, muſculi deltoides, ſupraſpinatus, infraſpinatus, teres maior, teres minor, ſubſcapularis, coracobrachialis; vlnae, huiusque proceſſui, qui olecranum dicitur, extenſor cubiti longus. (75) Radio tandem, muſculus biceps. (76) Muſculus etiam latiſſimus dorſi, ſeu aniſcalptor, qui humero mouendo dicatus eſt, non raro omoplatae, huiusque inferiori orae, adhaereſcit. (77) Hi omnes muſculi, ſiue omoplatae, ſiue aliis oſſibus

70) Huic capſulari ligamento VESALIVS tria alia addit *L. II. Cap. 25. p.* 222. Illud aliis fibris, exterius accedentibus, compoſitum eſſe, docet WINSLOVIVS *l. c. §. 259.* Notum eſt, ſub hoc ligamento exterius adſcendere alterum bicipitis tendinem.

71) vid. EVSTACHII *Tab. XXXIII.*

72) WINSLOVIVS Homohyoideum vocat.

73) Aliis dicitur muſculus patientiae, WINSLOVIO angularis.

74) Dicitur alias pectoralis minor.

75) DOVGLASSIO hic extenſor longus, et breuis communi nomine bicipitis externi appellantur. WINSLOVIVS vocat anconeum maiorem.

76) Dicitur DOVGLASSIO bicepsinternus, WINSLOVIO coracoradialis.

77) vide COWPERI *Myotomiam Tab. LXVIII. Lit. K.* Iam hunc nexum contra nonnullos ſui temporis anatomicos defendit GALENVS *de Adminiſtr. Anat. L. V. Cap. I. Tom. IV. Ed.* CHART. *p. 112.* et *de Vſu partium L. XIII. Cap. vlt. p. 631.* qui ideo etiam aliquam ſcapulam mouendi poteſtatem illi tribuit. GALENVM vero confutat VESALIVS *L. II. Cap. XXIII. p. 218.* Nexum hunc cum ſcapula, quem nuper in cadauere demonſtrare potui, non ſemper reperiri, docet WINSLOVIVS *T. II. §. 194.* confer *§. 931.*

ossibus mouendis, inseruiunt, insignem isti mobilitatem praestant, quos multimodos motus singulari studio persecutus est celeberrimus WINSLOVIVS. (78) Quia vero haec ossa adeo lubrica sunt, et mobilia, tergoque veluti innatant, illa facillime praua aliqua agendi consuetudine, et sede sua mouentur, et corpori insignem deformitatem adferunt.

§. XX. Reliquum est, vt paucis horum ossium constitutum in infantibus exponamus. Costae atque clauiculae maturius solidantur in foetu, et priores quidem anterius paulo longioribus cartilaginibus finiuntur, in parte postica vero capitula primis mensibus cartilaginea, in partu ossea, ac penitus efformata, sunt. Cum vero cartilagines, quibus capitula, ita etiam in adultis mollita sunt, in infantibus paulo maiora existant, non pauci, et inter hos ipse KERCKRINGIVS, (79) in eam opinionem inducti fuerunt, ista in infantibus prorsus cartilaginea esse, cui rei tamen αὐτοψία refragratur. Eam enim solertiam in formandis ossibus persecuta est diuino consilio natura, vt post partum illa perfecta absolutaque essent, quorum motus ad vitam prae reliquis necessarius existit. Ne itaque in illo perenni motu, quo pulmones adspirantes se contrahunt, respiratu dilatantur, pectus laboret, costae ante partum plenae sunt, et completae, id quod etiam inferioris mandibulae condylis accidit, quorum agitatione et motibus lac, et sugitur, et in stomachum depellitur. (80) VESALIVS (81) quidem duas epiphyses costis ea sede tribuit, qua cum vertebrarum, tum corporibus, tum processibus transuersis, committuntur. Ast in variis praeparatis, quae haec scribenti ad manus sunt, nullae verae appendices conspiciuntur; sed cartilagines, quibus costae in his articulis laeuantur, in iunioribus productiores sunt, magisque excurrunt, quae prodeuntibus annis indurescunt, et contrahuntur. Clauiculae mox tertio circiter mense absolutae sunt, osseamque

78) In *Comment. Acad. Reg. Scient. Anno 1719. p. 63. 1723. p. 98. 1726. p. 252.* Edit. Amstelod.

79) *Cap. XIV. p. 246.*

80) vid. MONRO *in Osteologia p. 242.*

81) *L. I. Cap. XIX. p. 77.*

duritiem habent, quare KERCKRINGIO (82) ὀστέα πρωτογενέα dicuntur. Hac enim firmitate in ipso partu egere videntur, dum humeri, quos clauiculae sustinent, in istis vteri, huiusque oris interni, angustiis valentius comprimuntur. (83) Sternum ab initio nihil, nisi cartilago, est, adolescente vero in vtero foetu, quarto, vel quinto, circiter mense, conspiciuntur in eo puncta ossea, mox sex, mox pauciora, quae, dum increscunt, sibi adunantur. In nouem vero mensium partu plerumque illud ex quatuor officulis compositum est, quae multa cartilagine finiuntur, eaque inter se connectuntur. (84) Coalescunt increscente aetate haec ossa, per multos tamen annos sterno illa cartilago manet, quae, vt supra retulimus, inter supremam latioremque eius partem et alteram oblongam media est. Appendix etiam ξιφοειδὴς et cartilaginea est, et facile a medio osse diuellitur. In omoplata ad partionis vsque tempus, et basis, at acromium, et coracoideus processus, et tota ceruix, cum glenoide sinu, nihil, nisi cartilagines, sunt. Priores tres mutantur in epiphyses, quae etiam in ephebis non raro conspicuae sunt, ceruix autem ita induratur, vt os sensim ac sensim, diminuta contractaque cartilagine, excrescat, non vero, vt de aliis dictum est, in distinctam euadat epiphysin.

§. XX. Tam admirabilibus commissuris, tot cartilagine mollitis laeuigatisque cardinibus, tot ligaminum implicationibus, trunci ossa, vt ad varium motum praestandum idonea essent, continentur; quam elegantissimam fabricam ideo prolixiori commentatione exponi necesse fuit, quia, si eius cognitione destituitur medicus, nunquam de horum ossium distortionibus, et totius compagis deformitatibus, nec de thoracum vtilitatibus, noxisque, recte statuere poterit. Dum vero istas harum sedum prauitates, nunc paulo curatius exponere volumus, a spina ordiendum

82) *Cap. XVI. p.* 250.

83) Vid. MONRO *c. l. p.* 255. POLLICHIVS *c. l.*

84) Rarum forte est, videre sternum, cuius officula ad longitudinem diuisa sunt, quale EVSTACHIVS delineauit *Tab. XLVII. fig.* 21. Puncta enim ossea plerumque medium cartilaginei sterni occupant, et aequaliter in orbem increscunt, vide POLLICHIVM *c. l.*

dum eſt. Ex imbricatarum vero vertebrarum nexu manifeſtum eſt, non, niſi maxima vi, haec oſſa in adultis ita expelli, vt toto ſuo loco moueantur, nec hoc fieri poſſe, niſi compreſſa ruptaque medulla, quae per ſpinae medium fertur. Si ceruicis ſpondyli ita emouentur, homo repente iugulatur, ſi vero ii, qui ad lumbos ſunt, ita excidunt, femina reſoluuntur, vrina feceſque primum ſupprimuntur, mox ſine voluntate prorumpunt, et aeger intra paucos dies moritur. Incidere vero poteſt, vt homini prono, vel in latus inclinato, obliqui proceſſus ita diſtrahantur, vt ſurſum ſpectantes proceſſus inferioris vertebrae ſuper deorſum ſpectantes proceſſus incumbentis vertebrae efferantur. Iis, quibus hoc accidit, non licet erecto corpore eſſe, ſed tales ſemper proni in anteriorem partem inflectuntur. Si vero ex vna demum, dextra laeuaque parte inter ſe receſſerunt dicti proceſſus, homo pronus in latus contrarium aliquantum inclinatur. Veteres plura de luxata ſpina prodiderunt, hanc tamen rationem ignoraſſe videntur. Nec illis modis, variiſque machinis, quas ad valentius extendendam ſpinam, retroque cogendos ſpondylos excogitauerunt, quidquam praeter ſummos dolores, quibus aegros ſic diſrumpi neceſſe eſt, efficere potuerunt. (85) Nam, ſi toto ſuo loco motae ſunt vertebrae, eius rei cura nulla eſt, propter ruptam medullam. Si vero, quamuis non exciderint, paululum tamen prominent, quod in iunioribus maxime incidere ſolet, id non iugulat, nec tam valenti intentione curandum eſt, ſed ea ratione, vt de gibberoſis mox dicendum. Si vero obliqui proceſſus inter ſe receſſerunt, illa, quam veteres tradiderunt, methodo, ſpondyli haud ſatis diducuntur, nec commode reponuntur. In tali caſu oportet, hominem ſupra rotundum aliquid, dolium, vel ſupra conuolutum ſcorteum puluinum, collocari, eiuſque, et ceruicem, et nates, a miniſtris deprimi, atque vrgeri, ſicque ſpondylorum obliquos proceſſus magis

85) vide HIPPOCRATEM *de Articulis Sect. II. Tom. XII. Edit.* CHART. *p. 374. ſeqq.* et *Tab. IV. fig. 388. 389.* CELSVM *L. VIII. Cap. XIV.* PAVLVM *L. IV. Cap. 79. p. 102. Edit. apud* ALDVM ORIBASIVM *de Machinamentis Cap. XXXV. T. I. Collect.* H. STEPHANI *p. 195.*

magis diduci, qui tandem modico aegrotantis flexu in ſedem ſuam reuertuntur. Si vtrinque emoti ſunt obliqui proceſſus, conuenit, hominem in pronum dari, ſi vero in vna ſaltem parte, eum paululum in latus inflecti, ita, vt ſemper ea pars, qua dicti proceſſus inter ſe receſſerunt, ſuperior ſit. (86)

§. XXII. Thoraces vero non iis adhiberi ſolent, quibus oſſa magna vi luxata et penitus e ſede ſua mota ſunt, ſed gibberoſis, quibus oſſa aliqua parte indecore prominent, quorum vitiorum tamen diſſimiles admodum caſus curationesque ſunt. Spina in poſteriorem partem ſi proiicitur, vitio κύφωσις, vel κύρτωσις, nomen eſt. Huic contraria exiſtit λόρδωσις, in qua ſpina, in priorem partem inclinata, ac veluti lunata, efficit, vt ſternum etiam multum promineat. In σκολιώσει ſpina tortuoſo flexu in latus inclinata eſt. (87) Addunt quartum modum, quem σῆσιν appellant, in quo, vt GALENI verbis vtamur, vertebrarum compago dimouetur, illae vero ſuo loco manent. (88) Haec σῆσις illud vitium eſſe videtur, de quo plebeii, qui graui opere perfunguntur, ſaepe conqueruntur, Germ. das Wehethun. Accidit enim adultis, dum totius corporis nixu in aliquid incumbunt, vel grandia pondera tollunt, infantibus vero, dum eorum teneriora corpuſcula repente in variam partem inclinantur, in quibus valentiori intentione ſpondylorum ligamenta grauiter affici veriſimile eſt. Ex variis indiciis hoc factum eſſe, cognoſcunt. Tales enim dolore infeſtantur, qui a tergo ad praecordia tendit, nec motum facile ſuſtinent, ſed laſſitudine et torpore impediuntur, nulla iis cibi cupiditas eſt, ſed faſtidium, praecordiorum grauitas, et crebrior vomitio. Cum vero harum rerum plures aliae cauſae eſſe poſſint, et eadem ſymptomata accidere, ſi in ventriculo plus eſt, quam, quod

86) vid. PETIT *des Maladies des Os T. I. Cap. IV.*

87) Qualem delineat CHESELDENIVS *in Anatomiae Tab. VI.* Similis in Lipſienſi Theatro aſſeruatur.

88) Ὅταν, διακινηθῶσι μὲν αἱ ἁρμονίαι, κατὰ χώραν δὲ οἱ σφόνδυλοι μένωσιν. *In Comment. III. in Libr.* HIPPOCRATIS *de Articulis Text. II. T. XII. p. 368.* vbi has gibberum rationes exponit. confer *eiusdem L. IV. de Locis Affectis Cap. VI. T. VII. p. 460.* et PAVLVM *L. VI. Cap. CXVII.*

quod concoqui poſſit, ſtomachus imbecillus, aluus ſtricta, colon a contentis inflatum, caput infirmum, paulo ſubtiliorem obſeruationem adhiberi decet, nec ſemper mulierculis credendum, quae ſaepe non merentium vertebrarum σεῖσιν accuſant. Vulgus huic vitio mederi ſolet, dum alius homo ſuum genu contra aegrotantis, in terra ſedentis, tergum ponit, huiusque manus, ſupra pectus decuſſatas, prehendit, et, quantum valet, adducit. Si de infantibus eadem ſuſpicio eſt, vmbilico cucurbitulam vitream, aliudue vaſculum, aptant, illudque, dum ardentem cereum in iſtud coniiciunt, corpori imprimunt. Putant enim, quae his auxiliis credulitatem ſuam addixerunt, foeminae, ita diductas vertebras rurſus inter ſe iungi, et ligamenta ad priſtinum habitum reuocari. Cum vero in leuiori malo, interpoſito tempore, omnia ſponte in antiquum ſtatum redire poſſint, forte fabulae locus factus fuit, iis artibus reſtitui, quae per ſe ſaneſcunt. Perfectam σεῖσιν, ſeu ligamentorum imbecillitatem, per frequentes exercitationes a teneris aſſequuntur geſticularii, qui magna facilitate corpus motu ſupino et obliquo inflectunt.

§. XXIII. De omoplatis iam ſupra diximus, eas non raro, e ſede ſua motas, corpori deformitatem adferre. Nam aliquando altera eminet, altera depreſſa eſt; Nec rarum eſt, videre alios, quibus, vel vnius, vel vtriusque, omoplatae baſis, ad dorſi ſpinam ſita, in poſteriorem partem proiicitur, et multum a coſtis recedit. (89) Quia vero ſuper ſcapulam humerus agitatur, et, hunc ex his ſcapulae diſtortionibus iuſto elatiorem eſſe, vel deprimi, vel nimium in anteriora porrigi, intelligitur. Imo, ſi omoplata ex vna parte depreſſior eſt, ſpinam etiam inflecti, et in contrarium ſenſum proiici, et σκολίωσιν oriri, neceſſe eſt, quare horum oſſium in gibberoſorum curatione maxima ratio habenda eſt. Innominata oſſa nonnunquam paululum inter ſe, et a ſacro, cum

89) A GALENO tales dicuntur πτερυγώδης, quia omoplatae alarum in modum prominent *L. II. de Temperamentis Cap. VI. T. III. p. 67.*

cum quo committuntur, recedunt, dum propter ligamentorum imbecillitatem, cartilaginumque mollitudinem, istae commissurae mobiles fiunt, et turpem claudicandi necessitatem adferunt. Si vero ex vno latere ilium deprimitur, idem accidit, quod mox de omoplatis dictum fuit, spinam etiam distorqueri. Si spina gibbosa est, non minus sternum vario vitio peccat, et, vel indecore proiicitur, vel carinatum, vel nimis depressum, est, (90) vel in aliquam partem inclinatum, et deforme. Eius autem appendix ξιφοειδὴς frequentius retro datur, rarius in partem priorem. Prius in iis obseruauimus, qui, dum scribunt, leguntque, mensae, vel pulpito, toto pectore incumbunt, quae res non raro fons est grauissimarum et pertinacissimarum valetudinum. (91)

§. XXIIII. Ad horum vero vitiorum curationem nihil magis pertinere videtur, quam causarum notitia, quae, cum non omnibus gibberosis eadem auxilia, nec cunctis thoraces conueniant, paulo subtiliori obseruatione inuestigandae sunt. Mederi itaque volentibus sedulo respiciendum est, num membrorum prauitates, quas thoracibus coërcere volunt, ab internis causis profectae fuerint, num ab externis, num, id quod rarum non est, ab vtrarumque consortio. Plures enim ex praua corporis habitudine gibbos fieri, iam HIPPOCRATI innotuit. Notus est eius Aphorismus: (92) *Qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem intereunt*; circa quae verba multum laborauerunt interpretes. Eorum tamen sententia propinquior vero videtur, qui haec Coi verba de iis pronunciata esse existimant, quibus ex metastasi praui humoris ad interiora thoracis facta, tumores, seu tubercula, formata fuerunt. Dum enim eiusmodi tumores sub vertebrarum ligamentis, earumque periostio, ipsi ossi inhaerescunt, illa vincula ea parte

90) Qui pectus valde depressum habent, vocantur GALENO σανιδώδεις, quia ὁ ϑώραξ τενὸς ἔστιν, ὅτως ὡς σανὶς, *pectus asseris in modum angustum est.*

91) vid. BARTHOLINI *Epist. Med. Cent. VI. Ep. 77. p. 456.* SCHENCKII *Obs. Med. A. II. Obs. 264. p. 507.* BONETI *Sepulchretum Anat. L. III. Sect. VII. Obs. 17. p. 777.*

92) *Sect. VI. Aphor. 46.* ὁκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἀσθματος, ἢ βηχὸς γίνεται πρὸ τῆς ἥβης ἀπολλυνται.

parte attolluntur, et violentius adducuntur, quibus ſic ſpina inclinata in contrariam partem proiicitur, et gibba redditur. Haec tubercula, quamdiu adhuc in inflammatione conſiſtunt, narium haemorrhagia quandoque ſolui, HIPPOCRATES alio loco animaduertit.[93]) Si vero illa magis nocenter adoleſcunt, ad ſuppurationem ſpectant, tandemque matureſcunt, per ſe aperiuntur, et pus effundunt. Huius puris ſi magna vis eſt, pulmo comprimitur, et homo, intercepto ſpiritu, perit. Si vero non multum puris eiectum fuit, illud in pulmones, qui tumori non raro inhaereſcunt, deſtillat, hos exeſt, ex qua exulceratione frequens tuſſis, purisque exſcreatio, accedit, et vera phthiſis, quae tandem hominem tollit. Diſertis verbis hanc rem alio loco indicare videtur HIPPOCRATES, vbi tubercula, circa pulmones orta, gibberis et diſtentionis neruorum (per τὰ νεῦρα ligamenta intelligit) cauſam eſſe pronunciat. (94) Et rupti eiusmodi tuberculi exemplum in Ageſis filia deſcribit HIPPOCRATES, quae ex eo, quamuis non gibberoſa, tamen aſthmatica, facta fuit. (95) Sunt etiam exempla gibberum, ex aliis grauioribus morbis relictorum. In coco

R 2 tale

93) *In Coacis Praenot. n. 312. Edit.* CHART. *T. VIII. p. 869.* Ῥάχιος διαστροφὴν, καὶ δύσπνοιαν αἵματος ῥυσις λύει. *Spinae diſtortionem ac ſpirandi difficultatem ſanguinis fluxus ſoluit.* Spinae vero diſtortionem, ab inflammatis muſculis et ligamentis ortam, ſoluere poteſt haemorrhagia narium. vide doctiſſima *Commentaria in hunc locum* IACOBI HOLLERII, et DESIDERII IACOTII *ex Edit. Lugd. 1576. p. 627.* et LVDOVICI DVRETI *p. 193. ex Edit. Pariſ. 1588.*

94) *De Articulis Sect. II. Text. IX. Tom. XII. p. 371.* Φυματία τε, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, κατὰ τὸν πνεύμονά εἰσιν, οἱ τοιοῦτοι σκληρῶν φυμάτων καὶ ἀπέπτων. Καὶ γὰρ ἡ πρόφασις τῦ κυφώματος, καὶ ἡ ξύντασις τοῖσι πλήσιοισι, διὰ τοιάυτας συμφορὰς γίνεται, ἤσιν ἂν κοινωνήσωσιν οἱ τόνοι, οἱ εὐνεγγυς. *Sunt vero tales plerumque tuberculis ad pulmonem obortis adfecti, iisque duris et crudis. Plerisque propter has collectiones humorum fiunt occaſiones gibberis et neruorum diſtentionis, cum quibus nerui propinqui communionem habent.* confer *Annot.* FOESII *ad hunc locum Sect. VI. p. 78.* et GALENI *Commentarium in ſupra citatum Aphoriſmum et in hunc locum*, aliosque praeſtantiores commentatores PHILOTHEVM *in Aphoriſmos* HIPPOCR. *p. 118.* et FRANCISCVM VALESIVM *p. 195.* Hanc rem vero ſingulari ſtudio perſequutus eſt, et noſtram ſententiam contra MERCVRIALEM aliosque defendit, MARCVS AVRELIVS SEVERINVS in doctiſſimo Opere *de Recondita Abſceſſuum natura, eiusque Libro VI.* qui agit *de gibbis, valgis* et *varis.*

95) *Epidem. L. VI. Sect. IV. Text. IV. T. IX. p. 476.*

tale vidit ex phrenitide HIPPOCRATES, (96) qui etiam in angina colli vertebras intro datas obſeruauit. (97) Celeberr. WEDELIVS (98) vero puellum quinque annorum deſcribit, qui ex dyſenteria gibbus factus fuit. Si vero in his tumoribus, quae ipſis oſſibus inſident, mala corruptaque materia coiuit, ea ſaepe in ligamentorum iſtorum velamento, quo ſpondylorum corpora inueſtiuntur, includitur, et tunc rara vertebrarum oſſa rodit, eaque nonunquam ad medullam exeſt. Ex hac exulceratione oſſiumque carie, praeter magnos cruciatus, et, quae quandoque incidere ſolet, crurum paralyſin, febricula, accenditur, et aegri, per multum tempus miſerum ſpiritum trahentes, tandem emaciati, omnibusque viribus defecti, tolluntur, quarum rerum exempla legere licet, et apud BLEGNY, (99) et apud COWPERVM. (100)

§. XXV. Haec tamen tubercula non a ſolis internis cauſis proficiſcuntur, ſed etiam ab iis, quae exterius accidere poſſunt. Aliquando enim ſanguis, aliusue humor, in his ſedibus ex ictu, vehementiori motu, et diſtortione, aliisque occaſionibus, concurrit, qui tandem, niſi natura, quae ſaepe incomprehenſibilis eſt, occultas medendi vias inuenerit, matureſcit, abſcedit, et in integerrimis corporibus funeſtam tabem infert. Hoc contingere potuiſſet puero, a WEDELIO (101) commemorato, qui, cum duorum annorum cum dimidio eſſet, ex caſu ab alto facto gibboſus fieri coepit, et a carnifice, quem parentes in medelam adhibuerant, mollientibus vnguentis delibutus, per inferiora membra ſolutus fuit. WEDELIVS adhibitis idoneis auxiliis ei mederi potuit, ita, vt pedibus etiam, poſtquam grauiter indoluerant, motus redierit et ambulandi poteſtas. Vero enim ſimile videtur, hunc puerum ex

96) *Epidemicorum L. V. Text. 33. T. IX. p. 345. et L. VII. Aegrot. 81. p. 783.*

97) *Epidem. L. II. Sect. II. Text. 28. p. 145.*

98) *In diſſert. de Gibbere.*

99) *In Zodiaco Medico Gallico Menſ. Febr. Obſ. 13. p. 48.*

100) *In the Anatomy of Humane Bodies* ad Tab. LXXXXIII. qui hoc in ſecto corpore Comitis de Peterborough obſeruauit.

101) *In Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Anno II. Obſ. 230. p. 333.*

ex tuberculis, intus enatis, gibberoſum factum fuiſſe, tandemque paralyticum, quod illi tumores, ex emollientium vſu, multum increſcentes, tandem ſpondylos, in puero imbecillo multa mollique cartilagine diſtinctos, e ſede ſua propellerent, et ſpinae medullam comprimerent. Curatus vero fuit, accedente febre, qua, vt et congruorum pharmacorum vſu, humor, qui coiuerat, diſcuſſus fuit. Minor tamen gibbus, vt videtur, ex ligamentorum imbecillitate remanſit. Commemorabilis etiam hiſtoria eſt, quam Regis Galliae Archiater, CHICOYNEAV, de puella nouem annorum retulit. (102) Haec, cum corpore valde tenuato eſſet, et fere tabido, habuit (ex qua occaſione non conſtat) omoplatarum ſiniſtram elatiorem, vtramque vero in poſteriora proiectam, multumque a coſtis recedentem, ſpinam autem diſtortam, ac per σκολίωσιν in ſiniſtrum latus inclinatam. Febre laborare coepit continua, multum feruorem habente, ad quam tuſſis ſpirandique difficultas acceſſit. Febris tandem ſanguinis miſſione, aliisque auxiliis, aliquantum tenuata fuit, lenta tamen febricula corpus ſine intermiſſione tenuit, et increbreſcente tuſſi, ac pectore multum dolente, ſpiritum longe difficilius, quam ab initio, reddere potuit aegra. Cum vero omnia conclamata eſſe viderentur, finita fuit febris crebriori puris, cui paucus ſanguis admixtus erat, deiectione, qua per decem circiter dies, non ſine magno, et alui, et inferioris ventris, dolore, laborauit puella. Meliuſcule tamen ipſi eſſe coepit, et tandem graui hac valetudine leuata fuit, ac ſanitati reſtituta, id quod vero mirum viſum fuit omnibus, poſt ſuperatam ea ratione febrem, non ſolum omoplatae in ſedem ſuam omnino reuerterant, ſed et ſpina incuruata multum in melius mutata fuit, et fere ad naturalem procerſtatem reuocata, id quod ſolius naturae beneficio, nullo exterius adhibito auxilio, factum eſt. (103) Non ita res feliciter ceſſit in caementario, cuius hiſto-

 riam

102) vid *les Memoires de l'Academie des Sciences 1731. p. 724.*

103) Pus ex thoracis empyemate non ſolum per renes, ſed etiam per aluum, expurgari ſe vidiſſe, teſtatur GALENVS *de Locis Affectis L. VI. Cap. V. Tom. VII.*

riam Celeberr. ZWINGERVS tradidit. (104) Hic, cum magno nisu praegrandem lapidem e loco mouere vellet, in lumborum regione sensit fragorem, grauemque dolorem. Spinam intuentes, primam lumborum vertebram in posteriorem partem emotam esse, deprehendisse sibi visi sunt. Ab eo tempore miser, nec opere suo satis perfungi, nec, nisi baculo suffultus, incedere, potuit. Neglexit nihilominus malum, illudque tandem, cum ingraueſceret, thermis curare voluit. Quam primum vero in balneum venit, cutis in altero lumborum latere, et rubere, et intumeſcere, coepit, et aegrum, non vt antea baculis, sed grallis, innixum, colobathrariumque, progredi oportuit. Aucta hac gradiendi difficultate eo vsque, vt, nec rectus insistere, nec corpus ad necessaria opera incuruare, posset, tumor ortus fuit, ab initio in lumbis, mox superhabitis illi emplastris, puri mouendo accommodatis, alius in dextro inguine, ex quo, inciso, non parum puris, satis boni, maturique, extractum fuit, et superior tumor desedit. Aeger vero in melius haud fuit mutatus, sed, cum indies multum pus, vel alius humor, effunderetur, tandem, postrata omni vitali virtute, summaque orta macie, sexto post apertum tumorem menſe obiit. Post mortem in hepate et mesenterio multi tumores, foedaque vlcera, iuxta spinam vero scirrhosorum tuberculorum congeries, et in abdomine multus humor, inuentus fuit. Spondylorum nonnulli inter se receſſerant, duo autem inferiores dorsi, et reliqui omnes, qui ad lumbos sunt, vitiati fuerunt, periostio nudati, nigri, carioſi, vt ex iis, leuiter preſſis, medulla exiret.

VII. p. 117. Ἡμῖς γε πνέυμονος ἀπόστημα δι' ὑρων ἐκκαθαρθὲν ἐθεασάμεθα, νῦν δ' ὠράκος, διά τε τῶν ἐντέρων καὶ τῆς ἕδρας. *Nos autem pulmonis vomicam, per vrinas expurgatam vidimus, pectoris autem per inteſtina et aluum.* HIPPOCRATES *in Coacis n. 429. T. VIII. p. 877.* hanc ſententiam pronunciauit. Τοῖσιν ἐμπύοισι τὸν πνέυμονα κατὰ κοιλίην πῦον ὑποχωρέσι, θανάσιμον. *Iis, quibus pulmo ſuppuratus eſt, ſi pus per aluum fluit, lethale eſt.* Sed hoc intelligendum est de iis, quibus pulmo post vomicam ruptam per vlcus exesus est, et qui vera phthisi laborant, non de critica et salutari puris ex vero empyemate excretione per aluum. vide laudatos praestantissimos Commentatores HOLLERIVM *c. l. p. 824.* et DVRETVM *p. 304.*

104) *In Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ. 81. p. 196.*

ret. Humor etiam in his ſedibus diutius ſubſidens, propinqua loca rodendo ſinuauerat, et fiſtula ad coxendicis os deſinens hoc etiam ſua membrana nudauerat. Hunc fatalem morbi exitum auerti potuiſſe probabile eſt, niſi aeger, qui per duos priores annos, quamuis minus validus et non absque moleſtia, conſuetos labores ſuſtinuit, morbum ab initio haud neglexiſſet, ſed celerius ſanguinis miſſionibus, aliisque auxiliis, quibus materiae aditus auerti, et humores, ſi qua in corporis ſede iam coiuerunt, diſcuti queunt, vſus fuiſſet.

§. XXVI. Incidere etiam poteſt, vt gibbera, et circa ſpinam tumores, innaſcantur, ſi in cerebro vitium, malusque humor, eſt, qualis eſſe ſolet in hydrocephalo, maxime illo, vbi humor in capitis interiora, ipſumque ἐγκέφαλον, contractus eſt. Spina enim capitis inflati et praegrauis molem ſuſtinere nequit, et vel ideo varium in modum incuruatur, et, quia ſerum in ſacram fiſtulam deſtillat, et, dum ad ea foramina, ſpondylorumque commiſſuras, peruenit, per quas nerui vtrinque educuntur, ligamenta, in quae incumbit, infirmat. Humores vero ſeroſi, dum in his ſedibus confluunt, haud quidem facile ad ſuppurationem ſpectant, dum vero ligamenta laxant, tumores efficiunt, qui, dum adoleſcunt, gibboſitates pariunt. Nonnunquam tamen et hoc mali accedit, vt ex humore, intus magis et magis corrupto, vlcera oſſibus ſupernaſcantur, quibus et illa vitiantur. Exemplum HILDANVS (105) memoriae prodidit, qui in puero gibbo, poſt fata diſſecto, vidit vertebras a ſexta ad decimam τῦ μεταφρένυ carioſas ac diffractas, quarum fragmenta in pulmonem vlcere exeſum detruſa haeſerunt. In capite vero inuenit oſſis ethmoidei apophyſin, quam criſtam galli appellant anatomici, ita mole ſua auctam, vt laminam huius oſſis cribratam penitus operiret. Oſſium maxillarium

105) *Obſerv. Chirurg. Cent. I. Obſ. 45. p. 41.* et *Cent. V. Obſ. 66. p. 457.* Hanc Obſeruationem HILDANI immerito perſtringit CONRADVS VICTOR SCHNEIDER *de Catarrhis Libro ſpeciaſſimo p. 473.* Humores enim ad alia loca non ſemper per apertas, ſed ſaepe latentes, vias, per metaſtaſin ſcil. ferri, omnibus cognitum eſt, et confirmatur hiſtoria recentiori CHICOYNAEI.

xillarium proceſſus, qui ad naſum adſurgunt, et cum coronali oſſe committuntur, adeo tumidi fuerunt, vt, ad ſeptum, quod inter nares medium eſt, exporrecti, illas fere clauderent. Exiſtimat HILDANVS, ex hac oſſium conformatione, impeditam ſuiſſe muci in membrana pituitaria ſecretionem, humoris vero huius abundantiam ad ſacram fiſtulam, aliasque corporis partes, oſſa etiam in puero molliora fuiſſe delatam. Nam in puero reliqua oſſa omnia mollita erant, inprimis epiphyſes, quae cerae in modum premi atque tractari potuerunt.

§. XXVII. Haec HILDANI hiſtoria nos manu quaſi ducit ad dirum illud valetudinis genus, quod omni aeuo priore incognitum, ab aliquo tempore per magnam Europae partem pueros infeſtauit, ad Rhachitidem, quae, quod, praeter aliorum morborum prauitates, ſpinae etiam diſtortionem pariat, ex ipſo nomine intelligitur. Superuacaneum futurum eſſet, ſi morbi huius peſtiferi hiſtoriam iam copioſius ſcribere vellemus, qua opera praeſtantiſſimi viri, et inter hos FRANCISCVS GLISSONIVS (106) et IOH. MAYOVIVS (107) ſingulari ſtudio defuncti ſunt. Illud vero nunc inueſtigandum eſt, cur puerorum, hoc morbo afflictorum, oſſa incuruata ſint, horumque appendices nodoſae ac tumefactae, de qua re non omnino conſentiunt autores. GLISSONIVS exiſtimat, in hoc morbo, nec cerebrum, nec cerebellum, nec oblongatam medullam, quae calua continetur, vitio laborare, ſed ſolam ſpinalem, ideo, nec eos neruos, qui ab oblongata medulla per caluariae foramina exeunt, et plerumque ad viſcera et ſenſuum organa ducuntur, infirmari, ſed illos, qui ex ſpina educuntur, et muſculis vitale robur praeſtant. Soluta autem vi horum neruorum, nutritionem in toto corpore non parum laedi, et inaequalem admodum fieri. Oſſibus itaque hoc etiam accidere, vt vna ſua parte plus alimenti recipiant, quam altera, et ideo inaequaliter intumeſcant, idque maxime circa raras epiphyſes fieri, cum in

106) *In tractatu do Rhachitide, ſiue morbo puerili, Lond. 1671. edito.*

107) *In Operum Medico-Phyſicorum Tract. V. p. 383.*

in harum commiſſuras maiora vaſa ferantur. Ex hac inaequali ſucci nutritii diuiſione oſſium etiam curuaturam pendere putat GLISSONIVS. Aucto enim in vno latere alimento, iſtam partem elongari, oppoſitam vero, ſi in eam minus alimenti delatum fuerit, non parum deprimi, id quod variis mechanicorum experimentis, additis etiam iconibus, illuſtrare laborat. In ea enim verſatur ſententia, quam etiam alii plures ſecuti ſunt, oſſium ſic adfectorum tumores, intus nullum vitium alere, nec illa a ſanorum oſſibus quidquam differre, ſed tumores, vt loquitur, homogeneos eſſe; Cum hoc multum diſſidet MAYOVIVS, qui quidem in eo etiam cum GLISSONIO ſenſit, oſſa rhachiticorum nullo vitio occupari, nec praeter naturam flexuoſa eſſe, et in hoc morbo inaequalem nutritionem etiam accuſat, quam tamen ex inaequali diuiſione ſucci, qui in neruis mouetur, fieri exiſtimat. Hunc enim ad corporis alimentum aeque, ac ſanguinem, neceſſarium eſſe, multis probat. Fieri itaque diſparilem nutritionem, et oſſium, et muſculorum, motum animalem praeſtantium. Contendit enim, oſſa, quae, vt notum eſt, ſenſu deſtituuntur, ſolo humore ali, per arterias ad ea labente, carnes vero, cum ad eas multi nerui pertineant, ſubtiliſſimo horum ſucco indigere, non ad ſenſum et motum ſolum, ſed et ad ſui conſeruationem, et incrementum. Ideo carnes, ſi eo deſtituantur, flacceſcere, emaciari, et interareſcere. Eam itaque cauſam eſſe, cur in rhachiticis, oſſibus laete increſcentibus, muſculis oriatur macies, ac imbecillitas, et, cur, his breuioribus factis, oſſa pedetentim, aſt valentius, adducantur, et indecore incuruentur. Totam rem ex eo confirmari putat, quod oſſa, v. g. crura, non in aliam partem inclinari ſoleant, quam, cui muſculi inſeruntur, et, quod his oſſibus vtilis ſit fricatio, non ea, quae gibbo, ſed quae loco concauo, adhibita, muſculorum robur, incrementumque, reuocare poteſt. Ex his etiam apertum eſſe, putat MAYOVIVS, cur puerorum ſpina, et celerius, et magis, quam reliqua oſſa, emoueatur. Praeterquam enim, quod moles praegrandis capitis, quo

esse solent rhachitici, imbecillam flexilemque spinam premendo in quamuis partem vrgere possit, hanc in summo pectore, musculis externis sic intentis, in priorem, seu interiorem, partem proiici, in infima spina vero, spondylos a musculis psoas adductoribus in posteriora emoueri. Pectus etiam ob eandem causam angustari, sternumque carinatum fieri, quod increscentes costae ab infirmis et circumscriptioribus intercostalibus musculis valentius contineantur. Nec minus ad pectus, sic deformandum, conferre abdominis musculos, et ex his prae aliis obliquum externum, cuius dentatae appendices septem inferioribus costis innectuntur. Illis enim costas deorsum trahi, thoracem ad latera deprimi, sternum proiici, et acuminatum reddi. Costas etiam propter hanc, quam sic patiuntur, adstrictionem, alimentique, quo gaudent, exsuperantiam, nodosas fieri, et tuberibus deturpari.

§. XXVIII. Haec a MAYOVIO prolata praeclara omnino videntur, et iis dilucidiora, quae de ossium curuatura proposuerat GLISSONIVS, pace tamen aliorum nec his omnia, quae in dira hac valetudine incidere solent, enodari existimamus. Nemo ignorat, rhachiticorum ossa non solum incuruari, sed, si valetudo altiores radices egit, et multum inualuit, etiam vitiari, et pernicioſissima carie infestari, quae veteribus incognita, post Arabum tempora, spinae ventosae, vel παιδαφθοκακῆς, nomine innotuit medentibus, Hoc vero vitium ab abundantiori alimento in ossibus, et a sola neruorum, a spinali medulla tractorum, obstructione in musculis, pendere non posse, sed ab humore et alimento totius corporis corrupto oriri, non minus perspicuum esse videtur. Non itaque, vt GLISSONIO et MAYOVIO visum fuit, in confirmato morbo, ossium tumores benigni sunt, sed saepe vitiosa sanie turgidi, qualis non raro per plura corporis ossa diffusa cernitur. Igitur verisimile videtur, hos ossium morbos et tumores, non ab abundantiori et laudabili succo, sed a corrupto humore, per arterias in ossa influente, proficisci, illaque, intus sic contracto vitio, molliri, tumida fieri, et flexuosa, vt minori vi breuiorum emaciatorumque musculo-

ſculorum inflecti queant. (108) Si vero affluentior ille humor in epiphyſium rariorum cellulis, quae teneriorem, et in iunioribus ſanguineam, medullam continent, quieſcit, is nocentior fit, ipſamque compagem aggreditur, fibras diducit, tandem exeſt, et peſtilentiſſimam illam cariem infert, cuius initia in ipſo oſſium meditullio naſcuntur. A vero itaque alienum haud videtur, membrorum prauitates, in rhachitide laborantibus, tum a virium incrementique defectione in muſculis, tum ab oſſium multitudine, oriri. Oſſa enim, non in infantibus ſolum, ſed in aetate etiam prouectioribus, aliquando praeter naturam ita molliri, et cerea ac fragilia fieri, vt, quaſi liquata, diffluant, multorum obſeruationibus, et propria Praeſidis experientia, compertum eſt. (109) Sedes etiam primaria diri illius puerorum morbi eſſe videntur glandulae conglobatae omnes, maxime in meſenterio, quae poſt mortem tumidae et induratae inueniuntur. Illae enim, quae humo-

108) Hanc ſententiam iam propoſuit PETIT *Traité des Maladies des Os. T. II. Cap. XVII. p. 503.*

109) FERNELIVS *de abditis rerum cauſis L. II. Cap. IX. p. 185.* vidit in milite brachiorum et femorum oſſa, ex morbo tam flexibilia et mollia, vt facile, cerae in modum, ſequerentur. Illa balnearum naturalium aluminoſarum vſu in priſtinum vigorem roburque reſtituta ſunt. Oſſa aliquando in adulto adeo mollia et cerea facta fuiſſe, vt homo procerus ad longitudinem pueri duorum annorum reuocatus fuerit, legitur in BARTHOLINI *Actis Hafnienſibus Vol. III. Obſ. 24.* Rarum valde exemplum mirae fragilitatis vide in SAVIARDI *Obſeru. Chirurgicis Obſ. LXII. p. 274.* confer BARTHOLINI *Hiſt. Anat. Cent. VI. Hiſtor. XL. p. 263.* Plura exempla fragilium oſſium collegit WILHELMVS HVLDERICVS WALDSCHMIDT in *Diſſert. de Fracturis Oſſium ſine violenta cauſa externa, Kil. 1721.* Praeſes ante aliquot annos adſtitit Praenobiliſſimo Viro Dn. D. HEINICHEN, qui pauperibus in hac vrbe medendo laudabilem operam praeſtat, corpus viri cuiusdam ſecanti, cuius femur ſiniſtrum, dextro extenſius valdeque durum, admodum intumuerat. Illo inciſo, deprehendimus adipoſam femoris tunicam, mole ſua auctam, induratamque, vt macilentos ac exiguos muſculos admodum premeret, totum vero os innominatum, ita comminutum, vt, ſi minorem oſſis pectinis partem, cartilaginesque, excipias, quibus hoc os cum aliis continetur, nec non aliam, qua profundior coxae ſinus mollitur, et quae integra, maiori ligamento femoris, e ſede ſua non parum moti, adhaerebat, nihil, praeter minora fragmenta, conſpicerentur, quae adſperiora adſitis muſculis inhaerebant, ſecantiumque manus pungendo laedebant.

ribus, quibus corpori alimentum praeſtatur, lymphae ac chylo perficiendis inſeruiunt, ſic ex quacunque cauſa male adfectae non laudabilem, ſed lentum, mucoſumque, humorem conficiunt, qui, dum ad cerebrum perlabitur, nec huic materiam dat, ex qua ſubtiliſſimus ille neruorum ſuccus ſecerni queat. Ridiculum enim videtur, ſi quis cum MAYOVIO ([110]) glandularum tumores ab exſuperante et coacto nerueo ſucco deriuare velit. Cur vero, ex noſtra ſententia, hoc vitali et abſolutiſſimo humore deſtituantur nerui, qui ad muſculos pertinent, non aeque alii, qui in viſcerum et ſenſuum organa ducuntur, nondum adeo exploratum eſſe fatemur. In ſectis enim cadaueribus, non ſola ſpinalis medulla, ſed cum ea totum etiam encephalon, omnia praeterea viſcera mollia, flaccida, praeter modum inflata, ipſi etiam cerebri ventriculi ſero inundata reperiuntur, de qua re tamen exquiſitius dicendi alia dabitur occaſio.

§. XXVIIII. Ex his itaque perſpicuum eſſe arbitramur, cur pueri, qui mali habitus ſunt, a vitio, intus in corpore haerente, gibberoſi fiant. Nam hoc aliquando efficit ligamentorum imbecillitas, quorum naturalis vis in tali corpore ſe multum remittit, ita, vt ex leuiori occaſione teneriores ſpondyli, nec non reliqua oſſa, loco ſuo moueri queant. Maior ad haec vitia procliuitas eſt, ſi lentus humor, in aliquam partem contractus, in ligamenta procumbit, horumque robur ſoluit. Si vero iſta oſſium vincula contractiora fiunt, dum ea videlicet a ſubnaſcentibus tuberculis, et valenter impacto humore, attolluntur, etiam has membrorum prauitates oriri neceſſe eſt. Ligamentorum vero imbecillitas non illud ſolum efficere videtur, vt e ſede ſua mota officula promineant, ſed vt deformia fiant, et illorum figura mutetur. Dum enim haec, quae in iunioribus teneriora ſunt, oſſa, quotidie increſcunt, ea parte, qua a ligamentis non, vt decet, continentur, intumeſcunt, et ſenſim ac ſenſim a naturali figura recedunt. Quod ſi vero morbus eo proceſſit, vt haec rariora oſſa vitium intus contrahant,

[110]) *c. l. p. 390.*

trahant, et ex prauo humore tumida, turgidaque, fiant, casus asperior est, et omnia auxilia parum proficiunt. Praeterea, si corpus intabuit, et musculi ex varia causa emacuerunt, iisdem ossa valenter adducuntur, et curuantur; quare etiam decrepiti senes cernui fiunt, et in terram prono capite et pectore inclinantur. Gibberosos enim ex contractis abdominis musculis factos, iam alii notauerunt. (III)

§. XXX. Nunc vero ea quoque visenda sunt, quae, dum exterius incidunt, has membrorum prauitates efficere solent. Illud etiam ad haec omnia pertinens dicendum est, plerumque horum vitiorum non vnam et simplicem causam esse, sed a plurium consortio illa enasci. Potest enim aliquid inesse puero, quod, per se tantum non est, vt membrorum distortionem efficiat, corpus tamen his iniuriis magis obnoxium reddat. Plerumque enim illud pro causa apprehenditur, quod vel prius accidisse, vel plurimum contulisse, videtur. Pueros enim delicatulos, in gremio ac sinu indulgentissimarum mulierum molliter educatos, frequentius his iniuriis obnoxios esse, rarius vero plebeios, ab agrestibus parentibus susceptos, negligentius et humili cultu eductos, quotidiana confirmat experientia. Quae itaque his haud facile nocere possunt, pernicioſissima fiunt prioribus, quorum corpus fluxum est, ac infirmum, et ideo vel minoris iniuriae impatiens. Igitur gibbosi fiunt infantes, si laborioſiori parentis nixu in lucem eduntur, et quibus obstetrices rudes violentaſque manus iniiciunt, tenellosque artus infirmant, vel detorquent. Idem faciunt gerulae, quae pueros labantes, et ab alto cadentes, vt eos sustineant, violenter inuadunt, artusque, quos prehendunt, nocenter adducunt, quae res non paucis pueris, et deformitatem, et claudicationem, attulit. Ipsi pueri in luctatione, ludis, variisque exercitationibus, si corpus artusque repente, ac valentius, flectunt, intorquent, ac conuellunt, vel, dum ab alto ruunt, et membra grauiter duris

III) vide ex GONEO Gallo Celeb. HEISTERI *Chirurgiam Ed. vlt. Cap. 109. p. 136.*

corporibus impingunt, his vitiis obnoxii redduntur. Ossa enim teneriora his repentinis motibus dimouentur, et ligamenta, quae supra consuetudinem distenduntur, post minus fideliter continent. Quia etiam teneriora ossa epiphyses habent, quae cum diaphysi, seu medio osse, cartilagine committuntur, et hae facile, rupta molli cartilagine, dirimuntur; quae epiphyses, sic sua sede motae, post oblique iunguntur ossibus, qua ipsa re membra inaequaliter tument, atque incuruantur.

§. XXXI. Frequentius tamen ossium compages in iunioribus inuertitur, mala inueterataque consuetudine, dum corpus perenni ac frequenti flexu in aliquam partem inclinatum, tandem obliquatur. Itaque infantes, qui ex vna demum mamma maternum humorem trahere possunt, haec vitia cum lacte quasi quandoque accipiunt, dum sic frequentius vni lateri incumbunt. Simile accidit, dum ii ab ancillis, non alternis, sed vni vlnarum, insidentes, geruntur, et corpuscula earum, pectori valentius apprimuntur, qua gestatione et spinae, et omoplatae, et humeri, coxaeque, inuertuntur. Pusiones, paulo adultiores facti, si sedeculis suis, ab ignauis, vel minus prouidis, nutricibus adfixi tenentur, illae vero ita collocatae sunt, vt tenelli coram habeant mensam, in altero vero latere parietem, corpus multum in eam partem inflectunt, qua libera est, et ex hac sedendi consuetudine spinam, scapulasque, in latus distorquent. Pueris hoc etiam accidit, qui, in literariis ludis sudantes, plerumque, dum scribunt, tabulas chartamque genu imponunt, et sic spinam pectusque obliquant. Puellae idem experiuntur, quae, dum laneum, sericum, aliumue, pannum, tendicula diductum, acu pingunt, et flores aliasque notas intexunt, obstipa ceruice sedent, demisso altero humero, altero exporrecto, et elato. Baiuli ac geruli, qui varias merces, ex ceruice pendentes, venui exponunt, iisque onusti per vias et compita errant, si ab adolescentia hanc vitae rationem sequuntur, et haec gestamina non alternis humeris praeportant, spinam inflexam habent, et alteram omoplatarum elatiorem, et a costis non

parum

parum recedentem. Longum foret, ſi omnes corporis motiones iam perſequi vellemus, quae in vario opere faciundo neceſſariae ſunt, et quibus pueri, dum mechanicas artes diſcunt, a teneris adſueſcere debent. Illud tamen rarius incidere obſeruamus iis, qui a prima aetate laborum aſſiduitate corpus exercent, quod ex ipſa hac exercitatione corpori nouum robur accendere videtur. Ex petulantia tamen haec vitia oriri, rarum non eſt. Vt enim ſolent pueri ludicra geſticulatione delectari, ſi ex illa, in prima infirmaque aetatula, aliqua conſuetudo gignitur, hacque inualeſcente, corpus in aliquam partem ſedendo, ſtando, eundo, crebrius intorquetur, iis gibbera, aliasque, omoplatarum inprimis, deformitates, ortas fuiſſe, experti nouimus.

§. XXXII. At vero etiam ex hactenus dictis iam facile intelligi poſſe exiſtimamus, adſtrictioribus thoracibus, quibus mulieres puellas, puerosque, his temporibus, talea graciliores, omnibusque ſimulacris emendatiores, reddere laborant, naturalem et decoram membrorum compoſitionem frequentius vitiari, et miſeros gibboſos reddi. Nam, vt, id quod ſupra retulimus, nunc non repetamus, ex his valentioribus compreſſionibus omnia pectoris et abdominis viſcera grauiter affici, ſuccum laudabilem in iis non confici, ſed crudum, vitiatumque, qui talis ad neruos teneriora oſſa, ac ligamenta, muſculosque, perfertur, ſicque totum corpus infirmum, hisque iniuriis magis obnoxium, reddi, iſti ipſi thoraces mechanica ratione oſſa e ſede ſua quandoque diſpellunt. Si enim ex rigidioribus bacillis ſtruuntur, et ligula adductiori arctius contrahuntur, valentius premunt molliora oſſa, horumque epiphyſes, cartilagines, ipſaque ligamenta. His iniuriis expoſitae ſunt inprimis coſtae, et dorſi vertebrae, dum coſtae, quae, et cum vertebrarum corporibus, et cum transuerſis proceſſibus, committuntur, multum ad illas apprimuntur; praeterea ſpinoſi etiam proceſſus, quos poſt partum demum ex poſteriori ſpondylorum parte conſurgere diximus, coërcentur, et reprimuntur. Facile itaque incidere ſolet, vt, dum, grandeſcente corpore,

verte-

vertebrae exterius premuntur, illae verſus interiora, aliamue partem, magis intumeſcant, vel etiam, accedente leui aliquo motu, emoueantur. Epiphyſes etiam, quas adoleſcente aetate vertebrarum, tum corpora, tum proceſſus, habent, facile diduci, et expelli, queunt. Illae quoque cartilagines, quibus, et vertebrarum ſinus, et coſtarum capitula, mollita ſunt, in iunioribus, et maiores, et molliores, ſic comprimuntur, et deformes redduntur. Sternum, quod infantibus ex pluribus oſſibus compoſitum eſt, et, quod in paulo adultioribus ſua parte ſuprema commiſſuram habet, quae propter molliorem, vt videtur, cartilaginem, mobilis eſt, coſtarum preſſu verſus anteriora vrgetur. Enſiformis autem cartilago, cum abdominis muſculis, a durioribus illis cataphractis, quae ea parte rigidiſſimae eſſe ſolent, reprimitur. Coſtae, quae partim oſſeae, partim cartilagineae, ſunt, et, quae ſingulari admodum flexu procedunt, ſub his anguſtiis a naturali ſua conformatione recedunt, et non parum contorquentur. Quia etiam plerumque thoraces, ſi corporis proceritatem iis obtinere cupiunt, ita adaptantur, vt ab ilibus ad alas vsque adſcendant, iis valenter premuntur, et oſſa innominata, et, cum omoplatis, ipſi humeri. Dum vero priora ſic deprimuntur, vis infertur cartilaginibus, vinculisque, quibus inter ſe, et cum ſacro oſſe, connectuntur. Iam vero ſupra dictum eſt, has iuncturas, ſi, laxatis ligamentis, cartilaginibusque, mobiles fiunt, claudicandi neceſſitatem adferre. Dum etiam ilia ſic deprimuntur, in ſuperiora promouentur humeri cum omoplatis et iugulis. Si accedit crebrior in aliquod latus ſub quacunque exercitatione inflexio, facile accidit, vt infantes, thoracibus induti, ex altera parte coxam, vel humerum, habeant elatiorem, ex altera depreſſum. Nam, hoc vnicum ſi incidit, vt ex quacunque cauſa altera omoplatarum ſurſum moueatur, altera vero depreſſior ſit, ſpina etiam inflectitur, et per σκολίωσιν vitiatur.

§. XXXIII. Quae caeteroquin adultis ex adſtrictioribus thoracibus enaſci poſſint incommoda, hic non fuſius perſequi placet.

Ex

Ex ſupra dictis illa facile intelliguntur, cum et in his a tali immoderata pectoris abdominisque vinctura, nobiliſſimorumque viſcerum preſſu, innumeri morbi gigni, maxime in ſequiori ſexu, ſoleant. Catameniorum inprimis fluxus turbatur, quem, fontem grauiſſimarum valetudinum eſſe, nemo ignorat. Experientia compertum eſt, mulieres, quae hoc veſtitu, dum ſanguis per menſtrua non reſpondit, abuſae ſunt, ſanguinem, vel exſpuiſſe, vel euomuiſſe, quas poſtea tabes male habuit, tandemque ſuſtulit. Hoc autem omittendum haud eſt, et in teneris haec vitia longe celerius, certiusque, oriri, ſi thoraces non a perito artifice caeſi, ſtructique, ſunt, corpori non bene aptati, et, ſi iis ſubmiſſae partes haud aequaliter premuntur.

§. XXXIV. At nunc etiam videndum eſt, quantum, tum ad corporis cultum, tum ad medendum, conducere poſſint thoraces, ſi iis recte vtamur. Hoc enim ſemper tenendum eſt, eos, ſi prorſus rigidi ſunt, nec quicquam cedunt, quales ſunt, qui ex ferreis laminis ſtruuntur, ſi corpori, cui ſuperaccommodandi ſunt, non reſpondent, ſi nimium conſtringuntur, vt et, ſi iuſto molliores, laxioresque, ſunt, nocentiſſimos eſſe omnibus. Si vero corporibus bene aptantur, ſine noxa ſunt, ſed, vt iam ſupra retulimus, iis egregium tutamentum praeſtatur infantibus, auertiturque, ne oſſa teneriora tam facile ex ſedibus ſuis moueantur. Nec dubium eſt, gratam proceritatem, caſtigatumque pectus, iisdem obtineri, quare etiam certe animus haud eſt, foeminis hunc corporis cultum eripere, ſi modo eo moderate vtantur. Formoſiſſimae enim, ſi dignus corporis cultus abeſt, ſi ſordidae ſunt, ſcrupedae, neglectae, illuuie foedae, hac cultiori aetate haud magis placere poſſunt elegantioribus hominibus, quam glandes nobis bene ſapere, quibus olim homines veſcebantur. (112) Et quamuis, neglectum cultum antiquis moribus conuenientiorem eſſe, nonnulli putent, ſeculi tamen moribus aliquid dandum eſſe, exiſtima-

PLINIVM *L. VII. Cap. 56. T. I. p. 412.*

112) vide VIRGILIVM *Georgicor. I.* et *in Prooemio L. XVI. T. II. p. 1.*

ſtimamus, (113) praeſertim, cum conſtet, etiam apud foeminas ſub diſcincta veſte ſaepe diſcinctum latere animum, honeſtam vero moderatamque corporis curam, bonae indolis honeſtatiſque, quae maximopere in hac vita expetenda eſt, indicem eſſe. Itaque thoracibus ſe amiciant virgines, muliereſque, modo id ſine valetudinis diſpendio faciant. Nec grauidas his pectoralibus penitus prohibendas eſſe, cenſemus, ſi iisdem adſuetae fuerint, quibus tamen illa ita accommodanda ſunt, vt linguis, non in poſteriori modo parte, ſed et in lateribus contineantur, quo increſcenti ventri commode cedere poſſunt; vt etiam balneariae virgae, ex quibus conſtruuntur, tenues ſint, ac molles, neceſſe eſt. His enim thoracibus ita aptatis, ſuſtinentur inferioris corporis lacinoſa velamenta, illaeque cyclades, quas nunc ad immenſum et enormem ambitum luxus mulierum exquiſitioris cultus ſtudioſarum perduxit, quibus alioquin grauidarum venter non parum premitur. Sic itaque, et ad cultum ornatumque, et ad partus tutamen, inſeruire poſſunt thoraces; quorum tamen in emendandis iſtis corporis deformitatibus, curandisque gibberibus, maxima vtilitas eſt, id quod adhuc conſiderari oportet.

§. XXXV. Illud autem omnes, qui his vitiis mederi volunt, ſcire decet, illa, quorum inter initia non difficillima curatio eſt, in

113) OVIDIVS ſui temporis puellas excuſat, quod circa corporis cultum diligentiores eſſent veteribus *Art. Amat. L. III. v. 107.*

Corpora ſi veteres non ſic coluere puellae;
Nec veteres cultos ſic habuere viros.
Si fuit Andromache tunicas induta valentes;
Quid mirum? duri militis vxor erat.

et *v. 121.*

Priſca iuuent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor. Haec aetas moribus apta meis.
Non quia nunc terrae lentum ſubducitur aurum;
Lectaque diuerſo litore concha venit.
Nec quia decreſcunt effoſſo marmore montes;
Nec quia caeruleae mole fugantur aquae.
Sed quia cultus adeſt; nec noſtros manſit in annos
Ruſticitas, priſcis illa ſuperſtes auis.

Veteres etiam magnam curam adhibuiſſe, vt decenter componerent veſtem, vel ex ATHAENEO *L. II. Cap. XVIII. p. 21.* et QVINCTILIANO *Inſtitut. Orat. L. XI. Cap. III. p. 1030. Edit.* BVRMANNI intelligimus. Confer FERRARIVM *c. l.*

in iam adultis factis, et, si iam inueterauerunt, ac tempore corroborata sunt, haud curari. In angusto etiam spes est, si in iunioribus hae ossium prauitates, ab intus latentibus causis profectae, in corpore sunt extenuato, et contabescente, et si causas tollere, et primo morbo mederi, difficile est. Compertum tamen est, has deformitates in rhachiticis pueris non parum emendari, dum, decrescente per aetatem morbo, succus laudabilis, et satis virium, corporibus redit, haecque laetius increscunt; quo ipso incremento, si paulo accuratior obseruatio, et idonea auxilia, adhibentur, hae distortiones multum corriguntur. Hoc ignorari non oportet, in his curationibus summa moderatione vtendum esse, cum nihil magis pernicioſum sit, quam violentia, et festinatio. Nam in his morbis, si quis mutare aliquid volet, paulatim, et ita, ei agendum est, vt, dum corpus increscit, ossa membraque distorta pedetentim ad naturalem suam compositionem reuocentur. Vel enim maxime in his curationibus ad illud CELSI aduertendus est animus: *Non statim condemnetur, si quid non statim profuit: Minus vero remoueatur, si quid paulum saltem iuuat, quia profectus tempore expletur.* (114) Si itaque puero spina in aliquam partem inclinari coepit, et omoplatae non suo loco sunt, ad mali originem animum medentis intendi oportet. Si enim corpus aliis morbis obnoxium est, ac valde imbecillum, si puerum tussis vexat, et suspicio est, spondylos ab intus delitescentibus tuberculis emotos esse, parum plerumque auxilia proficiunt. Summa etiam tunc moderatione vtendum est medentibus. Si enim contra morbum, tum intus sumtis, tum exterius admotis, medicamentis multum pugnatur, nocentiores fiunt, qui coiuerant, humores, vires conuelluntur, et pueri citius in exitium praecipitantur. Rhachiticis vero conuenit, cibum dari ex optima materia, non valde succidum, sed multis aromatis conspersum, potum vero meraceum, qualis est cereuisia minime aquosa, corpus crebrius exerceri, medicamenta autem adhiberi, quae, neque nullarum virium,

114) *L. III. Cap. I.*

neque ingentium, ſunt, quibus vitiati, craſſi lentique humores tenuantur, et glandularum infarctus paulatim ſoluuntur. Exterius naſcenti gibberi ſuccurritur in his, et frictione, et bene aptato thorace. Crebrius perfricandae ſunt, et ſpina, et huius, et reliquorum oſſium commiſſurae, et ipſi muſculi, nec iis exceptis, qui in abdomine ſunt. Crura etiam aliasque ſedes perfricari, ſalubre eſt, non propter ſpinae, ſed reliquorum oſſium, prauitates. Fieri vero id oportet, laneo, et aſperiori paululum, panno, quo ſuffitus ex thure, maſtiche, benzoe, ſuccino, excipiuntur, additis odoriferis herbis, et iuniperi baccis, quae ſolae pauperibus ſufficiunt. Si vero abdominis, aliique, muſculi extenuati, rigidique, videntur, tunc confert, ſuffitiones adhiberi, oſſibus, horumque ligamentis, carnes vero manibus, quae neruinis vnguentis delibutae ſint, ſedulo permulceri, et pannis iterum fricari. Omnia enim, quae valde molliunt, balnea inter caetera, hic aliena ſunt. Thoraces vero ita aptandi ſunt, vt oſſa, oſſiumque ligamina, et iam areſcentes muſculi, parum iis premantur, ſed oſſa modo ſuſtineantur, et erecta ſeruentur. Nam his, ſi vita prorogatur, humores corriguntur, laudabilisque ſuccus corpori ſuggeritur, etiam tempus ſolet eſſe praeſidio. Si vero a cauſis, quae exterius acciderunt, pueri gibboſi fiunt, etiam diligentior obſeruatio adhibenda, num hoc a violento motu, num vero a mala conſuetudine, originem duxerit. Prius enim ſi incidit, nullum maius remedium inueniri poteſt, quam, ſi corpus apte caeſo thorace, vt mox dicemus, comprehenditur. Praeterea in tali caſu potior ratio habenda eſt ligamentorum, quae plerumque alia parte laxiora ſunt, alia adſtrictiora, et ideo diſſimilia etiam auxilia poſtulant. Vbi illa infirmata ſunt, praeter dictas ſuffitiones, frictionesque, etiam medicamenta conueniunt ex ſtillatitiis fragrantioribus liquoribus, ſeu ſpiritibus, qui chemica arte ex herbis odoriferis, ſerpillo, thymo, rore marino, lumbricis quoque, et formicis, eliciuntur, quorum etiam multae compoſitiones proſtant. Euitanda vero ſunt mollientia, quae ex altera parte, ligamentis rigidis factis, et

addu-

adductioribus, adhiberi oportet. Oleis itaque emollientibus admiſceantur pauca ſtillatitia, vel ex ſimilibus fiant vnguenta, quibus adſtrictiora, macilentaque, ligamenta ſuperinungantur. Inter res vero infectiſſimas eſt, ſi haec ligamenta et muſculi, qui iam ex aliis cauſis inaruerunt, vel thoracibus, vel alia ratione, premuntur, qua ipſa preſſione, dum vitalium humorum tranſitus praepeditus eſt, illa magis et magis emaciari, durarique, conſtat. Aliquando confert, balneo vti, in quod herbae, ſacco lineo exceptae, et cum aqua coctae, demitti queunt, qui ſaccus poſtmodum in balneo ſedenti ad eam partem admouetur, qua oſſa exceſſerunt. Illud modo videndum, ne, dum breuioribus ligamentis ſubuenire animus eſt, aliorum imbecillitas increbreſcat, quibus multus fotus, humorque, infeſtus eſt. Nam, vbi huius rei metus exiſtit, balneum rarum eſſe debet.

§. XXXVI Parum tamen haec omnia proficiunt, niſi et certa ratione corpus collocetur, moueaturque, cui rei, et in his, et inprimis in illis, caſibus attendendum eſt, vbi ex praua conſuetudine, perennique corporis flexu, oſſium compages obliquata fuit. Itaque contrario motui adſueſcant pueri, et crebrius in oppoſitam partem inflectant corpus, qua re, niſi prorſus inueterauit morbus, ſpinae potiſſimum σκολίωσις corrigitur. Illud maxime neceſſarium eſt in dirigendis omoplatis, quibus, ſi altera prominet, altera depreſſa eſt, vt iam ſupra retulimus, etiam ſpinae vis infertur: cui nec ſuccurri poteſt, niſi ſcapularum ſitus emendetur. Hoc vero optime fit contrario flexu, motuque, quo tandem ea, quae obliqua erant, recta fiant. Infantes contrario brachio inſidentes ferant gerulae; mutentur illorum ſedeculae; puellae, quae ad tendiculas ſedent, laeua manu acum traiiciant. Puer ſedulo ab illa vitiata motione dehortandi, et, vt in contrarium ſenſum corpus inflectant, monendi. Iniungendae illis ſunt adcommodatae exercitationes; vbi ſcapula depreſſior eſt, manu gerant baculum, paulo altiorem, quo fulti procedant, altera, qua illa eminet, pondus ferant. Si omoplatae in poſteriora exporrectae ſunt,

et pueri πτερυγώδεις facti, neceſſe eſt, ſcapulas retrahi, id quod, vel ſponte faciunt moniti, vel coacti, dum ipſis ferramentum adaptatur, crucis in modum formatum, quod dum pectori humeriſque adſtringitur, et, dum eo collum comprehenditur, retrorſum mouentur omoplatae, et erectum tenetur caput. Quilibet vero intelligit, ſedula in omnibus obſeruatione opus eſſe, quam et parentes, et magiſtri, et choragi inprimis, (nam et horum exercitatio vtiliſſima eſt) et omnes, qui cum pueris ſunt, adhibeant. Nec tamen in his modum egredi fas eſt, ſed ſemper oportet caueri, ne, dum vnum vitium tollitur, alterius occaſio fiat.

§. XXXVII. His omnibus vero thoraces multum opitulari, res eſt extra dubium poſita. Hoc enim amictu erectum ſeruatur corpus, auertitur periculum, quod oſſibus tenerioribus, et cartilagineis illorum commiſſuris, ex iis, quae exterius accidere poſſunt, imminet, et, dum corpus incrementa ſumit, naturaliter oſſium prauitates, vbi nihil noui accedit, imminuuntur. Non parum confert, ſi ſpina, qua parte emota eſt, aliquantum, aſt moderatius, premitur, id quod fit, ſi thoracibus inſuuntur, rectequeaptantur, puluilli, ex coactili, ſeu illa materia, qua ex pilis laniſque denſius coactis, paratur, Germ. Filtz. Siue talis ſine alia materia ſit, ex quibus hae analectides (115) figurantur, illa media eſſe debet inter duram mollemque. Nam et hic nocet valentior preſſio, qua non in ſedem ſuam coguntur emota diſtortaque oſſa, ſed infirmantur, emacianturque, ligamenta. (116) Vt vero thoraces

115) *Analectides vel analectrides dicebantur, vtibus ex xylino, lino vel quauis materia tanquam puluillis conſtipant ſcapulas prominentes puellae, vt videri habitiores poſſint.* Sunt verba LVDOVICI CAELII RHODIGINI *Lect. Antiqu. L. VII. Cap. 52. p. 263. Edit. Baſil. 1517.* Notum eſt illud OVIDII *de Arte amandi L. III. v. 273.*

Conueniunt tenues ſcapulis analectrides altis.

conſer BVRMANNI *Comment.*

116) Omiſſis thoracibus, ſolis faſciis accurate iniectis, admotisque puluillis, in iunioribus delicatioribus haec oſſium vitia emendari poſſe, compertum, per aliorum tamen experientiam, habemus. Faſcia vtuntur illa, cuius ſupra mentio facta fuit, quam Quadrigam, vel Cataphractam, appellant.

races apte caedendi ſtruendique, ita et recte aptandi ſunt illi puluilli, ne, ſi contrariam partem premant, tumor magis exurgat. Crebrius etiam, et ipſos thoraces, et illos puluillos, mutari oportet, quod, et corporis incrementum, et oſſa, ſi a priori flexu iterum receſſerunt, exigunt. His auxiliis, quae omnino accuratiſſimam obſeruationem, diuturnamque patientiam, deſiderant, curantur pueri gibberoſi, et proceri fiant. Inficiari tamen nolumus, aliquas quandoque manere deformitatis reliquias, id quod incidit, ſi, vel multum exceſſerunt oſſa, vel cauſa tolli non potuit, vel, morbos ab initio derelictus, et per incuriam neglectus, fuit.

§. XXXVIII. Vt vanum vero et noxium, imo vt perniciosiſſimum, repudiamus illum morem, quo non raro multiloquae et veneficae anus, rudes agreſtesque opiliones, lucripetae ſeplaſiarii, ignorantiſſimi barbitonſores, et, id quod turpe dictu, crudeliſſimi carnifices, in curandis his corporis vitiis vtuntur. Illi enim miſeros pueros thoracibus duris, rigidis, ferreiſque, includunt, quo ea, quae e ſede ſua ceſſerunt, valentius premantur. In ea enim opinione verſatur illud veſanum ſtupidumque hominum genus, valida compreſſione repelli iſta debere, et quaſi deleri. Arctius, et immanem in modum, his machinis etiam reliquum pectus et ipſum abdomen coercent, vt vel ideo pueri gibboſi fiant, et malum ex nouis his occaſionibus non parum incrementi ſumat. Praeterea pinguibus, rancidisque, vnguentis totum corpus, nullo habito diſcrimine, quotidie circumliniunt, et ſaluberrimam illam, quae per inſenſibilem exſpirationem fit, excretionem cohibent: quibus ſaepe illud conſequuntur, vt integerrima corpora tandem in alios morbos, funeſtam tabem inferentes, praecipitent. Nota ſunt exempla infantum, qui, ab his tortoribus per plures menſes excarnificati, tandemque confecti, miſere fuerunt extincti. Nouimus alios, quibus his machinis abdomen immodice preſſum eſt, vt inteſtina cum epiploo in ſcrotum deuoluta fuerint. Alios, quibus, cum neutiquam rhachitide laborarent, ſuperatis etiam iis annis,

nis, quibus huic morbo obnoxii ſolent eſſe infantes, digitorum oſſa intumuerunt, quod ii non ſolum adſtrictioribus thoracibus comprehenderentur, ſed etiam corpus crebrius multo oleo pinguique materia perungeretur. Inſenſibilis enim exſpiratio in potiori et nobiliſſima corporis ſede cohibita erat, et ſerum, quod per cutis poros excerni debebat, ad teneriora oſſa redundauit. Omiſſis etiam ex medici conſilio iſtis offenſionibus, tumor, qui paidarthrocacen minitari videbatur, haud adoleuit. Non deſunt aliorum exempla, quos, ab his ferreis thoracibus laniatos, vlcera maligna infeſtarunt, quae difficilius ad ſanitatem perduci potuerunt. Nos potius, huic commentationi finem imponentes, precamur, ſummum ſanitatis omniſque felicitatis autorem, Deum, velit tandem hominibus iſtam falſam perniciosamque opinionem excutere, eiusmodi corporis vitia, ab agyrtis et proteruioribus nebulonibus melius curari, quam a cordatis, rerumque ſuarum intelligentibus, medicis, atque chirurgis.

DISSERTATIO V.

DE OSSIVM EPIPHYSIBVS

PVBLICE PROPOSITA

D. XXVI. NOVEMBR. CIↃ IↃ CCXXXVI.

RESPONDENTE

IOHANNE MICHAELE SCHWARTZ.

---

§. I.

Anatome, vtiliſſima diſciplina, qua ſola, rectum iter ad medendi peritiam oſtenditur, nullo tempore tanto ſtudio, tantaque contentione, agitata fuit, quam hoc, quo viuimus. Videmus enim plures, publica autoritate conſtitutas, ſcholas, in quibus tirones, vtrique medicinae ſtudentes, ad conſequendam corporis notitiam, ſecandique artem, informantur. Gaudemus praeſtantiſſimorum librorum abundantia, in quibus autores, qui in cadaueribus incidendis per plures annos multum operae poſuerunt, de ſingulis enucleate ac dilucide commentati ſunt, Diuulgatos habemus varios, corpora in diuerſos vſus incidendi, praeparandi, adſeruandi, modos, (1) veteribus incognitos, quibus omnibus illud efficitur, vt nunc Anatome ad ſumma tendere videatur. In tanta vero eius luce, tantaque rerum, ab autoribus prolatarum, ſubtilitate, minus exercitato difficile eſt, aliquid conſcribere, quod, et aliqua nouitate placere poſſit, et intelligentium iudicio probari. Quia tamen hic labor iam mihi iniunctus eſt, et, vel propter illam difficultatem, et maiorem ab exercitatiſſimis viris adhibitam diligentiam, accurationemque, mihi faciliorem veniam

1) vid. quae de arte vaſa replendi prodidit doctiſſimus vir ALEXANDER MONROO *in Tentam. Med. Edinburgenſibus Vol. I. Art. 9. pag. 94.* et de modo, quo corpora incorrupta ſeruantur, et ab iis putredo auertitur *in Vol. III. Art. 10. p. 107.*

veniam futuram ſpero, ſi iam, non tam illud, quod exigitur, praeſtandi fiducia, quam negandi verecundia, victus, rem exponere annitar, quae inter eas, quae ad Anatomen referri ſolent, minima eſſe videtur. De oſſium enim epiphyſibus, ſeu appendicibus, quae in iunioribus ſunt, ſcripturus, primo ea generali commentatione comprehendere animus eſt, quae omnibus competunt, poſt ad ſingularum appendicum enumerationem procedere, et ſub finem etiam morbos commemorare, quibus illae obnoxiae ſunt, et alios addere, quos illae, ſi vitiatae ſunt, parere poſſunt, addita etiam in caſibus, in quibus ars aliquid proficere poteſt, recta medendi ratione. Circa omnia autem ita verſabor, vt, collatis optimis autoribus, qui de oſſibus ſcripſerunt, ea, quae ab iis tradita ſunt, per oculorum vſum, et diligentius iuniorum oſſa, quae ad manus ſunt, contemplatus, vel confirmem, vel, ſi opus eſt, emendem, non tam noua prolaturus, quam de antiquis iudicium laturus.

§. II. Ἐπιφύσεις τῶν ὀστῶν, ſeu Latino ſermone oſſium appendices, dicuntur minora oſſa, quae in tenellis infantum corporibus cartilaginoſa, in pueris oſſeam duritiem nacta, aliis maioribus oſſibus ita iuncta ſunt, vt media ſit cartilago, quae vero, procedente aetate, ſenſim ac ſenſim recedit, ita, vt tandem haec appendix, cum reliquo, cui adhaeſerat, oſſe, in vnum coeat, et, ex epiphyſi, fiat apophyſis, ſeu proceſſus. Haec vulgaris ſignificatio apud omnes eſt, qui de oſſibus ſcripſerunt, praemonendus tamen nunc lector videtur, me etiam quaedam de iis commiſſuris dicturum, quibus alia iuniorum oſſa, in plures partes diuiſa, continentur, et quae in adultis aeque euaneſcunt. In pueris enim, non minora tantum officula maioribus, media, vel cartilagine, vel membrana, iungi, ſed oſſium etiam paries, quae eiusdem, vel fere ſimilis, magnitudinis ſunt, ſibi adunari, nulli ignotum eſt, qui in foetu os coronale, ſphenoideum, oſſa temporum, inferiorem mandibulam, ſpinae vertebras, coxarum oſſa, ſacrum et pectoris os, vnquam contemplatus eſt.

§. III.

§. III. Cum uero neminem, qui ſermonem diſtinctum curae habet, deceat, verborum proprietates et differentias negligere, et de his quaedam praemittenda ſunt, quae ad minimum iis, qui veteres autores verſare cupiunt, non inutilia fore confido. Ἐπίφυσις dicitur ἀπὸ τῦ ἐπιφύεσθαι, quo ipſo ſignificantiſſimo vocabulo exprimitur, has oſſium partes aliis eſſe ſupernatas. Hoc de primo illo appendicum genere, vbi minus os maiori adhaeret, quod in maioribus, teretibus, intusque cauis, oſſibus vtplurimum reperitur, exploratum eſt. Nam, in his appendices illas longe ſerius, quam ipſum os, indurari, certum eſt. Haec vox vero etiam, aliis rebus accommodata, omne illud notare videtur, quod aliis corporibus accreuit, vel inhaeret. Si THEOPHRASTVS ERESIVS (2) de arboribus pronunciat, eas ἐπίφυσιν λαμβάνειν ἔντε τοῖς ἄνω, καὶ ἔν τοῖς περὶ τὰς ῥίζας. Et ATHENAEVS (3) tribuit piſcium generi, ſquamas non habenti, (βαρτὰ vocat) ἐπίφυσιν τραχείαν τῦ δέρματος. Ab HIPPOCRATE (4) in accuratiſſima morbi peſtilentis hiſtoria, inter alia dira ſymptomata et haec referuntur: ὀφθαλμίαι ὑγραὶ μακροχρόνιαι μετὰ πόνων, ἐπιφύσιες βλεφάρων ἔξωθεν, ἔσωθεν, πολλῶν φθείροντες τὰς ὄψιας, ἃς Σῦκα ἐπονομάζεσι. *Lippitudines humentes diuturnae cum dolore; et quaedam, quae exterius et interius accreuerunt, quae multorum aciem perdiderunt, quae Ficus nominarunt.* (5) Ab anatomicis vero poſtmodum haec ſignificatio

2) *in Hiſtoria Plantarum Lib. I. Cap. I.*

3) *Deipnoſoph. L. VIII. Cap. XIV. pag. 357.*

4) *Epidem. L. III. Sect. II.*

5) Το σῦκον ſeu τὰ σῦκα, τὸ σύκωμα, ἡ σύκωσις denotat quidem quamuis vlcerum excreſcentiam in omnibus ſedibus corporis, quam CELSVS *L. VI. Cap. III.* et PAVLVS *L. III. Cap. III.* deſcribunt. De his tumoribus in locis obſcoenis, et de differentia generis, quae eſt inter vocem, ſi fructum, et ſi tumorem, deſignat, notum eſt Epigramma MARTIALIS *L. I. Epigr. 66.* et aliud de ficoſa familia *L. VII. Epigr. 70.* Antiquiſſimis tamen autoribus accipiuntur his nominibus illa vitia, quae in palpebris, vlcere tentatis, incidunt, ſi iis putres carnes, vel alia fungoſa tubercula, innaſcuntur. Haec enim ſignificatio ab HIPPOCRATIS autoritate profecta eſſe videtur. Quia hic morbus pertinax eſt, et minus medicinae paret, in prouerbium ceſſit, quo vſus eſt ARISTOPHANES. Bacchus enim Euripidem perſtringit, et dicit, aliquam vocem

eius

tio ad corporis noſtri partes translata fuit. CAROLVS enim STEPHANVS (6) in τῷ ἐγκεφάλῳ ſectione epiphyſin, et orbicularem, et vermiculatam, deſcribit.

§. IIII. Nec vero haec ſola iſtarum appendicum apud Graecos appellatio fuit, qui eas etiam alio nomine περόνας dixerunt; quo verbo inprimis HIPPOCRATEM vſum eſſe conſtat. Ἡ περόνη propria ſignificatione denotat fibulam, qua veſtes ſubnectere ſoliti ſunt veteres: de qua copioſe diſſerit IOH. RHODIVS. (7) Translata haec vox fuit propter aliquam ſimilitudinem ad illud minus tenuisque cruris os, ab exteriori parte tibiae poſitum, quod HIPPOCRATES, (8) et poſt eum fere omnes anatomici, περόνην, ſeu fibulam, CELSVS (9) ſuram, nominauerunt. Inuſitatius vero eſt, hoc vocabulum etiam aptari illi alteri oſſi, quod in brachio eſt, et quod CELSVS (10) et GALENVS (11) κερκίδα, ſeu radium, appellauerunt. Hoc tamen per abuſionem ab HIPPOCRATE (12) factum fuiſſe videtur, quod in illis artis primordiis ſingulis rebus nondum ſingula verba eſſent, ſed eadem voce plura declarari oporteret. Crebrius autem HIPPOCRATI αἱ περόναι ſunt noſtrae oſſium appendices, ſeu epiphyſes, (13) quem tamen et hoc vltimo vocabulo vſum

eius dialogis inhaerere, vt τὰ σῦκα ἐπὶ τοῖσι ὀφθαλμοῖς ἔφυ: quem locum adduxerunt Lexicographi SVIDAS *T. II. p. 439. et T. III. p. 392. Ed.* KVSTERI, IVL. POLLVX *L. II. Segm. 65. p. 185* qui per vlcera interpretatus eſt. Conf. SCHOLIASTEN ARISTOPHANIS et ERASMI *Adagia Chil. II. Cent. VIII. n. 65. p. 578.* GALENVS hoc palpebrarum vitium deſcribit *in verborum* HIPPOCRATIS *expoſitione* Σῦκα ἐπαναστάσεις σαρκώδης ἐν τοῖς τῶν βλεφάρων τόποις γενόμενον Ficus excreſcentiae carnoſae in ſedibus palpebrarum enatae. vid. H. STEPHANI *Diction. med. p. 96.*

6) *de Diſſectione partium C. H. L. II. Cap. XLVIII. p. 244.*

7) *de Acia Cap. III. ſeq.*

8) *Libro de Oſſium natura*, Edit. FOESII *Sect. III. p. 56.* conf. de his ſignificationibus FOESII *Oeconom.* HIPPOCR. et EROTIANI *Dictionarium verborum* HIPPOCR. vt et GALENI *Exegeſin vocabulorum* HIPPOCR.

9) *L. VIII. Cap. I.*

10) *l. c.*

11) *de Oſſibus Cap. XXII.*

12) *de Locis in homine Sect. IV. p. 81.* HIPPOCRATES vero etiam fibulam κερκίδα appellaſſe videtur *de oſſium natura p. 62.* Eandem ſignificationem notauit IVLIVS POLLVX *in Onomaſt. L. II. Segm. 142. p. 223.* Nullam vero eius mentionem fecerunt GORRAEVS et FOESIVS.

13) *c. l. de Locis in homine.*

vſum eſſe deprehendimus.(14) Nullum autem diſcrimen poſuiſſe videtur inter τὴν ἀπόφυσιν, ſeu proceſſum, qui oſſis continuitate porrigitur, et τὴν ἐπίφυσιν, quae media cartilagine oſſi inhaereſcit, id quod ſignificantius factum eſt a GALENO. Illae etiam ſignificationes, quae αἱ περόναι, et oſſium appendices, et brachii radios, olim denotauerunt, ab vſu iam prorſus remotae ſunt.

§. V. Iam vero, miſſis verborum ambiguitatibus, ipſas molles oſſium commiſſuras, earumque naturam, ortum cauſasque, paulo curioſius inueſtigari oportet: Dum vero illud molior, neceſſe erit, me ad ea demittere, quae in altiſſimis naturae receſſibus, in vtero materno, incidunt, dum concepta proles, arte naturae, noſtra cogitatione longe profundiori fingitur, et formatur. Nolo vero hic philoſophos de negotio deiicere, et de primis animalis originibus ſubtiliter acriterque pugnare, quippe quae diuini opificis ineffabili prudentia tenebris circumfuſa exiſtunt, et ab eo, vt videtur, ſapientiſſimo conſilio occultata. Siue enim exiſtimare velis, folliculos illos, qui in mulieribus reperiuntur, vim ſeminis habere; ſiue magis placeat illa aliorum ſententia, in marium ſucco genitali exiſtere animantium principia; ſiue tibi fingas, illud, quod ſemen eſt, nihil aliud eſſe, quam paruum tenerumque futuri animalis corpus, ex iisdem partibus, eodem modo diſpoſitis, perfectisque, ac in adulto eſſe ſolet, compoſitum, ita, vt in adulti animalis corpore nihil prorſus ſit, quod non prius fuerit in ſemine, vtque hoc ſaltem per venereos initus grauidatum increſcat, et in maiorem tandem magnitudinem veniat; ſiue etiam malis cenſere, ſemen non eſſe animal, nec partes ita in eo, vt in hoc, eſſe diſpoſitas, ſed dari ſaltem in eo, ſi foecundatur, motus, qui abire poſſunt et euadere in eos motus, easque partes, ex quibus animal poſtmodum conſtat; ſiue itaque hanc, ſiue aliam, ſententiam tueri velis, illud concedendum erit, futuri animalis primordia incomprehenſibilis exiguitatis eſſe, Sunt illa etiam tam fluxa, tamque tenera, molliaque, vt in iis nihil ſenſibus

14) *de Fractis Sect. VI. p. 87.*

noſtris occurrat, quod ad eam duritiem, ſoliditatemque, adpropinquat, quae in paulo adultiorum animalium membris deprehenditur. Nemo ad minimum probare audebit, primis poſt congreſſum diebus in humanis embryonibus aliquid repertum eſſe, quod oſſis, vel cartilaginis, aliquam ſpeciem habeat. Id quod itaque ex aliorum etiam naturalium corporum ortu incrementoque diſcitur, de iis, quae in animalibus ſolida ſunt, ſeu quorum partes ita cohaerent, vt non tam facile ſolui, ac inter ſe diduci, queant, exiſtimandum eſt, ea ab initio fuiſſe fluida. Solida vero dicuntur, quae ex partibus ad motum minus idoneis ita coagmentata ſunt, vt illarum ſuperficies ſe ſe plurimis in locis, ſeu punctis, contingant, ex qua re firmior cohaeſio enaſcitur. Rerum vero fluidarum elementis, vel figura ſphaerica eſt, vt hydrargyro, vel alia, quae proxime ad hanc accedit. Solida autem, et aliter figurata, atque ideo natura ſua ad quietem et cohaeſionem aptiora, fiunt fluida, ſi iis interponuntur heterogenea, et propter ſphaericam figuram mobilia. Fluida vero in ſolida mutari videntur, ſi quacunque, vel a natura, vel ab hominum ſolertia profecta arte, partes ita adaptantur, vt pluribus in punctis ſe ſe contingant, et ideo fortius ſibi adhaereſcant, qua ipſa re efficitur, vt corpora omni vi, quae ea, vel premendo, vel diuidendo, ſoluere conatur, reniti melius poſſint. Varia vero ratione corpora denſari, porosque, ſeu illa ſpatia, quae inter ſolidiores particulas ſubtiliori materia replentur, obliterari, compertum eſt. Hoc enim ſola compreſſione fieri, variis experimentis diſcitur. Nam metalla, ipſumque aurum, crebrioribus mallei ictibus indurari, artifices norunt. Si tenerior mobiliorque materia, quae ſolidis et facile quieſcentibus particulis interiecta eſt, igne, vel alia ratione, expellitur, illae ſibi appropinquantur, et ſolideſcunt, quare omnia glutinoſa, ſeu quae ex terra et aqua compoſita ſunt, calore denſantur, duraque fiunt, dum aqua difflatur. Tacemus, ſphaericas, et ad perniciſſimum motum idoneas, particulas, ſi alia grauis ac ſolida materia illis adiicitur, celerrima ſua mobilitate priuari, id quod aquae

inci-

incidit, ſi eam terra bibit, vel hydrargyro, ſi cum auro, vel plumbo, in vnum coit. Neceſſe tamen eſt, vt inter talia fluida, ſolidaque, quemadmodum inter omnia ſoluentia, ſoluendaque, ſit quaedam conuenientia. Haec tamen, vt et alias cauſas, quibus fluida ſolida fieri exiſtimandum eſt, quia ad noſtrum inſtitutum non attinent, omittimus. Singulari ſtudio hanc rem perſecuti ſunt, inter alios, PRAVSERVS (15) et PERRAVLTIVS. (19)

§. VI. Si vero nunc ea expendimus, quae, et in ouis incubatis, et in minimae aetatis abortibus, fuerunt obſeruata, de oſſium ſuccedaneo incremento, et aucta magis et magis duritie, certius iudicium ferre poteſt. Oui enim foecundi illa particula, quam cicatriculam vocant harum rerum ſcriptores, et quae nihil aliud eſt, quam folliculus, in quo illud, quod in animal euadere debet, in ſubtiliſſimo humore fluctuat, ab initio ſpeciem aliquam exhibet corpuſculi oblongi, ex altera parte ampliati, et globoſi. Dum hoc continuato gallinae fotu incrementa capit, deprehenditur hoc ipſum, quod ita fuerat conſpicuum, abiiſſe in τὸ ἐγκέφαλον, medullamque ſpinalem, quas partes primum et ante reliquas omnes formari, figurarique, ex his obſeruatis diſcitur. Cordis enim rudimentum non, niſi poſt viginti quatuor horas, in conſpectum prodit, nec etiam illo tempore vaſa, cordi continua, demonſtrari potuerunt. (17) His ſi addimus, ipſa vaſa, ex membranis, membranas ex fibris, coaluiſſe, omnes vero fibras ſenſu pollere, quem omnem ſoli nerui praeſtant, propius a vero eſſe videtur, omnium partium ſolidarum corporis animalis prima elementa fuiſſe neruos, quos, ex cerebri medulla ortos, ad totum corpus pertinere, nemo ignorat. Nerui enim, dum ex dicta medulla educuntur, in fibras elongantur, fibrae ſibi adunatae ſunt membranae, ex quibus tandem vaſa, aliaeque partes ſolidae, exſurgunt. His tamen cerebri

15) in Diſſert. *de Induratione corporum in ſpecie oſſium Lipſ. 1705.*

16) *Oeuvres de Phyſique* T. I. p. 3 ſq. *de la Peſenteur des Corps de leur Reſſort et de leur Dureté.*

17) vid. MALPIGHIVS *in Appendice de Ouo incubato* p. 4. *Edit. Londinenſ.*

rebri propaginibus, dum in varia, ad vitam neceſſaria, organa figurantur, mox etiam intertexta cernimus vaſa, a corde tracta, quae, dum inter membranas diſcurrunt, his alimentum ſubminiſtrant. Exiſtimandum tamen eſt, principes ipſius cordis et vaſorum fibras neruos eſſe, id quod vel ipſe ſenſus, quo pollent, probare videtur.

§. VII. Vt vero ad oſſa redeamus, crebriori animaduerſione, inprimis a THEODORO KERCKRINGIO ([18]) et FRIDERICO RVYSCHIO ([19]) facta perſpectum eſt, primis duobus menſibus in embryonibus humanis vix quidquam vſquam reperiri oſſeum, ſed omne illud, quod tandem mollioribus incrementis ad iſtam duritiem exſurgit, eſſe membranam, cartilaginemque. Membrana vero cartilagine prior eſt, in quam illa mutatur, id quod, vel ex hactenus dictis, clarum eſſe opinor. Cartilago autem corpus eſt, ſi oſſa excipias, in corpore animali duriſſimum, et, ſi premitur, renitens, ſeu elaſticum, glabrum, ac laeuigatum. Ideo etiam oſſium mobiles commiſſurae, ſeu articuli, cartilagine molliuntur, qua re facilior praeſtatur motus. Si vero nunc ea, quae de corporum omnium eduratione relata ſunt, his accommodamus, veriſimile eſt, ex membranis cartilagines, ex his oſſa, fieri, dum fluidum diſpellitur, quo, in minimis vaſculis abundante, membranae flexiles, mollesque, redduntur. Ligna, ſeu quaeuis vegetabilium partes, hoc confirmant, quae etiam ex fluidis in ſolida, ex mollibus in dura, euadere, ex fluidis etiam ali, ac increſcere, omnibus compertum eſt. Si enim arbuſta ſucco ſuo, qui intus incluſus eſt, abundant, illa flecti poſſunt, et in quamuis partem incuruari; quamprimum vero iis inareſcentibus ille humor diffla-tus eſt, vix vllam flexuram recipiunt, ſed rigida ſunt, deflexuque franguntur. Atqui vero membranas ex neruis componi, intertextisque omnis generis vaſis, per quae ſanguis, omnisque alius, ſenſibus non aeque cognitus, ſuccus perlabitur, iam ſupra relatum

18) *in Oſteogenia foetuum.*

19) variis in locis potiſſimum *Theſauro Anat. VI.* adde *Tab. III. Aduerſ. Anat. II. fig. 5.*

tum eſt. Si autem cordis motus, quo humor per arterias in totum corpus diſtribuitur, adoleſcente foetu validior fit, maior etiam vis confecti ſucci ad vaſa permanat, qua re vaſa illa, et ampliari, et in longitudinem porrigi, extra dubium eſſe videtur. Quemadmodum vero ab hac re ſuccedaneum incrementum proficiſcitur, ita, dum rara laxaque vaſcula, caeteris minimis maiora, a perlabente fluido diſtenduntur, exiliores fiſtulae, quae ad horum latus ſunt, premuntur, et, quia in his, ita preſſis, ſucco per ea fluere ſolito, via praecluſa, omnisque tranſitus ſublatus, eſt, illud, quod cauatum fuerat, ſolideſcit, et fibra fit ſolida. Haec vero tandem, dum illi aliae, ſimili modo compreſſae, fiſtulae adunantur, firmitatem rigoremque adipiſci, et quaſi corneola fieri, poteſt. Inſitus etiam ille et natiuus calor, quem maiori ſanguinis attritu augeri conſtat, quia eo fluidiora rareſcunt et diſſipantur, aliquid conferre omnino videtur.

§. VIII. Cum vero ex his quodammodo intelligere queamus, qui fiat, vt fluida euadant ſolida, dubium manet, cur oſſa, prae omnibus aliis partibus, illam eminentiorem duritiem induant, id quod vix adeo lucide oſtendi poterit. Forte aliquid confert illa valida renitensque membrana, qua oſſa, tum teneriora et cerea, tum rigida facta, comprehenduntur, quam perioſtium vocant anatomici. Hac enim, quamuis eius etiam alia luculentiorque vtilitas ſit, oſſa coërceri, et quaſi cancellis ſuis contineri, plura ſunt, quae nobis perſuadent. Iam illud nunc adducere ſatis erit, laxato externo perioſtio, id quod per illatos ictus, aliasque violentas cauſas, incidere ſolet, ipſum os in tumorem leuari, et exoſtoſin fieri, quae, quod nullum aliud vitium habet, benigna dicitur chirurgis. Molliores enim partes, ſi ab intus veniente humore diſtenduntur, externo tali inuolucro tectas, circumſeptasque, valentius premi, citiusque durari, admodum probabile eſt. Nec a vero alienum eſt, muſculos ſuper oſſa motos preſſu ſuo hanc duritiem augere. Praeter haec omnibus notum eſt, in corpore ex vno illo vniuerſali fluido, in omne corpus, per tractas a corde arterias

diffuſo, ſanguine nimirum, tam varium diuerſumque ſuccum ſecerni, et ad multiplices vſus, opportunitatesque, accommodari, ac perfici. Ad hanc autem mirabilem, quae ſic efficitur, ſuccorum diuerſitatem non parum facere videtur arteriarum ortus, progreſſus, diuiſio, et in admirabiles villos implicatio, in quibus rebus incomprehenſibilis varietas eſt. Nam ab his ipſis multimodis fiſtularum porrectionibus, vitali humori, qui in corpus diuiditur, alius motus praeſtatur, isque, vel rarior fit, vel magis cogitur, dum maiori, vel minori, vi in vaſis mouetur. Nemini enim ignotum eſt, maiorem minoremque motus celeritatem multum ad ſoluendos cogendosque ſuccos noſtros facere. Imo etiam eodem motu humores aliter diuiduntur, et quaedam, quae mobiliora ſunt, in alias ſedes feruntur, et in alias, quae minus mobilia, et ad quieſcendum aptiora. Ex his itaque, et aliis, quae a Phyſiologis, dum ſecretionis animalis diuerſitatem, eiusque aetiologiam, exponere volunt, proferuntur, nec omiſſa illa Neutoniana vi, qua materia, ſibi ſimilem magnetis more allicere, et trahere, dicitur, ex his, inquam, omnibus collatis, comparatisque inter ſe, opinor aliquantum ſciri poſſe, cur oſſa prae caeteris omnibus partibus corporis durentur. Haud tamen inficior, in rerum harum, quae nullis ſenſibus percipi comprehendique poſſunt, et quae magna adhibita prudentia ab ipſa natura occultari videntur, plura eſſe, quae ignorari fatendum eſt. (20)

§. IX. Illud vero quibusdam diſplicere poterit, oſſium primordia neruos fuiſſe, quos, in oſſibus deficere, exiſtimant, cum haec omni ſenſu, inſitoque vitali motu, deſtituantur. Sed ſi tales nobis concedunt oſſa, quamdiu membranae fuerunt, aeque, ac alias membranas, per varias ſedes diſpanſas, ſentiendi facultatem habuiſſe, et illud eos nobis largiri oportet, neruos hac ſua facultate orbari potuiſſe, et accidere, vt id, quod olim ſenſit, nunc non ſentiat. Nemini enim, credo, in opinionem veniet, ex membranis, dum in cartilagines induruerunt, neruos dimotos, et in aliam

20) Conf. CLOPTON HAVERS *de oſſibus.*

aliam ſedem translatos, fuiſſe, quos ſic mutari, ſuaque ſentiendi vi orbari, longe probabilius eſt. Imo vngues et animalium vngulae id probant, quas, neruis adnexas eſſe, nemo dubitabit, qui vnquam dolorem ſenſit, quem infert ſurculus infixus, vel aliud quippiam, quo vngues ea parte laeduntur, qua cum cute committuntur. Cutim enim neruis abundare, in confeſſo eſt. Vngues vero ex epidermide non oriri, quamuis cum ea cohaereant, eo etiam diſcitur, quod ille nexus a radicibus vnguium ſatis dimotus ſit. Verrucae etiam, et his ſimilia, nec pedum clauis exceptis, quae ſuper cutim eminent, ex neruorum papillis male adfectis enaſcuntur, et nihilominus absque ſenſu raduntur, praeciduntur que. Quibus omnibus illud exploratum eſſe arbitror, neruos, vel diutius preſſos, vel aliter adfectos, eam, qua pollent, ſentiendi vim amittere, et nihilominus increſcere. Hoc itaque in oſſibus etiam accidere poteſt, vt nerui, qui antequam occalluerunt, ſentiunt, poſtmodum omni ſenſu deſtituantur.

§. X. Vt vero nunc propius ad ea veniamus, quae ad noſtrum inſtitutum attinent, embryonum oſſicula, intuentibus clarum eſt, eam mutationem, quà illud, quod cereum eſt, cartilaginoſumque, in os duratur, pedetentim fieri. In variis enim ſedibus, mediaque plerumque cartilaginum parte, puncta enaſcuntur oſſea, et ex his, ſeu centris, duriuſculae rigidaeque fibrae educuntur, quae indies magis magisque exporrectae percreſcunt. Difficile vero erit diſerte explicare, cur vna parte celerius dureſcant membranae, et cartilagines, ac alia; illud vero a diuerſa vaſorum capacitate et diſtributione, aliisque cauſis, de quibus ſupra relatum eſt, proficiſci, vero proximum videtur. In his ad minimum enodandis difficultatibus, quamuis plura ſint, quae, quod ſenſuum aciem effugiunt, abſtruſa videntur, et tenebris circumfuſa, non opus erit accerſere animum cum intelligentia per corpus pertinentem, illudque formantem, vel, quae amentia veterum fuit, Deam Oſſipagam fingere, paruis infantibus oſſa durantem, ſolidantemque. Hanc enim veterum anilem ſuperſtitionem iam

olim confutauit ARNOBIVS. (21) Iſta autem oſſea puncta, a quibus mutatio ordiri ſolet, non in omnibus oſſibus ſimili ratione conſtituta videmus. In nonnullis enim v. g. in bregmate, vt et in porrectioribus fiſtulatisque oſſibus, humero, radio, vlna, femore, tibia, ſura, vt et in metacarpi, metatarſi, digitorumque, oſſibus, iſta primum in medio emicant, ſi epiphyſes excipias, in aliis autem mox plura puncta exſurgunt, quae, dum incrementa capiunt, ſibi appropinquant, tandemque in vnum coaleſcunt. Hoc enim in pectoris oſſe cernitur, in quo, dum cartilago durari incipit, plura, et numero quandoque quatuor, quandoque pauciora, aliquando plura, puncta emergunt. (22) In oſſe frontis, docentibus id KERCKRINGIO, (23) et RVYSCHIO, (24) et eius parte inferiori, quae cum aliis oſſibus ad orbitam formandam facit, menſe poſt conceptum tertio, quaſi per nebulam, quaedam oſſea punctula conſpiciuntur. Supra vero orbitam ſub adſpectum venit lunata oſſis figura, cuius duo extrema in longum increſcunt, et ita in orbem exporriguntur, vt huius oſſis ora celerius, quam eius media pars, indureſcat. Propter tenerioris oculi tutelam prius formari videtur orbitam. Nam et in hoc naturae intelligentis ratio apparet, quod in oſſium formatione eae primum ſedes durentur, quae maiori indigerent firmitate, ad varios, vel praeſtandos, vel ſuſtinendos, motus. Docent id longiora, fiſtulataque, oſſa, quae, dum muſculis extrema eorum

21) *Aduerſus Gentes L. IV. p. 131.* conf. *Comment.* STEWECHII *p. 92.*

22) vide *Tabulas* KERCKRINGII et aliam RVYSCHII *in Aduerſ. Anat. P. II.*

23) *l. c. Cap. II. p. 215.*

24) *Aduerſ. Anat. Dec. III. Obſ. IX. p. 30.* conf. GVILIELMI CHESELDENI, *Oſteographiam, Londini Anno MDCCXXXIII.* editam, qui liber, maiori pretio parandus, propter ſolam tabularum elegantiam, et accurationem ab artifice adhibitam, aliquam laudem habet. Nam caeteroquin omnino meretur acerbiorem cenſuram, qua eum excepit IOH. DOVGLASSIVS in ſcripto, *Londini Anno MDCCXXXV. edito,* cui Titulus: *Animadverſions on a late pompous Book intituled Oſteographia; of the Anatomy of the Bones by* WILLIAM CHESELDEN etc. Addita enim figuris interpretatio a tirone profecta videtur. Et quis non mirabitur, in tanto opere, de oſſibus conſcripto, nullam mentionem factam fuiſſe oſſis hyoidis, imo nec hoc, nec etiam os turbinatum inferius fuiſſe delineatum? Vltimum a chalcographo expreſſum eſt in *Tab. IX. fig. VI.* vbi oſſi maxillari adhaeret, ſed in explicatione Tabulae nulla eius mentio facta. Plures errores taceo.

rum parte innexis adducuntur, media parte incuruari poſſent, niſi haec citius, et ante partum, fuiſſet denſata

§. XI. Atque haec, quae in maioribus oſſium partibus ita fiunt, in eorum appendicibus etiam incidere, dubio caret. Epiphyſes enim, in quibus ab initio, dum oſſibus iam duratis innexae ſunt, nil, niſi cartilago, eſt, ſimili etiam ratione ſolidantur, ac reliqua oſſa. Primum in iis punctum emicat, quod paulatim ampliatur, et increſcit, qua ipſa re efficitur, vt vndique recedat, tandemque penitus euaneſcat, cartilago. Atque vero et hic quaedam diuerſitas animaduertitur. Nam, dum ſic epiphyſis ſolidatur, aliquando vnum, aliquando plura puncta oſſea, ſeu tot centra, conſpiciuntur, ex quibus oſſeae fibrae educuntur. Illa vero centra, ſi plura ſunt, tandem confluunt, vnumque faciunt, manente tamen per tempus cartilagine inter nouum hoc oſſiculum, ſeu epiphyſin, et reliquum os, media. Epiphyſes, quae plura eiusmodi puncta habent, delineauit RVYSCHIVS. (25) Epiphyſes vero, in centro os, ſeu quaſi nucleum, habentes, exterius vndique cartilagine inductas, ab EODEM (26) et CHESELDENO (27) expreſſas videmus.

§. XII. Sunt vero etiam in puerorum oſſibus cartilagines, ſatis amplae, quae epiphyſes mentiuntur, ad quas tamen referri vix debent. Vt enim taceam, carpi, et, ſi calcem excipias, omnia tarſi, oſſa in foetu cartilaginoſa eſſe, haec etiam oſſa ita ſolidari, vt nulla vera oſſeaque in iis formetur epiphyſis, illud etiam de nonnullis cartilaginibus dicendum, quibus oſſa in articulis mollita finiuntur. Eae enim craſſiores ſunt, et aliis, quae in veram oſſeam epiphyſin euadunt, prorſus ſimiles, aſt vero nullum proprium centrum, nullamque diſtinctam appendicem, formant, ſed, augeſcente reliquo oſſe, cartilago recedit, tandemque, contractior facta, ad eam craſſitudinem perducitur, quae in omnibus arti-

 culis,

25) *Theſ. X. Tab. III. fig. 2. et 4.* *fig. 1. Lit. D.* vbi delineauit trochanterem maiorem femoris.

26) *Aduerſ. Anat. Dec. III. Tab. II.* 27) *In Oſteographia Tab. I. fig. 10.*

culis, vbi ossa cartilagine laeuigata sunt, deprehenditur. Sic omoplata in puero, haud ita pridem nato, ceruicem cartilaginosam habet, et costarum capitula, qua illae cum spondylorum corporibus committuntur, valde cartilaginosa sunt; his tamen in adultioribus nulla vera est epiphysis.

§. XIII. Sunt praeterea aliae harum appendicum differentiae. Aliquando enim maiores apophyses suas epiphyses habent, id quod in acromio, in vertebrarum spinis, et transuersis processibus, in femoris ceruice, cuius caput epiphysis est, nec non in eiusdem ossis maiore trochantere, cuilibet intuenti perspectum est. (28) Inueniuntur etiam epiphyses, quae, maioribus tuberibus exasperatae, suas habent apophyses. Vlnae capitulum, quod contra carpi minuta ossa situm est, habet epiphysin, ex qua acutus processus consurgit, cui a stylo nomen impositum est. Femoris inferior epiphysis, quae omnium maxima habenda, extremis vtrinque capitibus, seu condylis, tumida est; Tibiae etiam inferior epiphysis, quae cum alia, quae in fibula est, talum excipit, maiorem habet processum, malleolum internum. Num autem vera epiphysis aliam sibi media cartilagine iunctam epiphysin habere possit, dubium videtur. Spondylorum enim spinae, de quibus, quod earum summa pars epiphysi finiatur, supra retulimus, non, nisi in lucem edito puero, nascuntur, et ex illa cartilagine consurgunt, qua in posteriori vertebrarum parte duo e latere posita ossicula inter se iunguntur. Nam foetuum vertebras ex tribus officulis constare, quae media cartilagine inter se nectuntur, notum est. Ex cartilagine, quae in posteriori parte est, et elongantis quasi duobus e latere positis officulis procedit, adolescente aetate, spina, quae vero, quia sibi proprium centrum non format, vix vera epiphysis dici posse videtur. Equidem, si solis oculis fides habenda, epiphysis alii epiphysi innectitur in temporum ossibus. In his enim sunt illi teretes processus, qui a similitudine styloidei appellantur, et sedem variis musculis ac ligamentis praestant

28) vide VESALIVS *L. I. Cap. III. p.* 7. WINSLOW. §. 46.

ſtant. Hos, in pueri, haud ita pridem nati, calua, mere cartilaginoſos eſſe, conſtat. Si vero homo paululum adoleuit, ille ſtylus vera epiphyſis eſt, quae alii depreſſiori, et media ſua parte ſinuato, proceſſui inſidet, quem vltimum ideo quidem vaginalem vocant. Aſt vero haec commiſſura, cui in iunioribus magna mobilitas eſt, et quam RVYSCHIVS ad articulos, et quidem arthrodiam, diarthroden, retulit, (29) tandem, in os verſa, rigida fit, et epiphyſis mutatur in apophyſin. Imo ex ſententia RVYSCHII ſtylus, qui ſic per articulum iungitur oſſi temporum, apophyſis dicendus haud eſt. Ex hoc tamen quandoque conſurgit noua, exporrectior, oſſeaque, appendix, quae alia cartilagine cum priori nectitur, cuius rei aliquot exempla mihi oſtendit Praeſes. Si vero rem ipſam loqui decet, malim certe exiſtimare, hanc nouam epiphyſin ex illo ligamento naſci, quo os hyoides ad hunc proceſſum deligatur, cui ſententiae etiam RVYSCHIVS ſubſcribit. Illud enim ex oſſis illius bicornis minoribus corniculis, quae ad latus, et ipſam commiſſuram maiorum cornuum, cum baſi poſita ſunt, educitur, et in ſumma acutaque proceſſus ſtyloidis parte vtrinque finitur. (30) Non enim rarum eſt, in ſenibus ligamenta, tendines, aliasque partes, in os durari, id quod igitur et huic vinculo accidere ſolet. Deceptus enim fuiſſe videtur magnus Anatomicus, VESALIVS, (31) qui haec vincula, ſeu ex ternis quaternisque oſſibus compoſita, deſcripſit, et figuris etiam expreſſit. Exiſtimauit enim, ſecundum naturam id fieri, quamuis ipſe etiam deprehenderit, haec ſuprema oſſicula aliquando, maxime in mulieribus, deſiderari. Ob hanc rem etiam cenſoria virgula adverſariorum, GABRIELIS FALLOPII, (32) et BARTHOLOMAEI EVSTACHII, (33) notatus eſt, qui, ſe ligamentum, non vero oſſicula, inueniſſe, profitetur. (34)

§. XIIII.

29) *Aduerſ. Anat. Dec. Cap. IX. p. 31.*

30) vide COWPERI *Myotomiam Tab. XXVII. fig. 1. C. D. E.*

31) *L. I. Cap. XIII. p. 49.*

32) *Obſ. Anat. p. 42. Edit. Venet. 1561.*

33) *In Oſſium Examine p. 196. Edit. Venet. 1563.*

34) Conf. WINSLOVIVM *P. I. §. 259.*

§. XIV. Alias etiam differentias expoſuerunt autores, et inter hos maxime IACOBVS SYLVIVS, (35) quas vero recenſere vix operae pretium eſt. Illud ſaltem monendum, epiphyſes non oſſium tantum extremis inſidere, ſed etiam lateribus, id quod de trochantere femoris minore, de condylis humeri, aliisque, notum eſt. Nec vero illud repetendum, quod ex ſupra dictis clarum eſſe opinor, inter foetuum, infantum, puerorum, et adoleſcentum, epiphyſes magnum diſcrimen eſſe. Sunt etiam, quae celerius indureſcunt, et cum oſſe coeunt, aliae vero ſerius, de qua differentia inferius quaedam commemorabo.

§. XV. Dum vero ſic in veris epiphyſibus oſſa vtrinque excreſcunt, ſibique tandem appropinquantur, cartilagines vero quaſi perareſcunt, et contrahuntur, natura admirabili ſolertia et prouidentia in ferruminandis duobus oſſibus vtitur. Vt enim haec cohaerentia firmior eſſet, et ad valentiores motus ſuſtinendos idonea, vtriusque oſſis extremum non laeue eſt, nec aequale, ſed mutuis ſinubus et tuberibus exaſperatum, qualis commiſſura in adultis inter ſacrum et coxarum oſſa, interpolita etiam cartilagine, eſſe ſolet. Oſſa vero, dum ſic per plures ſinus ac tubera committuntur, firmiſſima fiunt, atque ab illo fracturarum genere, quo in iunioribus epiphyſes diducuntur, tutiora. Hoc ideo fieri videtur, quia ſic ſe pluribus punctis, quam ſi extrema plana eſſent, contingunt. Eo maior vero in oſſibus his inaequalitas eſt, quo maiora incrementa coepit epiphyſis.

§. XVI. Non vero ſola cartilagine continetur epiphyſis, ſed etiam, mediante perioſtio, oſſi adſtringitur, id quod RVYSCHIVS (36) inprimis ex eo probauit, quod epiphyſes, ablato, vel exeſo, perioſtio, ſponte cadant. Etiam illud in oculos interiora oſſa intuentium incurrit, epiphyſes intus raras eſſe, et pumicoſas, quidquid GALENVS, et alii, quos ille ad ſuam autoritatem olim adduxerat, contradixerint. Nam is exiſtimauit, in artubus capita dura

35) *In Comment. in* GALENVM *de Oſſibus, in Operibus p. 57.*

36) *l. c.*

dura denſaque oſſibus raris et ſpongiae aſſimilibus eſſe ſuperimpoſita, quod, quam a vero alienum ſit, nemo ignorat, qui oſſium in longum ſectorum interiora luſtrauit. (37) Cum vero olim vix non omnes artem profeſſi ad GALENI autoritatem defendendam conſpiraſſent, plures etiam hanc eius opinionem magno conatu tutati ſunt. Inter quos iam nominare licebit HIERONYMVM CAPIVACCIVM, (38) ARCHANGELVM PICCOLHOMINVM, (39) et IOH. RIOLANVM, FILIVM. (40) Vix enim, ſi verba eius legimus, is excuſari poterit, qui ſatis intellexiſſe haud videtur, oſſa, quae intus in fiſtulam excauata ſunt, eſſe duriora, magisque compacta, iis, quae cauernas habent, quales ſunt epiphyſes. In his enim, quam rem accurate perſecutus eſt CLOPTON HAVERS, (41) lamellae, quae in diaphyſi artuum firmius ſibi adunatae ſunt, in extremis inter ſe diducuntur, et habent plures eiusmodi cauernulas medias, quibus os rarum ac pumicoſum redditur. Quia etiam illae cauernae, iis ſimiles, quae in putri ſpongia ſunt, intus tenuiſſimis membranulis veſtitae ſunt, ſeu tot ſaeculis, ad quos per arterias medullaris ſuccus fertur, in his oſſium partibus ſedes frequentior eſt dirarum, et, quae nulli arti cedunt, valetudinum.

§. XVII. Iam vero, quis harum appendicum vſus ſit, et cur illae nonnullis oſſibus datae ſint, aliis non datae, paucis exponendum eſt, de qua re multum inter autores diſputatum legimus. Nam, has oſſium appendices prouidae ſolertisque naturae opera eſſe, nemo inficiabitur, cui perſuaſum eſt, in toto vniuerſo, aeque, ac in animalium corporibus, haud quidquam eſſe ita natum et loca-

37) Impugnarunt GALENVM plures, VESALIVS *L. I. Cap. III. p. 6.* REALDVS COLVMBVS *de Re Anatom. L. I. Cap. II. p. 5.* IOH. PHILIPP. INGRASSIAS in *Comment. in* GALENVM *de Oſſibus, in Prooemii Text. VI. p. 18.*

38) *in Comment. de Methodo Anat. Cap. X. iin Operib. Francof. 1603. editis p. 70.*

39) *in Praelect. Anat. L. VIII. Lect. IV. p. 350.*

40) *in Comment. in* GALENVM *de Oſſibus, in Operibus, Pariſiis, 1649. editis p. 447.*

41) vide eius figuram, et variorum oſſium in longum ſectorum icones in CHESELDENO *l. c. Tab. I. fig. 10 T. II. tota.*

locatum, vt fortuitum ſit, et ſuperuacuum, et ad vitam retinendam, ad motum, ad alias actiones, non neceſſarium. Admirabilem itaque ſolertiam etiam in formandis oſſibus perſecuta eſt intelligens diuinaque natura, quae, cum eodem tempore oſſeas fibras, et augeri oporteret, et indurari, eas ex variis punctis, ſeu tot centris, eduxit, et pedetentim auxit. Hac enim diligentia illud effecit, vt fibrae ex iſtis centris enatae, et in omnem partem effuſae, ſibi obuiam fiant, et ſic totum os, et elongari, et ocius ad debitam duritiem perduci, poſſit. Ad hanc vero, quae prima dicenda eſſe videtur huius fabricationis cauſa, adiungendae ſunt aliae plures. Eadem enim re partui prouiſum eſt, qui, dum in paruo anguſtoque loco, in maternis ſcilicet viſceribus, concluſus, indies adoleſcit, et augetur, propter has ipſas molles mobilesque oſſium commiſſuras, melius in vtero componi poteſt, et eo contineri. Imo ita etiam foetus, ſucco materno altus, exactis rite menſibus, ſi excludi debet, longe melius ac facilius per illas anguſtias poteſt educi, dum artuum oſſa cereis illis appendicibus finiuntur. Alia enim oſſa, quorum valentior motus in excluſo foetu mox ad vitam tuendam valde neceſſarius eſt, paulo maiori quidem cartilagine aliquantum molliuntur, aſt iis verae haud datae ſunt epiphyſes, quia metus erat, ne valentiori perennique motu illae auellerentur. Haec enim cauſa eſt, cur coſtae, ea parte, qua rotundae, et leuiter quaſi capitulatae, vertebrarum corporibus, paululum ſinuatis, inhaerent, cartilagine quidem laeuigentur, nulla vero epiphyſi terminentur; Coſtarum enim motum perennem eſſe oportet, quia foetus in lucem editus ſine ſpiritus reciprocatione viuere nequit. Nec inferioris mandibulae rotundiores proceſſus, qui ſuper temporum oſſa mouentur, habent in infantibus epiphyſes, quia periculoſum foret, tam molles oſſium commiſſuras valentius agitari. Huius enim motus ad alendum foetum ſumma neceſſitas eſt, quippe qui, paruulus, ſola mammarum vbertate, et, adultior factus, paulo denſiori cibo, ſaturatur. Nec vero ſugere mammas, nec cibos mandere, et deglutire, poteſt,

poteſt, ſine valentiori mandibulae motu. Ad alium finem iugula celerius formata abſolutaque ſunt, et in foetu maturo maiorem fere habent duritiem, quam reliqua oſſa omnia. Sub partu enim, dum per illas anguſtias expellendus eſt foetus, humeri multum compreſſi facile detorqueri poſſent, niſi his fulturis iam firmioribus ſuſtinerentur. Ex quibus omnibus clarum eſt, illis oſſibus inprimis epiphyſes datas eſſe, quorum ad perennem vitalemque motum tanta neceſſitas non eſt.

§. XVIII. Illud etiam cartilaginoſum diſcrimen, quod inter oſſa et eorum appendices eſt, opportunam ſedem praeſtare dicitur ligamentis, quibus oſſa inter ſe continentur, ſeu mediae inter tendines et cartilagines materiei. Ex his enim ſedibus ea educi, et in eas etiam inſeri, iam primus obſeruaſſe videtur REALDVS COLVMBVS, qui hoc, quod GALENVS, aliique, omiſerant, a ſe inuentum eſſe, gloriatur. (42) Certioribus vero argumentis coargui poteſt, non ob ſolam hanc cauſam naturam has appendices molitam eſſe. Quemadmodum enim ex iis ſedibus, vbi nullae epiphyſes ſunt, e. g. ex iugulis, omoplatae ceruice, nihilominus educuntur ligamenta, quae ideo aliis oſſium partibus etiam inhaereſcere certum eſt, ita non minus clarum eſt, dari epiphyſes, quae haec vincula, nec emittunt, nec recipiunt. Ex harum numero, vel trochanteres femoris, vel etiam illae, eſſe poterunt, quas in baſi et angulo omoplatae deprehendimus, nec non ea, quam ſuprema reſupinataque ilei ſpina habet, cui diſpanſi tendines muſculorum abdominis innectuntur, non vero ligamenta. Imo in illo articulo, qui inter coxam et femur eſt, res clare oſtenditur. Caput enim femoris rotundiſſimum, quod in ſinum coxae coniicitur, epiphyſis eſt, ipſa autem ceruix, cui caput inſidet, a prima aetate apophyſis. Illud vero ligamentum validiſſimum, quod to-

42) Conf. G. FALLOPIVM *in Expoſ. de Oſſibus Cap. IX. in Oper. p. 476.* qui ſibi hanc inuentionis gloriam tribuit, ſed REALDVS librum ſuum edidit *Anno 1559.* et FALLOPIVS *Obſeruationes ſuas Anno 1561.* Hic vero *Commentarius de Oſſibus* primum poſt obitum FALLOPII *A. 1570.* prodiit. Obiit enim *A. 1563.*

tum articulum comprehendit, non ex ea parte educitur, vbi ceruix capite finitur, ſed ex inferiori ceruicis parte, prope ipſum fere trochanterem maiorem. Quare negare nolim, ex iſta cartilaginoſa commiſſura quaedam ligamenta conſurgere, veriſimile tamen haud videtur, ob ſolam hanc cauſam eſſe epiphyſes. (43) Nec illud admitti poſſe videtur, quod GALENVS de vſu epiphyſium tradidit, quem pauciorum epiphyſium, et earum tantum, quas artus habent, notitiam habuiſſe, ex enumeratione, quam in libro eius de oſſibus legimus, diſcitur. (44) Exiſtimat enim ea oſſibus in fiſtulas cauatis quaſi operculo, ſicque cautum eſſe, ne medulla, quam intus habent, effluat. Falſum enim eſt, medullam illam, quae adipoſa, compactiorque, et velamento ſuo comprehenſa, in oſſibus iam dictis, eorumque media parte, reperitur, dimota epiphyſi, effluere poſſe, cum oculorum ſenſu certi ſimus, oſſa, ea ſede, vbi illis epiphyſis inhaereſcit, aperta non eſſe, ſed rara, pumicoſaque, materia obturata. Imo iam ſupra relatum eſt, ipſas epiphyſes medulloſas eſſe, cum cauernulae, quas habent, etiam ſucco tali, quamuis teneriori, et minus oleoſo, aeque plena ſint. Sunt alia, quae ab harum rerum ſcriptoribus, dum epiphyſium vtilitates perſequuntur, adduci ſolent. Oſtendunt v. c. oſſa ad articulos intumeſcere, et ampliores habere appendices, ac proceſſus, quo maior ſtabilitas eſſet articulis: iis etiam tumidioribus inſeri muſculos, et ſic horum mouendi facultatem multum augeri. Quilibet vero animaduertit, haec ad apophyſes potius attinere, vel his, et epiphyſibus, communia eſſe. Nam iis nihil aliud oſtenditur, quam oſſa ad varios artuum motus praeſtandos, muſculorum etiam actionem iuuandam, eſſe accommodata, id quod etiam in iis obſeruatur, quibus nullae epiphyſes ſunt. Concludimus itaque, oſſa epiphyſes habere, maxime propter ſuccedaneum incrementum, vt ocius poſſint creſcere, et, vt, quae mollia ſunt, et cerea, melius queant durari. Mollia vero eſſe illa oportuit, vt ſupra relatum fuit,

43) Iam hoc obſeruauit IOH. RIOLANVS *c. l. p. 447.*

44) conf. INGRASSIAM *l. c.*

fuit, vel propter ipſam materiam, ex qua animal et animalis oſſa gignuntur, et vt foetus magis eſſet compoſitus in vtero, isque facilius in partu excidere poſſet. Multum praeterea haec naturae diligentia ad puerorum conſeruationem et ſalutem facere videtur, quibus, vt ſub ludicra exercitatione, validioribusque corporis motibus, ſalui eſſe poſſint, data ſunt oſſa flexibilia, et molles has appendices ac commiſſuras habentia. Sic enim motui cedunt, nec tam facile findi, frangi, emouerique, queunt. Harum itaque opportunitatum cauſa epiphyſes oſſibus datas eſſe, illud confirmat, iſtas adoleſcente aetate tandem prorſus euaneſcere, et in apophyſes, ſeu proceſſus, degenerare.

§. XIX. Iam ſupra retulimus, hoc, recedente vtrinque cartilagine, increſcentibus oſſium, tum fibris, tum cauernulis, fieri, ita, vt cartilago tandem omnis euaneſcat. Nunc vero illud addimus, cartilaginoſas iſtas commiſſuras prius tabeſcere, et obliterari, in externa oſſis parte, iſtisque lamellis, quae perioſtio veſtitae, duriſſimaeque, ſunt. Quando enim in hominum, paulo adultiorum, oſſibus nullum diſcrimen exterius conſpici poteſt, os vero in longum diffinditur, interius adhuc cartilago eſt, inter diaphyſin et epiphyſin media. Haec, ſi os coctura emaceratum, aeri expoſitum, prorſus induruit, interius ita adducitur, vt medium ſinum in oſſis cauernoſi meditullio relinquat. Illud etiam notari meretur, oſſis cauernulas prope hanc cartilaginoſam lineam, quando illa conſpicua eſt, ſemper minores fieri, ea vero exareſcente, poſtmodum ampliari; Quae res ſuſpicionem facit, cauernulas in cartilaginibus mollioribus, ſuccoque redundantibus, ante fuiſſe, his vero duratis, contractisque, illas diſpandi, et conſpicuas reddi.

§. XX. Vix vero conſtitutum a natura tempus eſſe videtur, quo hae mutationes incidunt, certe illud accuratius indicare difficile eſt. Nam de adultorum oſſibus hoc dicendum, quod de abortibus iam plures animaduerterunt, vix ex corpuſculorum habitudine de eorum aetatibus certum iudicium ferri poſſe. Prae-

terquam enim, quod ipſe partus in vtero infirmus eſſe poteſt, eum etiam laborare neceſſe eſt, ſi mater morbo conflictatur. Vtrumque vero ſi accidit, non ſatis ali poterit, nec, vt decet, creſcere, ſed corpus intabeſcet, et, ſi id, vel per abortum excidit, vel, exacto tempore legitimo, partu excluditur, illud paruum et immaturum videbitur. Sic etiam multa obſeruatione exploratum eſt, in corporibus, ex graui diuturnoque morbo infirmis, longe diutius manere epiphyſes, quam in aliis, quae valetudinis proſperitate gaudent. Maxime vero iſta venerea lues, quae, ſi altius inſedit, inueterauitque, oſſa infeſtare, horumque coalitum multum tardare, ſolet. Inter alia Praeſes ſceletum poſſidet hominis adulti, atque proceri, qui plurimas, quae reperiri ſolent, habet epiphyſes, inter quas, et oſſium diaphyſes, adhuc media cartilago conſpicua eſt. Hominem vero venereo morbo implicitum fuiſſe, ex palati oſſibus intelligitur, quae vitiata ſunt, et carie exeſa. Praeter haec omnia, qui accurate determinare has aetates velit, eum oportet, plura experimenta in iuniorum corporibus capere, et, iis inter ſe collatis, tandem aliquid prodere, quod vero proximum eſt. Hoc autem compertum habeo, non vno eodemque tempore in omnibus oſſibus epiphyſes euaneſcere, et in proceſſus mutari. Sic v. g. in ſpondylis citius hoc accidit appendicibus, quae ſunt in proceſſibus transuerſis, quam illis, quae ſpinoſis inhaerent. Duae epiphyſes, quae in humero inferiore ſunt, vtrinque e latere poſitae, citius indureſcunt, quam eiusdem oſſis caput globoſum, quod ſinuato vertici omoplatae inſeritur. Sic in vlna olecranum, aliaeque epiphyſes, quae humeri rotulam excipiunt, celerius ſolidantur, quam altera epiphyſis, quae contra carpum ſita eſt. Et in radio diutius manet epiphyſis contra carpum poſita, quam illa, quae contra humerum eſt. Ex omnibus reliquis ad adultam aetatem reſidua frequentius eſt illa orbiculata ſpina, qua ſuperius os ilium finitur.

§. XXI. In hac vero generali epiphyſium hiſtoria non omittendum eſſe ſentio, et cartilagines inueniri, quae ſuas habent epiphyſes.

phyſes. Tales obſeruantur in arytaenoidibus laryngis, quarum capitula in homine mobilia ſunt, et diuiſa. Rem primus accurate deſcripſit IOH. DOMINICVS SANTORINVS, (45) qui, has cartilagines omnino diſtinctas eſſe, contendit, et ideo numerum illarum, quae in larynge ſunt, auxit. Celeberrimus vero WINSLOVIVS (46) illos ſupremos arytaenoidum apices epiphyſes vocat, cuius ſententiae ideo ſubſcribo, quia in pluribus, annoſioribus inprimis, cadaueribus illud diſcrimen penitus obliteratum deprehenditur. Quemadmodum vero oſſium epiphyſes cartilagine, ita hae cartilaginum appendices membrana, ſeu media materia, continentur. Obiter addimus, ſummam harum appendicum mobilitatem ad vocis cantusque modulationem non parum conferre, et, vel propter eas, a iunioribus plures, diſtinctosque, ſonos edi, et in cantu molliores, delicatioresque, flexiones effici, poſſe.

§. XXII. Dum vero ſingulorum oſſium appendices enumerari nunc oportet, vix confido, omnia exacta confectaque futura eſſe. Nam, vt omnes norunt, in his rebus mira varietas eſt, et, quae in vno cadauere obſeruantur, deſiderantur in aliis, quare, quia occaſio non frequens eſt, iuniorum cadauera incidendi, veniam dabunt harum rerum curioſi, ſi ſorte hallucinatus fuero. Quia vero etiam cartilaginoſas reliquorum oſſium commiſſuras paucis attingere animus eſt, ordiendum erit a coronali, quod, in infantibus in duas partes diuiſum eſſe, conſtat. Nam ſagittalis ſutura in his non ſolum bregmata diuidit, ſed etiam frontem ſecat, et inter ſupercilia ad narium radicem finitur. In plurimis hoc diſcrimen cito euaneſcit, et exemplum ad manus eſt, vbi, quarto circiter anno, praeſente adhuc fonte pulſatili, ſeu fontanella, ſutura maiorem partem obliterata eſt. Aſt vero etiam rarum non eſt, perfectam ſuturam, in qua oſſa per vnguem committuntur, inueniri in exactae aetatis corporibus, id quod a CELSO (47) iam animad-

45) *Obſ. Anat. Cap. VI.* *II. §. 430.*
46) *In Expoſit. Anatom. Tom. IV. P.*
47) *Lib. VIII. Cap. I.*

animaduerſum eſt. In duobus ſincipitis oſſibus nulla, nec diuiſio eſt, nec appendix, ſed in foetu illa ad verticem oris ſupremis extenuantur, et deficiunt, quare ea parte, qua inter ſe, et cum duabus partibus oſſis coronalis, iunguntur, manet ille hiatus, ſola membrana tectus, quem barbaro nomine fontanellam appellant anatomici. (48) Occipitis os ex quatuor partibus conflatum eſt. Prima et maxima eſt triquetra, et quaſi ſquamae in modum tenuata, qua cerebellum poſterius excipitur. Hoc os habet vtrinque fiſſuram, e latere ab exteriori ora verſus medium deſcendentem, quae figuris rite expreſſa eſt a CHESELDENO, (49) Forte hoc rarius in plures partes ita diuiſum reperitur, ac a KERCKRINGIO (50) fuit delineatum. Illud incidere videtur, ſi inter bregmata et occiput magnus hiatus eſt, et ex hoc illa officula Wormiana exſurgunt. Ex his enaſcitur dubitandi locus, num, id quod VESALIVS (51) prodidit, PETRVS PAAVIVS (52) delineauit, fidem mereatur, in adultis aliquando ſagittalem ſuturam vſque ad magnum occipitis foramen procedere. Nam vix huic commiſſurae locus eſt in adultis, cum in foetu os diuiſum non ſit, ſed integrum, quare, ſi illud vnquam ita inuentum fuit, vel fiſſura, caluae illata, opinionem futurae fecit, vel res fuit inſolita, et a naturalium oſſium conſtitutu prorſus aliena. Et FALLOPIVS (53) hoc iam in dubium vocauit. Vbi haec prima et potior occipitis pars ad foramen magnum finitur, per quod ſpinae medulla, cerebro commiſſa, deſcendit, e latere poſita ſunt duo alia officula, ex quibus, adoleſcente aetate, illi maiores condyli, qui ſuper primam colli vertebram mouentur, exſurgunt. Haec duo, anterius ſibi paululum appropinquata, iterum in cartilagines degenerant. Iungitur enim iis quartum officulum, quod, quia ſphenoide committitur, in adultis proceſſus ſphenoideus appellari ſolet.

§. XXIII.

48) Non vnquam in adultis hac ſede os ab aliis diſtinctum manet, qualem caluam poſſidet Praeſes. Frequentius, et plura etiam oſſicula iuueniuntur inter bregmata et os occipitis, quae, vt notum eſt, WORMIANA dicuntur.

49) *l. c. Tab. XXXI. fig. 2.*

50) *Tab. XXXIX. p. 278.*

51) *de Fabrica C. H. Lib. I. Cap. VI. p. 23.*

52) *in Comm. in L. VIII. Celſi p. 8.*

53) *Obſ. Anat. p. 21.*

§. XXIII. Temporum ossa in foetu in duas partes facile diuiduntur, squamosam et petrosam. Cum priori, quae celerius in os mutatur, ac altera, cohaeret circulus osseus, tympani membranam comprehendens, qui vero etiam facile ab illa abscedit, et quasi epiphysis est. Postmodum ille circulus in canalem tortuosum, seu meatum auditorium, dispanditur. Quae vero ex hac ossis temporum parte educitur, apophysis, et per vnguem cum alio processu ossis iugalis committitur, nullam epiphysin habet, sed in tenellis etiam abortibus ampliori solidaque radice oritur. Pars petrosa habet in adultis duos maiores processus, mammillarem et styloidem. Prior fere deest in foetu, et ex minori tuberculo in insignem magnitudinem excrescit. De hoc processu ALEXANDER MONROO (54) prodidit, eum in iunioribus veram esse epiphysin. In aliquot corporibus, quatuor vel sex annorum, deprehendo, tuberculum illud, quod hac aetate iam prominentius factum est, ast solidum et osseum, finiri ampliori cartilagine. Num haec pedetentim, increscente osse, recedat, num vero, formato intus nouo centro, in veram euadat epiphysin, in dubio relinquo. De processu styloide supra relatum est. Illum, in foetu octo mensium, cartilaginosum delineauit KERCKRINGIVS, (55) quem tamen emendauit Clarissimus CASSEBOHMIVS, (56) qui omnia, quae ad auditus organon attinent, singulari studio et accuratione, tum verbis, tum figuris, expressit. Minima vero illa officula, quae aure et cauitate tympani continentur, iam ante partum, et septimo circiter mense, absoluta sunt, osseamque habent duritiem, et eandem fere, quae in adultis est, magnitudinem. Quamuis etiam in minoribus embryonibus partes quaedam reperiantur duratae, aliae autem, inprimis mallei et incudis, apophyses adhuc cartilaginosae, haud tamen existimo, cartilagines in veras mutari epiphyses. Officulum illud, quod propter paruitatem vix cerni potest,

54) *Anatomy of the humane Bones p. 108.*

55) *Tab. XXXVIII. fig. 2.*

56) *de Aure Tr. I. §. 29.*

poteſt, orbiculare dictum, quod inter ſtapedem incudemque medium eſt, hisque arctius adhaeret, a WINSLOVIO (57) ad epiphyſes referri videtur. Qui omnes mutationes, quae in his ſedibus, a primis aetatis menſibus, incidunt, accuratiſſime expoſitas legere cupit, euoluat laudatum CASSEBOHMIVM.

§. XXIV. Os ethmoideum ex variis partibus conſtat, et haud pridem HVNAVLDVS, (58) et poſt hunc CHESELDENVS, (59) oſtenderunt, oſſa turbinata inferiora, quae huc vſque omnes anatomici oſſa ab aliis diſtincta habuerunt, ethmoidei partes eſſe. Celerius ſolidantur cellulae, quas labyrinthum naſi vocat WINSLOVIVS, et oſſa turbinata ſuperiora, quam duo illi maiores proceſſus, quorum alter criſta galli dicitur, alter naſum in duas partes diuidit. Num vero in hoc oſſe vera ſit epiphyſis, fateor, me ignorare. Sphenoideum in octo partes diuiſum eſſe, contendit KERCKRINGIVS, qui illud ex foetu quatuor menſium delineauit. Refutare annititur FALLOPIVM, RIOLANVM, EYSSONIVM, et omnes, qui, in foetu maturo os ſphenoideum ex quatuor officulis conflatum eſſe, propoſuerunt. Aſt vero cuilibet videt, a primis menſibus et in hac cartilagine plura puncta oſſea extare, ex quorum coalitu tandem maiora formantur. Aſt vero in partu nouem menſium os in quatuor partes diduci poteſt. Celerius autem mediae duae partes, quarum prior, illos tenues proceſſus orbitarios, vt et foramina optica, poſterior vero ſellam turcicam, comprehendit, inter ſe vniuntur. Diutius manet cartilago, qua maiores proceſſus, e latere poſiti, ſeu alae maiores, cum aliis deorſum ſpectantibus proceſſibus pterygoideis, illi mediae parti nectuntur: quare in paulo adultioribus ſphenoideum ex tribus oſſiculis conflatum eſt. In oſſibus faciei, maxillaribus, iugalibus, naſi, lacrymalibus, vomere, nullae notae ſunt epiphyſes. De turbinatis ſupra dictum fuit; quae, vt et palati oſſa, quamuis in iis magna ſit teneritas, tamen mox oſſeam duritiem adipiſcuntur.

Ma-

57) *T. I. §. 524.*
58) *Comm. A. R. Sc. 1730. p. 798.*
59) *l. c. Cap. II.*

Maxilla autem inferior nullam habet in proceſſibus, tum condyloideis, tum coracoideis, epiphyſin. Aſt vero in foetu illa ex duobus oſſibus compoſita eſt, in parte anteriori, ſeu mento, media cartilagine, vel, vt alii volunt, membrana, (60) inter ſe iunctis.

§. XXV. Dentes etiam epiphyſes habere, duce, vt videtur, IACOBO SYLVIO, (61) exiſtimauerat VESALIVS, (62) cum quo etiam ſentit REALDVS COLVMBVS. (63) VESALIVS tamen, a FALLOPIO (64) monitus, ab hac opinione deſtitiſſe videtur, (65) et EVSTACHIVS, qui de dentibus egregie ſcripſit, dentes omni appendice deſtitutos eſſe, probauit. (66) Sedula enim anatomicorum obſeruatione cognitum eſt, ex folliculis, qui in foetuum maxillis latitant, exſudare materiam, futuro denti aptam, et hanc euadere in eam duriorem partem, quae nuda extra gingiuas prominet, atque corona dentis vulgo appellatur. Haec pars, quam incongrue epiphyſin iſti vocant, ſi perfecta fuit, tandem etiam radix, ſeu illa pars, finitur, quae, dum increſcit, ſibi in pumicoſis maxillarum oſſibus ſedem parat, et in alueolis abſcondita haeret. Quia vero dentes lactei, dum cadunt, hac altera parte, ſeu radice, deſtituuntur, illa vero iisdem dentibus, ſi ante illud tempus, ſeptimumque circiter annum, quo lactei cadunt, vi, aut caſu, educuntur, minime deeſt, opinati ſunt auctores, dentes media ſua parte diuiſos eſſe, et partem exteriorem, ſeu coronam, appendicis in modum, niti radicibus, hanc vero appendicem, ſeu epiphyſin, eo aetatis tempore, diduci, auellique, ex radicibus vero nouos dentes ſubire. Rem vero aliusmodi eſſe docuit diligentior obſeruatio. Nam in puerorum dentibus, antequam illi ſponte cadunt, nulla talis, nec epiphyſis, nec commiſſura, eſt. Radices etiam, tum in primis, tum in vltimis, dentibus longe ſeriùs in-

60) vide POLLICHII *Diſſert. de Incremento Oſſium.*

61) *In Comment. in* GALENVM *de Oſſibus Cap. IV. in Operibus p. 65.*

62) *l. c. L. I. Cap. XI.*

63) *L. I. Cap. X. p. 36.*

64) *In Obſ. Anat. p. 39.*

65) *In Examine Obſ.* FALLOPII *in Operibus nuper editis p. 774.*

66) *de Dentibus Cap. XVII. p. 52.*

dureſcunt, quam coronatae, et pedetentim, formata iam corona, elongantur. Id vero mirabile videtur, et adhuc nondum ſatis perſpectum, quo tandem radix primorum dentium eo tempore deueniat, quo illi a ſubtus increſcentibus expelluntur? cuius rei, ſe nullam notitiam habere, fatetur FAVCHARDVS, (67) qui poſt EVSTACHIVM de dentibus accuratiſſime ſcripſit. Saltem illud hic addo, in dentibus nullas eſſe epiphyſes.

§. XXVI. Os hyoides in partu, prope maturo, iam aliquantum oſſeam duritiem nactum eſt. In tres tamen partes, baſin, duoque cornua, facili opera,etiam in adultioribus, diducitur, quae partes multa cartilagine continentur. Illae vero minores appendices, quae ex ea cartilagine conſurgunt, qua cornua baſi iunguntur, ad adultam fere aetatem nihil, niſi cartilagines, ſunt. Poſtmodum vero et hae appendices, in os verſae, media cartilagine reliquo oſſi adnectuntur: quare, illas ad veras epiphyſes referri poſſe, crediderim.

§. XXVII. In trunco primum obueniunt vertebrae, quas ſingulas in partubus maturis ex ternis officulis conſtare, iam ſupra retuli. In adultioribus quinque in ſingulis numerantur epiphyſes. Duae ſunt exiles lamellae, quae ſupra et ſubter ſpondylorum corporibus inhaereſcunt. (68) Et illi proceſſus, quos vertebrae, tum e latere, tum e poſteriori parte, exigunt, oſſeas habent appendices. Prima ceruicis vertebra, illa ampliori orbiculataque parte, quam corpus vocant, deſtituitur, aſt vero in anteriori parte, vbi in aliis illa pars maiori orbe finitur, primo punctum oſſeum formatur, quare haec vertebra etiam in tres partes diduci poteſt. Alter vero ceruicis ſpondylus, epiſtropheum appellant, praeter dicta tria officula, habet illum inſignem dentatum proceſſum, qui validis ligamentis ſuper occiput illigatur Hic proceſſus caput vltro prolabi non patitur, quare, quia in recens natis infantibus ille

67) vide *le Chirurgien Dentiſte T I. C. II. p. 32.*

68) Has delineauit VESALIVS *L. II. Cap. XI.* et contra FALLOPIVM, qui de iis dubitauerat, defendit, *in Exam. Obſ.* FALLOPII *p. 775.*

ille mollis est, et cartilaginosus, tenelli caput erectum tenere nequeunt. Hic odontoides processus in iunioribus vera epiphysis est, quae etiam alia apophysi, superius parum desidentem sinum habente, seu quadam vagina, excipitur. Illud vero, quod supra de styloide processu scripsi, cartilagines contrahi, et tandem penitus indurari, de hac quoque commissura dicendum est. De osse sacro constat, illud in vertebras spurias diuisum esse in pueris, quae media cartilagine connectuntur. Singulae autem vertebrae iterum ex tribus partibus conflatae sunt, quae in tenellis multa, post pauca, cartilagine continentur. Tandem vero omnis cartilago euanescit, et haec ossa, quae diuisa erant, in vnum coëunt. Coccygis os, quod longe serius duratur, in omnibus cum osse sacro, cui adhaeret, conuenit.

§. XXVIII. Coxarum ossa in pueris ex tribus constare ossibus, iam veteribus innotuisse videtur, qui ideo singulis nomina imposuerunt. Nolo nunc horum ossium fines accuratius describere, quae, dum media cartilagine continentur, formant illum maiorem profundumque sinum, in quem femoris caput coniicitur. Praeter has vero cartilaginosas commissuras, et eam, quae inter vtrumque pectinis os intercedit, habent haec ossa etiam epiphyses. Gibba illa ampliorque ossis ilium ora, quam veteres spinam, alii costam, vocant, vera epiphysis est, in pueris cartilaginosa, in adultis ossea, et media cartilagine ossi iuncta. Magna etiam epiphysis in coxendicis tubere ad adultam vsque aetatem manet. Vtraque vero sedem opportunam praestat variis musculis, et quidem prior iis, qui in abdomine sunt, posterior iis, quibus femina, cruraque, mouentur. Processus spinosus coxendicis in puero cartilaginosus est, ast non videtur in veram appendicem mutari, id quod tamen affirmat IOH. BAGET. (69)

§. XXVIII. Supersunt costae, pectorisque os. In prioribus etiam epiphyses deprehendisse sibi visi sunt VESALIVS, (70)

69) vide *eius Osteologiam 1731. Parisiis editam P. I. p. 168.*

70) *L. I. Cap. XIX. p. 77.* qui vnam saltem admittit.

INGRASSIAS, (71) et REALDVS COLVMBVS. (72) Si vero paulo curatius puerorum ossa intuemur, deprehendimus, eo tempore, quo foetus maturi in lucem eduntur, costas iam perfectas absolutasque esse, id quod propter perennem, et ad vitam maxime necessarium, pectoris motum factum esse ostendit ALEXANDER MONRO. (73) Costae vero ea parte, qua cum vertebrarum corporibus, et alia sede, qua earum plures cum istarum processibus transuersis committuntur, capitulatae, cartilaginesque mollitae, sunt, quae cartilagines in iuniorum costis pleniores sunt, et opinionem fecerunt appendicum. Nihil dico de cartilaginibus, in quas costae degenerant, et quarum maior pars cum sterno committitur. Nam nec hae ad epiphyses, de quibus nobis sermo est, referri poterunt, quia ad extremam vsque aetatem, id quod thoracis perpetuus motus exigit, cartilaginosae manent. Illas tamen praeter naturam aliquando in os duratas fuisse, legimus. (74) De pectoris osse iam dictum fuit, illud primis mensibus, nil, nisi cartilaginem esse, post vero ex hac cartilagine puncta ossea emicare, quae, dum increscunt, tandem confluunt. Magna vero in his varietas est; In foetu maturo vtplurimum in quatuor ossicula, quae multa cartilagine continentur, sternum diuisum est. Manet plerumque ad adultam aetatem mobilis commissura, inter supremam partem, quae ceteris amplior, et triquetra, et inter mediam, quae contractior, et lunata, est. Terminatur inferius cartilagine xyphoide, quae, vergente aetate, etiam ossis duritiem induit. Saepe haec interius ossea reperitur, exterius cartilagine crustata.

§. XXX. A trunco ad artuum ossa transitus est. De iugulis iam scripsi, illa tempore partus absoluta esse. Itaque nec habent epiphyses, quamuis INGRASSIAS (75) singulis duas tribuat. In latis omoplatarum ossibus tres inueniuntur verae epiphyses, quae in partu maturo cartilaginosae sunt, et postea ex proprio centro in ossa durantur. Priorem habet acromium, cuius extremum am-

71) in GALENVM *de Ossibus in Prooemio Comment. VI. p. 16.*
72) *L. I. Cap. XIX. p. 61.*
73) *l. c. p. 242.*
74) vid. VESALIVS *L. I. Cap. XIX.*
75) *l. c.*

ampliatum in admodum adultis auellere non ideo difficile eſt. Altera epiphyſis eſt, a figura coracoides dicta, quae in apophyſin vertitur. Tandem etiam baſis, ſeu illa ora, quae vertebris obuerſa eſt, ab initio cartilaginoſa, poſt in veram, et per multos ſaepe annos diſtinctam, appendicem mutatur. De ceruice ſupra oſtendi, eum non vera epiphyſi, ſed maiori cartilagine, terminari. Humeri caput globoſum, duobus tuberibus diſtinctum, epiphyſis eſt. Celerius oſſi adunatur illa inferior rotula, ſuper quam vlna radiuſque mouentur. Haec in infantibus tota cartilaginoſa eſt, dubius autem ſum, num cartilago poſtmodum in veram epiphyſin mutetur, num vero, vt de omoplatae ceruice dictum, illa ſenſim ac ſenſim recedat, et ad eam craſſitiem perducatur, quali ad molliendum articulum opus eſt in adultis. De hac re quaedam controuerſia fuit inter FALLOPIVM (76) et VESALIVM. (77) Si etiam rotula, id quod nec FALLOPIVS ſatis affirmare videtur, in epiphyſin vertitur, ea tamen habet e latere poſitas alias appendices. Duo enim illi condyli, ex quibus plures muſculi educuntur, verae ſunt epiphyſes, et ſaepe ad adultam aetatem manent, de qua re VESALIVM inprimis monuit FALLOPIVS. Externus vero condylus, qui contra radium eſt, ocius cum oſſe coit, quam internus, qui contra vlnam eſt, Vlna ſuprema parte habet maiorem proceſſum, qui, exciſus, excipit humeri rotulam. Olecranum dicitur ille, alius vero, qui ante illam inciſuram conſurgit, a figura coronoides vocatur. Vterque in foetu cartilaginoſus eſt, celerius tamen in os mutantur. In olecrano vero, huiusque parte extrema poſteriori, ſaepe per aliquot annos manet epiphyſis. Ex altera parte, quae carpo obuerſa eſt, vlna diſtincta et diutius ſuperſtite epiphyſi finitur, ex qua, vt ſupra notatum eſt, educitur proceſſus ſtyloides vlnae. In radii vtraque parte appendices inueniuntur. Superior eſt illud orbiculatum, leuiterque ſinuatum, capitulum, quod et ſuper humeri rotulam, et e latere ſuper inciſuram,

76) *Obſ. Anat. p. 57.*

77) *in Examine Obſ.* FALLOPII *in Operibus p. 778.*

ſuram, quae in vlna eſt, mouetur. Inferior parum deſidente ſinu carpi oſſicula excipit. Citius deletur ſuperior, inferior diu manet. De carpo nihil addendum eſt ad ea, quae ſupra comprehenſa ſunt, vbi etiam iam ſignificaui, metacarpi oſſicula in infantibus vtrinque multa cartilagine molliri. Quantum vero ex variis oſſibus collatis coniicere potui, baſes, quas metacarpi oſſa habent, et quae carpi oſſiculis ſuſtinentur, haud veris finiuntur appendicibus, ſed in iunioribus maiori cartilagine molliuntur. Vera autem epiphyſis inuenitur in altera parte, vbi haec oſſicula capitulata digitis primae phalangae ſinuatis excipiuntur. Contra vero in digitis omnibus, horumque oſſiculis, baſes, quae ampliores exiſtunt, vera epiphyſi diſtincta ſunt, non autem extrema capitula, quae in duobus primis ordinibus rotata ſunt. Nam haec etiam, vt videtur, in iunioribus maiori cartilagine, in diſtincta oſſicula haud degenerante, terminantur. Vltimae phalangae oſſicula, nec cartilagine, nec epiphyſi, finiuntur. Tria pollicis, vt reliqua digitorum, oſſa, baſin habent, cui adhaeret epiphyſis. Illa admodum conſpicua eſt, ea parte, qua primum os ſingulari prorſus articulamento committitur cum trapezio carpi. Vel ex eo probari poteſt, hoc os, quod alii ad metacarpum retulerunt, digitorum oſſibus eſſe adnumerandum.

§. XXXI. Si vero etiam ad femina deſcendimus, his quatuor appendices ſunt, ſaepe ad adultam aetatem ſuperſtites. Prima rotundius caput, altera, omnium maxima, inferiores condylos complectitur, qui tibia, lunatisque huic innatantibus cartilaginibus, excipiuntur: Duo etiam illi proceſſus, trochanteres dicti, appendices ſunt, in iunioribus. Tibia, in ſuprema parte plenior, duas ea ſede habet appendices; Altera maior eſt, et illi fere ſimilis, qualem in inferiori femore iam vidimus. Sub hac vero maiori epiphyſi, in tibiae antica, eaque ipſa, ſede, vbi tuber extat, cui valens illud ligamentum inſeritur, quo rotula tibiae adſtringitur, minor appendix a ſuperiori diſtincta eſt. Huius appendicis

men-

mentionem a WINSLOVIO factam legimus. (78) Inferius tibia etiam appendice finitur. Sura tum ſuperius, vbi tibiae adligatur, tum inferius, vbi ad talum intumeſcit, habet epiphyſin. In tarſi oſſibus, quantum noui, vna vera epiphyſis eſt. Illa cernitur in calcânei extrema, poſteriori, eaque, ſede, ſuper quam validus tendo, quem chordam Achillis vocant, finitur. Suſpicio enata eſt, hanc epiphyſin praecipiti ſaltu auelli potuiſſe, et forte aliquando diſrupti tendinis opinionem feciſſe aliis, quae coniectura experientia probanda eſt. Reliquorum oſſium omnium, quae in pede ſunt, et quae ad metatarſum, digitos, pollicem, pertinent, eadem ratio eſt, ac ſupra de manibus fuit relatum. Hae itaque ſunt epiphyſes, quas in variis praeparatis, quas Praeſes potiſſimum mecum communicauit, inuenire potui. Forte tamen aliae ſunt omiſſae, quae celerius obliterantur, forte etiam ſunt quaedem inter iam nominatas, quae veris epiphyſibus haud accenſeri debent, quia ſibi proprium centrum, ex quo in os percreſcunt, haud formant. Data opportunitate iuniorum corpora incidendi, diligens obſeruatio et haec olim emendabit.

§. XXXII. Atqui vero nunc tandem ad valetudines veniendum eſt, quibus hae appendices infeſtari ſolent. Illae in duo genera diuidi poſſe videntur, quamuis illi morbi, qui ſub eadem ſpecie ſunt, alia etiam diſcrimina recipiant. Vel enim hae appendices intus vitium contrahunt, vel ab oſſe diducuntur, et e ſede ſua mouentur. Prius incidit in pueris, diro iſto morbo rhachitide aegris, qui, quod iis oſſa ad articulos intumeſcunt, et quaſi nodoſa fiunt, Gallis *enfans noués* dicuntur. Inflantur vero rara, et ſpongiae aſſimilia, oſſa, a quieſcente corruptoque intus humore, quo totum corpus redundat. Quia enim his pueris plures glandulae, maxime illae, quae in meſenterio ſunt, et quarum integritas ad alendum corpus inprimis neceſſaria eſt, male adfectae ſunt, corpora ex alimento refectionem non recipiunt, quare praeter tabum malumque corporis habitum accidit, vt et hae teneriores

78) *T. I. §. 861.*

res ossium appendices corrupto succo turgidae fiant. Huic autem vitio in his, quae, et cauernosae, et medullosae, sunt, peropportuna sedes est. In illis enim cauernulis celerius quiescunt ad motum minus apti humores, et pinguis ille medullosus succus, dum quiete et mora rancidus fit, vitiatur. Non solum vero in tumores leuantur appendices, sed, si, vel ille morbus adoleuit, vel illi aliud vitium superuenit, corruptus humor illas exest, et sic tandem eas occupat pessima illa caries, quae ab interiori ossis parte ad exteriora, supernatis denique grauibus vlceribus, fistulisque, transit. Paedarthrocacem appellant miserum illud morbi genus, cuius plures aliae causae, fontesque, sunt, quos omnes hic adducere prolixum foret. Qui accuratiorem notitiam desiderant, legant, inter alios, duos praestantissimos autores, qui de hoc morbo scripserunt, IOSEPHVM PANDOLPHINVM, (79) et MARCVM AVRELIVM SEVERINVM. (80) Indicasse iam sufficiat, hoc vitium, quamuis id in totis corporibus consistat, prae aliis sedibus maxime has appendices infestare.

§. XXXIII. Illud tamen omittendum non est, articulos quandoque contrahi, mouendique facultatem amittere, si appendices ex similibus causis intumuerunt. Ἀγκύλας vocant hos articulos veteres, (81) et morbum ἀγκύλωσιν, (82) cuius etiam non vna causa est. Si enim articuli, vitio intus orto, per se intumescunt, premuntur ligamenta, quibus illi comprehenduntur. Haec vero sic pressa breuiantur, nec sinunt articulum satis moueri. Ille etiam humor, quo articuli illinuntur, laeuiganturque, copiosior exprimitur, qui, ex quiete tenacior factus, articulo rigorem adfert. (83) Hoc inprimis in iis articulis incidit, vbi ossa per mutuos sinus processusque committuntur, quos ginglymos vocamus. In aliis vero articulis rotundiora ossium capita, quae in sinus, vel pro-

79) vide *eius Tract. de Ventositatis spinae saeuissimo morbo a* MERCKLINO *cum Comment. editum.*

80) *de Recondita Abscessuum natura L. V.*

81) v. CELSVS *Lib. V. C. 18. no. 28*

82) PAVLVS AEGINETA *L. IV Cap. 55.*

83) vide PETIT *des Maladies des Os P. I. p. 361. Edit. nou. Anno MDCCXXXV*

profundiores, vel alios parum desidentes, coniiciuntur, ex eadem occasione quandoque ex sedibus suis propelluntur, quae res incuitabilem claudicandi necessitatem adfert. (84) Omnia haec vitia, si iis ossa adfecta sunt, raro, et vix, nisi per aetatem et diuturnum optimi victus aërisque vsum, euincuntur. Nam his morborum generibus, nec sanitas in propinquo esse solet, nec exitium. In hoc tamen non pauci pueri, tandem emaciati, morbique diuturnitate confecti, praecipitantur. Inter initia autem, et si morbus adhuc in humoribus consistit, non difficilis curatio est, quam prolixe exponere, a nostro proposito alienum est.

§. XXXIIII. Harum valetudinum occasiones causaeque in toto corpore ita sunt, vt certa illis sedes vix adsignari queat. Sunt vero alia vitia, quorum sedes in ipsa illa commissura est, qua appendices continentur. Rarum enim non est, epiphyses in iuniorибus diduci, id quod vel partui accidit, si is a minus prouida manu educitur, vel pueris, si eorum teneriores artus variis modis valentius adducuntur, premuntur, percutiuntur. Mirum videtur huius vitii mentionem a pluribus intermissam fuisse, cuius tamen HIPPOCRATES nos admonuit. Dum enim is docet, quae agenda sunt, si manum luxatam iterum compelli oportet, etiam indicat, nonnunquam epiphysin emoueri. (85) Morbus vero ideo forte paucis cognitus fuit, quia is a minus gnaris, vel ad fracta, vel luxata, ossa, fuit relatus. Magnum in hoc errore periculum esse potest, si chirurgus falsa luxati ossis opinione ad sinistram medendi rationem ducitur. Ossa enim, quae in articulis inter se cesserunt, multum intendi oportet, vt tutius possint compelli, id quod in his casibus pestiferum est. Nam hoc si factum est, et si molles commissurae valentius diducuntur, praeter ligamenta multum infirmatur periostium, quod, ad continendas in sede sua epiphyses non parum facere, supra propositum est. Nec chirurgo difficile erit iudicare, num ossa in epiphysi dehiscant, num in articulo sint dis-

84) vid. PETIT. *c. l. p. 21. de Articulis Sect. II. in Edit.* CHART. *T. XII. p. 332.*

85) Ἔτι δ' ὅτε χρὴ ἡ ἐπίφυσις ἐκκινῆσθαι.

torta, ſi digitorum miniſterio vti velit. In poſteriori enim caſu ſemper in ea parte maior tumor eſt, in quem os in articulo tumeſcens prorupit, ea vero parte ſinus, a qua receſſit, id quod digitis inueniri poteſt. Si autem epiphyſis auulſa eſt, ſaepe oſſa, muſculis adducta, non eminent, ſed recte concurrunt, manente aliqua inſolita mobilitate, ſi vero in ſedibus ſuis non manent, ſed aliquantum recedunt, tumor longe minor eſt, quam, qualis eſſe ſolet, ſi articulus fuit diſtractus.

§. XXXV. Non autem ſolis violentis motibus auelluntur epiphyſes, ſed etiam in infirmis puerorum corporibus hoc aliquando, ex aliis cauſis, fieri, exemplis probauit M. A. SEVERINVS, (86) quem primum eſſe exiſtimo, qui de his vitiis dilucide commentatus eſt. Hunc ſecuti ſunt HENRICVS EYSSONIVS, (87) Celeberrimus HEISTERVS, (88) IOH. PALFINVS. (89) SEVERINO enim autore, ſi corporis iuuenilis malus habitus eſt, ſuccique corrumpuntur, humor etiam quandoque in articulos contrahitur; Is vero, ſi in his quieſcit, acrior factus, laxat et exeſt perioſtium, ſoluitque illam commiſſuram, qua oſſi appendix nectitur. Memorabile eſt, quod a POUPARTIO (90) relatum, et a PETITO (91) confirmatum, legimus. In corporibus iuuenum, qui ſcorbuto, quo tunc plures abſumpti fuerunt, interierant, articuli corrupto rodenteque humore turgidi, oſſa tumida, epiphyſes vero ab his diductae, omnisque, qua continentur, cartilago ſoluta fuit inuenta. Tales etiam homines propter appendices illas mobiles ante mortem non preſſo firmoque gradu incedere potuerunt, ſed toto corpore in omnem partem vacillarunt, id quod etiam non ſine aliquo auribus adſtantium percepto ſtrepitu factum eſt. Hac enim obſer-

86) *l. c. in libro de Gibbis, Varis et Valgis.*

87) *de Oſſibus Infantum.*

88) *in Chirurgiae T. I. L. III. Cap. I. p. 197.*

89) *Anatomie Chirurgicale P. V. Cap. I. p. 2.*

90) *in Comment. Acad. Reg. Scient. Anno 1699. p. 237.*

91) *Des maladies des os P. II. Cap XVI. p. 369.*

ſeruatione, ex intus in corpore natis vitiis epiphyſes emoueri, et ſeparari, poſſe, diſcitur.

§. XXXVI. Haec oſſium vitia, niſi chirurgus, rerum harum gnarus, iis mox inter initia occurrat, turpes adferunt deformitates. Si enim hae appendices non iterum ſatis committuntur, ſed ſuper illas os mouetur, et vetuſtas occupauit, propter callum, qui increſcit, oſſa non poſſunt coire, ſed manent ſoluta. Itaque tunc his oſſibus, ſic dehiſcentibus, accidit, quod fractis ſolet, quae non conferbuerunt, manentque articuli, ſic dicti, analogi: De quibus ſingulari diſſertatione commentatus eſt Celeberrimus SALTZMANNVS. (92) Si vero epiphyſes non recte in ſedem ſuam repelluntur, vel, quia iuxta articulum oſſa, nec faſciis ſatis contineri poſſunt, nec ferulae, vt decet, iis ſuperaccommodari, membra fiunt diſtorta, et inaequalia: Quorum ſi aliquid in cruribus incidit, pueros varos, valgosque, fieri, deprehenſum eſt. Nam, harum deformitatum principem ſedem in his epiphyſibus eſſe, oſtendit ſupra laudatus M. A. SEVERINVS. Valgi autem Graecis βλαυσοὶ dicuntur, quibus ſurae in exteriorem partem prominent, vari vero, ſeu ϱαυβοὶ, quibus pedes in interiora ſunt inclinati. Et horum tamen vocabulorum ſignificatio ſaepe promiſcua eſt. Non opus tamen eſt, ad gignendas has membrorum prauitates, vt epiphyſes prorſus diducantur. Frequentius enim cartilaginum membranarumque imbecillitas efficit, vt, quamuis non exciderit appendix, illa tamen paululum in aliquam partem promineat; et tunc aeque oritur illa diſtortio. In cruribus enim multum confert corporis pondus, dum in imbecillo corpore ligamenta infirma, oſſaque molliora, totum corpus ſuſtinere ſatis nequeunt. In adultis etiam frequentius accidere opinor, vt, dum greſſu ſaltuque talus in exteriorem partem inclinatur, quamuis etiam is loco ſuo motus non ſit, tamen malleolus externus diſtrahatur, quem epiphyſin eſſe, ſupra retuli. In infantibus, optime valentibus, etiam ille cedere poteſt, ſi tenelli, parum confirmatis ligamentis,

92) *Argent. Anno MDCCXVIII.*

greſſum tentare ab imprudentioribus ſciolisque gerulis coguntur. Nam, tales, ſi oſſibus, ferendo oneri minus paribus, citius nituntur, adoleſcente aetate valgiter incedere, obſeruatio docuit.

§. XXXVII. Non vero ſolum minores illae veraeque epiphyſes diſtrahuntur, ſed ſaepe etiam inter ſe cedunt aliae, quae in iunioribus ſunt cartilaginoſae oſſium commiſſurae. De futuris in calua illud iam HIPPOCRATES animaduertiſſe videtur, qui iubet fulcimenta adhibere capiti, ob iuncturarum diſtantias in capitis oſſibus firmandas. (93) Rem etiam ſic explicat in addito Commentario GALENVS. PETRVS DE MARCHETTIS (94) vidit ſagittalem ſuturam ad latum minorem digitum diuiſam, id quod ex graui vulnere, fronti illato, homini acciderat. Nihil ea ſede repertum fuit, quae ictum exceperat, aſt inter dimota oſſa pus fuit inuentum. Et ideo haec cranii fractura ad illud genus referenda fuit, quod Reſonitum appellant, vbi altera parte ictus fuit, altera vero calua fidit. Raro id ex ſimilibus cauſis accidere ſolet, aſt frequentius ex illo hydrocephali genere, quod humorem in ipſum caput contrahit. Si enim a colluuie, quae inter cranium et meninges coit, dura mater multum intenditur, etiam capitis oſſa in infantibus dehiſcunt, et per ſuturas conſurgunt maiores tumores, quos a RVYSCHIO (95) delineatos videmus. Atque etiam ex aliis cauſis ſuturas in adultis diduci, a pluribus proditum eſt. Hunc morbum in Hibernia vulgarem eſſe, teſtis eſt ARNOLDVS BOOTIVS, (96) et aliquando iisdem locis plures ardente febre conſumptos fuiſſe, quibus cum intolerabili capitis dolore ſuturae fuerunt dimotae, ANTONIVS MOLINETTVS prodidit. (97) Ex ebrietate

93) *De Medici Officina Sect. III. §. 37. p. 111. Edit.* CHART. *T. XII.* Τὰ δὲ ἐρμάσματα, καὶ ἀποσφίγματα οἷον ῥήξει, πλευρῇσι, κεφαλῇ, καὶ τοῖσιν ἄλλοισιν ὅσα τοιαῦτα. Τὰ μὲν σφυγμῶν ἕνεκεν ὡς μὴ ἐνσάπτωσι. Τὰ δὲ καὶ διαχάσεων τῶν κατὰ τὰς ἁρμονίας, ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κεφαλὴν, ὀστέοισιν ἐρεισμάτων χάριν.

94) *Obſeru. Chirurg. XV. p. 31.*

95) *in Cent. Obſ. Anat. Chirurg. Obſ. LII.*

96) *in Obſeru. Med. de affectibus omiſſis Cap. IV. p. 16. Edit. Lipſ.*

97) *in Diſſ. Anat. Patholog. L. II. Cap. III. p. 42.*

tate militi hoc accidiſſe, ANTONIVS de POZZIS tradidit, (98) qui inde leuamen ſenſiſſe dicitur, ita, vt poſt absque incommodo ſe vino inundare, alioſque poculis maioribus poſcere, potuerit. In puella ſuturam ſagittalem, in propria ſorore coronalem, diuiſam deprehendit IOH. CONRADVS PEYERVS. (99) LVCAS vero SCHROECKIVS ſagittalem ſuturam, in virgine viginti annorum, dira cephalalgia excruciata, inuenit ad latum digitum disiunctam; vt alias aliorum obſeruationes GABRIELIS CLAVDERI, (100) IOH. NICOLAI PECHLINI, (101) et IOH. MAVRICII HOFFMANNI, (102) quae legi merentur, omittam.

§. XXXVIII. In vulgus etiam notum eſt, puerorum, ſi obſtetricia manu in vtere eos dirigi, et manu valentius adduci, oportet, non raro caput aliquantum diſtorqueri, et quaſi obliquari. Propter plures enim iſtas mollesque commiſſuras capita figurari poſſe, iam innotuiſſe videtur barbaris nonnullis gentibus, quarum ſtudium, teſte STRABONE, (103) fuit, vt maiora capita haberent, et frontes ſuper genas prominentes. Si vero cerebrum aliqua parte comprimitur, etiam inde grauiora mala, aliquando inexpugnabilis ſocordia, et fatuitas, proficiſcuntur. Illud etiam a vero alienum non videtur, inclinato diſtortoque ſphenoide oſſe, opticum, alioſque oculorum neruos, qui ex cerebro per huius oſſis foramina ad oculos porriguntur, premi, grauiterque affici, et homines fieri luſcos, ſtrabonesque, et aliis oculorum morbis obnoxios. (104)

§. XXXIX. Duo etiam oſſicula, in quae inferior maxilla in

98) *Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. IV. Obſ. 32. p. 31.*

99) *in* PAEONIS *et* PYTHAGORAE *Exercit. Anat. et Med. Exercit. XXXVIII. p. 205.*

100) *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Obſ. 142. p. 275.*

101) *Obſ. Phyſ. Med. L. II. Obſ. 39. p. 310.*

102) *in Diſſ. de Suturis cranii, Altd. MDCXCI.*

103) *Geographiae L. XI. p. 791. Edit. Almelouenii.*

104) vid. Viri Doctiſſimi SIGISMVNDI HAHNII *Tract. de Cyrtonoſis §. 21. p. 17.*

in foetu diuiſa eſt, inter ſe disiungi poſſe, HIPPOCRATES (105) notauit. Ex hydrocephalo, in quo aqua intus ſub calua haeret, praeter ſuturas etiam vertebras diduci, emollita in lumbis illa cartilagine, ex qua poſtmodum apophyſes ſpinoſae exſurgunt, ſtudioſius ab aliis, et aliquando a Praeſide, (106) expoſitum eſt. Nec ad noſtrum ſcopum attinet iſtud, quod a quibusdam animaduerſum fuit, in partu difficili pectinis oſſa, quae ſub pube inter ſe, et ilia, quae cum ſacro media cartilagine iunguntur, in iunioribus dirimi, et cartilaginem, vel diſrumpi, vel ex vna parte ab oſſe ſeparari. Nam et hoe vitium claudicationem adfert, cuius rei exemplum prodidit DANIEL LVDOVICI. (107) Horum vitiorum omnium prolixiorem expoſitionem, nunc, breuitati ſtudens, omitto.

§. XL. Si vero quis iam his oſſium vitiis, membrorumque prauitatibus, opitulari velit, eum oportet ante omnia ſedulo, et cauſas, et morbi ortum, progreſſumque, conſiderare, ad quae omnia medentis conſilia dirigi debent. Si enim haec oſſium vitia alteri vetuſto, et per totum corpus diffuſo, morbo ſuperuenerunt, illa difficilius, et non, niſi curato priori, euincuntur. Si etiam hae deformitates in infantibus coeperunt, et a prima aetate ad adultam vergentemque peruenerunt, illae nunquam tolluntur. Si ſcorbutus adeo increuit, vt iam ad perioſtium oſſaque proceſſerit, is morte finitur. Si autem paedarthrocace exeſae ſunt epiphyſes, non raro, vt reliqua oſſa tuta ſint, miſerum, ſed vnicum, auxilium eſt, membrum abſcindere: vbi vero minor iniuria oſſi acceſſit, curato corpore, illud, quod vitiatum eſt, nonnunquam a reliquo oſſe ſoluitur, et abſcedit.

§. XLI. Prolixum foret, ſi nunc omnia percenſere vellem, quae in auxilium grauium iſtarum et diuturnarum valetudinum, in toto

105) *de Articulis Sect. II. §. XXXIV. Tab. XII. Ed.* CHART. *p. 345.*

106) *in Programmate, quo Anno MDCCXXXIV. Anatomen indixit.*

107) *Eph. N. Cur. Dec. I. Anno III. Obſ. 255. p. 458.* conf. DEVENTRII *Nouum Lumen Obſtetricantium.*

toto corpore conſiſtentium, a medentibus adhiberi ſolent. Vnum illud experientia docuit, maximum praeſidium in his curationibus petendum eſſe, non a medicamentis ſolum, ſed etiam a victus ratione, et omnium illarum rerum vſu, quas non-naturales vocant medici. Maxima enim ſpes in his grauioribus morbis eſt, vt aeger morbi impetum trahendo effugiat, porrigatque in id tempus, quod curationi locum praeſtat; id quod de rhachiticis inprimis dicendum eſt. Si vero, his omnibus omiſſis, ad ea veniendum, quae manu fiunt, in illis caſibus, vbi ligamenta imbecilla ſunt, oſſa vero tumida, primum eſt fricatio, et modeſta artuum exercitatio. Haec etiam rhachiticis pueris, ſi congruus victus accedit, ſaluberrima eſt, ad quam tam diu referti oportet, donec priſtinum et naturale robur iis rediit. Si vero epiphyſis vi auulſa excidit, oportet illam protinus in ſedem ſuam compellere, et poſtmodum membrum aequatum panno inuoluere, et iniicere faſciam. Si hoc in brachio incidit, illud mitella excipiendum eſt, quae ex ceruice ſuſpenſa ſit. Si vero crura laborant, neceſſe eſt, vt aeger diu in lectulo perſeueret. Nam etiam in his caſibus, vt in fractorum curatione, primum eſt quies. Si tamen oſſa inter ſe conferbuerunt, quam primum fieri poteſt, ad exercitationem, membrique modum, reuertendum eſt, ne axungia, in articulis aucta, in callum increſcant, et huius rigor oboriatur. Caluae oſſa inter ſe dehiſcentia optime adducit ex faſciis illa, quae, in duos fines glomerata, caput et circuit, et inflexa operit, ac comprehendit, Galli vocant *la Capelline*. Rarum eſſe opinor, mentum in pueris diduci Huic tamen vitio opportuna eſſet alia vinctura, cui capiſtrum nomen eſt. Si quando vero, id quod frequentius occurrit, a parum emotis appendicibus, membra indecora facta ſunt, et huic vitio mederi volunt chirurgi faſciis, ſuper accommodatis ferulis, paxillis, ocreis, aliiſque machinis, de quibus vide, inter alios, HIERON. FABRICIVM, ab AQVAPENDENTE. (108)

Si

108) *in Oper. Chirurg. de chirurgicis Operationibus p. 308.*

Si his ita vtitur chirurgus, vt parum adſtringantur faſciae, loraque, ſed, vt, quantum opus eſt, oſſa, moderatius deligata, pedetentim iterum vetuſtae ſedi adſueſcant, tolerabile eſt, et ſatis commodum. Si vero is valentius oſſa comprimit, et ea, quae intorta ſunt, vi cogere annititur, praeter intolerabiles cruciatus illud efficit, vt maiores fiant deformitates, id quod omni ſtudio omnique opera euitandum eſt. Turpe enim eſt, ſi is, qui morbis, in quibus ars parum valet, mederi cupit, corpus vero aliis, grauioribusque, iniuriis obnoxium efficit, maxime in illa artis parte, quae manu curat, in qua, et errorem, et profectum, euidentiorem eſſe, nemo ignorat.

DISSERTATIO VI.

DE CALCVLO AD VESICAM ADHAERESCENTE

PVBLICE PROPOSITA

D. XXIII. DECEMBR. CIↃ IↃ CCXXXVII.

RESPONDENTE

IOHANNE CHRISTIANO TILLING.

§. I.

Inter caeteras artis noſtrae ſalutaris partes, quae, a veteribus traditae, hoc ſeculo maiori ſtudio agitatae, fuerunt, non minima eſt illa perardua et anceps chirurgia, quae calculoſis, quibus plerumque aliter ſuccurri non poteſt, adhibetur. Nemo harum rerum peritus ignorat, in hac curatione tam multa genera et tempora periculi eſſe, vt ille omnis medicinae parens, HIPPOCRATES, qui caeteroquin in arte, quae manu medetur, praeclare fuit verſatus, λιθοτομίᾳ interdixerit diſcipulos, quos iure iurando ſancire oportuit, ſe hanc medendi rationem commiſſuros eſſe τοῖς ἐργάτησιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε; (1) et CELSVS (2) illam tunc demum probaſſe videtur, vbi *vltima experiri ſtatutum eſt.* Imo inter Arabes AVINZOAR (3) calculi ſectionem *tam turpem rem et abominabilem miſeramque eſſe dixit*, vt *non tantum non exerceri, ſed ne adſpici quidem ab honorato viro debeat.* Nihilominus ex CELSO (4) diſcitur, olim Alexandriae

 cele-

1) *In Iure iurando* conf. HENR. MEIBOMII in *illud Comment. Cap. XVI. p. 151 ſeqq.*

2) *L. VII. Cap. XXVI.*

3) vide. MEIBOMIVM c. l. et IOH. FREINDII *Hiſt. Medicinae, in Operibus, Londini, Anno MDCCXXXIII.* impreſſis *p. 498.* Arabes vero omnem genitalium obtutum foedum et irreligioſum habuerunt.

4) Inter Alexandrinos Profeſſores fuit AMMONIVS, qui calculos maiores findere

celebratiores λιθοτόμους floruiſſe, et GALENVS (5) probare videtur, ſuo tempore hanc chirurgiam fuiſſe frequentiorem. Sine dubio enim ipſa neceſſitas, dirique cruciatus, quibus calculoſi excarnificantur, hos ad tam acre aſperumque auxilii genus detruſerunt. Per plura enim ſecula, et medici, et chirurgi, ſe retraxiſſe videntur a lithotomia, quae, operariis hominibus relicta, ante initia XVI. ſeculi in melius mutata haud fuit. (6) Illa vero aetate IOH. de ROMANIS, Cremonenſis Medicus, hanc chirurgiam, additis ferramentis, maxime illo, quod itinerarium vocant, correxit, et aduerſus quaedam pericula tutiorem reddidit. (7) Superuacua foret fuſior commentatio de varia, calculum per diuerſas, etiam manu perfectas, vias protrahendi ratione, quae ab illo tempore abs harum rerum magiſtris propoſita fuit. Hanc enim hiſtoriam alii accuratiorem ſcripſerunt. (8) Quia vero, peracto nunc ſtudiorum curriculo, diligentiae profectusque ſpecimen, more maiorum, edere iubeor, non alienum futurum eſſe exiſtimaui, ſi iam vnam, alteramue, de calculis obſeruationem commilitonibus diſputan-

dere docuit, et ferramentum ad id idoneum excogitauit, quare λιθότομος dictus fuit. vide CELSVM *L. VII. in Praef. et Cap. 26.*

5) vide GALENI *Comment. in* HIPPOCRATIS *Aphoriſmos Sect. VI. Aphor. XVIII. Tom. IX. p. 258. Edit.* CHART.

6) Si excipias, quae de ſectione calculi in foeminis ALBVCASIS habet in *Methodo medendi L. II. Cap. LXI. p. 110. Edit. Baſil. de anno MDXLI*: quae veſicam incidendi ratio fere conuenit cum ea, quam poſtmodum frater IACOBVS a BEAVLIEV adhibuit foeminis.

7) Inuentor fuit magni apparatus. Sic dictus fuit hic calculum extrahendi modus, a numero ferramentorum, quae adhibentur. Ipſa methodus non a IOHANNE, ſed ab eius diſcipulo, MARIANO SANCTO BAROLITANO, vulgata fuit, vide huius *Libellum aureum de Lapide ex veſica per inciſionem extrahendo, cum Commentariis ad* AVINCENNAM *anno MDXLIII. apud Iuntas editum p. 283.*

8) vide Celeberr. HEISTERI *Diſſ. de Apparatu alto et* Celeberr. ELLERI *Obſeru. Medico-Chirurgicas p. 183 ſeqx.* De ortu et progreſſu ſectionis, quae cum apparatu alto fit, opuſculum poſthumum FRANCISCI COLOTI, quod *Pariſiis, Anno MDCXXVII.* prodiit ſub titulo: *Traité de l'operation de la Taille:* in quo libello plura egregia leguntur, maxime, quae ad vrinae reddendae difficultatem pertinent. Nec non *the Hiſtory of the Lateral Operation by* IAMES DOVGLAS, *London, MDCCXXVI.* et *Commentationem* MORANDI *in Comment. Acad. Reg. Scient. A. MDCCXXXI. p. 205. Edit. Batau.*

putandam proponerem. Accepi vero eas ab experientiſſimo Chirurgo, et feliciſſimo lithotomo, GABRIELE SENFFIO, cui calculos expromenti Berolini aliquoties ad latus ſui, cuius autem praematurum obitum, cum omnibus, quibus efficacior chirurgia aliquo in pretio eſt, nunc lugeo. Totius curationis deſcriptione ſupersedeo, quippe quae non, niſi a frequentiori vſu, iterataque experientia, petenda eſſe videtur. Illud tamen addendum eſſe cenſeo, SENFFIVM, qui in lithotomiae adminiſtratione paucos, et conſilio, et manu, habuit priores, omnes ab aliis magiſtris propoſitas calculum curandi rationes fuiſſe imitatum, tandem vero ſubſtitiſſe in ea, quam haud ita pridem propoſuit GVILIELMVS CHESELDENVS, et, quam nunc ſectionem lateralem appellant, quia veſicae ceruix a latere aperitur. Nec mihi iam propoſitum eſt, perſequi, quantum haec methodus ab illa via deflectat, quam frater IACOBVS primus ingreſſus eſt, et quam IOH. IACOBVS RAVIVS in meliorem mutauit, nec etiam illud ſubiicere neceſſe videtur, plagam a CHESELDENO factam fere ſimilem eſſe illi, quam olim CELSVS (9) faciendam propoſuit. Qui haec ſcire cupit, legat opuſculum clari inter Gallos Chirurgi, FRANCISCI HENRICI le DRAN. (10) Nam hic comparatione facta omnes curandi vias, in quas diuerſas chirurgi proceſſerunt, accuratiori examini ſubiecit, atque de ſingulis addidit, quae ſuſpecta ſunt, et timeri oportet, et viciſſim, quae maiorem ſecuritatem pollicentur. Sectionis etiam lateralis adminiſtrationem rectius aliquando deſcribet ſupra laudatus MORANDVS, qui, vt illam a CHESELDENO diſceret, Londinum profectus eſt, poſt vero Lutetiae eandem curationem pluribus calculoſis adhibuit, eosque ad ſanitatem perduxit. (11)

§. II. Quoniam cum iis, qui rationalem medicinam profitentur, exiſtimandum eſt, eum recte curaturum eſſe, quem prima

 origo

9) CELSVS *in Praefat. L. I.*

10) Prodiit *Anno MDCCXXX. Pariſiis* ſub Titulo *Parallele des differentes Manieres de tirer la Pierre hors la Veſſie.* Libellum etiam in ſermonem Britannicum vertit *Thomas Dale, Londini, MDCCXXXI.*

11) *Vide Comment. A. R. Sc. c. l.*

origo causae non fefellit, et quoniam calculi adhaesio sine his haud satis intelligi potest, de eius causis et materia quaedam praemittere mihi integrum erit. Autores per multa magnaque volumina disputauerunt, ex qua materia calculi, tum in renibus, tum in vesica, concrescant. HIPPOCRATI (12) visum est, hoc accidere ex vrina adusta, quae sententia, quod propior a vero sit, infra dicetur. ARETAEVS (13) duplicem causam agnouit, in senibus frigidum corpus, in pueris ignem, et abundantiorem, ex sanguine excoctum, limum. GALENO (14) placuit, in puerorum vesica calculos oriri, ex crassa vrina, et accedente maiori, quo iuniores abundant, calore. Qui GALENVM secuti sunt, fere omnes consentiunt, calculum fieri ex materia lenta, viscida, crassa, limosa, vel lutosa, de eo vero non consentiunt, num haec materia ex calore, num a frigore, in corpus tam durum vertatur. (15) Deflexerunt multum chemici, et THEOPHRASTVS PARACELSVS primus fuit, qui calculum cum illo coagulo, quod ex vino austero considit, ac doliis adhaerescit, et quod tartarum vocamus, comparauit. (16) In Paracelsum tamen inuehitur IOH. BAPTISTA VAN HELMONT, qui, quamuis, calculum ex vrina oriri, cum hoc existimet, nihilominus negat, huic materiam dare illum, per totum corpus diffusum, et vrinae admixtum, tartarum, nec veretur, nouas toti rei tenebras offundere. Nititur enim HELMONTIVS eo experimento, quo chemicis sic dictus spiritus vrinosus cum alcohol vini in offam albidam cogitur, et existimat, idem incidere in vrina. Spiritum enim vrinae apprehendere terram volatilem, et sic, fermento fracido putrescente, suscitari spiritum vini. Nam hunc, quamuis occultus sit, haerere in vrina, et ex his duobus, con-

12) ἀπὸ τοῦ οὔρου ξυγκαιομένου *de Aere Aquis et Locis* §. *XXI.*

13) *De Causis et figuris Morborum Chronicorum L. II. C. III.*

14) *In Comment. in* HIPPOCR. *Epid. L. VI. Com. III. §. 15.*

15) Vide DANIELEM SENNERTVM *in Instit. Med. L. II. P. II. Cap. IX. p. 377.*

16) Vide *eius librum de Morbis Tartareis, et duos alios de Tartaro.*

concurrentibus, oriri nexum adeo firmum. (17) Addiderunt alii chemicorum, neſcio quem, *Gorgoneum* ſpiritum, quo humores, ſimilem in modum, in calculum mutari, exiſtimant, ac olim Gorgonum adſpectu homines obriguiſſe dicuntur: (18) Fert tandem opinio plurimorum recentiorum, calculum concreſcere ex puris particula, ſi talis ex inflammato, pusque alente, vel ex vlcere, exeſo rene, abſcedat, et in huius pelui, aut in veſica, haereat. Nam, huic demum ex vrina materiam inhaereſcere, et in calculum increſcere, exiſtimant. (19)

§. III. Nolim autem ego dubitare, materiam calculi in omni vrina eſſe, eamque fere ſimilem tartaro, qui ex vegetabilium ſucco fermenteſcente conſidit. Culibet facile eſt primum experiri, ſi vrinam, ſani etiam hominis, per aliquot dies in matula relinquat. Nam, quamuis haec, id quod iam HELMONTIVS expertus eſt, per ſpiſſum admodum linum traiecta, et ab omnibus ſordibus purgata, fuerit, nihilominus ex ea cryſtalli ſubrubrae ſubſidunt, et vaſi, vt tartarus dolio, inhaereſcunt. Eſt tamen notabilis

17) Vide *de Lithiaſi Cap. IV. §. I. p. 23.*

18) De GORGONIBVS tribus PHORCYNIS filiabus, ex quarum numero fuiſſe dicitur MEDVSA, et de tota fabula, vide ex veteribus Mythologicis PALAEPHATVM *de Incredilibus Hiſtoriis Cap. XXXII. in Collectione* a THOMA GALE *edita pag. 40.* confer, quae habet SERVIVS in VIRGILII *Aeneid. L. II. v. 216.* et IOH. LVDOVICVS VIVES *in Comment.* in AVGVSTINVM *de Ciuitate Dei L. XVIII. Cap. XIII. p. 409. Edit. Pariſ. de anno MDLXXXV.* De Gorgonibus vero, Lybiae animalibus, quorum adſpectu homines in lapides obriguerunt, ſeu repente extincti ſunt, vide ATHENAEVM *Deipnoſophiſt. L. V. Cap. XX. p. 221.* qui, hoc MARII militibus in expeditione aduerſus IVGVRTHAM accidiſſe, ex veteri Hiſtorico ALEXANDRO MVNDIO prodidit. Gorgon poſtea dictum fuit ſcutum MINERVAE, in quo MEDVSAE caput expreſſum eandem virtutem habuiſſe dicitur, vid. *c. l.* VIRGILII et PLINII *Hiſt. Nat. L. XXXIV. Cap. VIII. T. II. p. 655.* Hinc, quia Corallium, ex mari eductum, molle eſt, mox vero indureſcit, dictum fuit Gorgonia gemma. vide PLINIVM *c. l. L. XXXVII. Cap. X. T. II. p. 790.* et SOLINI *Polyhiſtorem Cap. II. p. 12.* et SALMASII *Exercitationes in hunc locum p. 67.* De Gorgonio ſpiritu vide inter alios GVALTERI CHARLETONII *Spiritum Gorgonicum vi ſua ſaxipara exutum, ſeu de Lithiaſi Diatribam.*

19 vide STAHLII *Theoriam Med. p. 562.* et *Diſſert. de noua Pathologia Calculi.*

bilis differentia inter vrinam, quae mox poſt aſſumptum largiorem, maxime calidae, potum, mittitur, et inter eam, quae hora circiter quarta poſt cibum, et iterum illam, quae poſt duodecim horarum ab omni cibo et potione abſtinentiam, redditur. Prior enim plus aquae trahit, altera admixta habet recrementa, quae ex crudo adhuc chylo per renes in veſicam conueniunt, in vltima autem plurimum eſt illarum rerum, quae, humorum circuitu ipſi corpori, eiusque tum fluidis, tum ſolidis, detritae, per has vias educuntur. Atque igitur plurimum ex vltima deſidit, minimum ex prima; ex qua re intelligitur, craſſam vrinam hac materia potiſſimum abundare, ea tamen non omnino deſtitui tenuem. Quo diutius etiam lotium in aëre, maxime calido, relinquitur, et quo magis illud putreſcit, eo plus etiam huius materiei ex eo ſubſidit, et vaſis adhaereſcit. Illud vero, quod ſic ex vrina concreſcit, tartaro ſimile eſſe, propoſui. Vtrumque enim ex ſale conſtat, cui multum tenacioris olei cum terrae aliqua portione admixtum eſt. (20) Tartaro etiam multum elaſtici aeris ineſſe, experimentis compertum habemus, aera vero etiam ex calculo per ignem educi, non difficile eſt. (21) Praeter haec omnia his duabus, quae ex vino et vrina coguntur, rebus, ſingularis concreſcendi vis eſt. Nam, nec tartarus, nec calculus, dum ex ſuis humoribus exſoluti, in imum vaſis deferuntur, fluxi manent, vt manere ſolet vini craſſior terreſtrisque faex, et αἱ τῶν ὑγρῶν ὑποστάσεις, ſed vtroque, tum tartaro, tum calculo, ſeu corpore vix diſſolubili, interiora vaſorum aequalem in modum incruſtantur. Longe etiam durior firmiorque coagmentatio fit, ſi tartarus ex vino iam defaecato, vetuſto, calculus ex vrina tenui, et pallida, coiuerunt. Nam ex vino nouitio, faeculentoque, et ex vrina craſſa, parumque liquida, tartarus rarior, calculusque arenoſus, et vterque magis ſolubilis, obtinetur. §. IIII.

20) vide *Tartari analyſin in Celeberrimi* NEVMANNI *Lect. Phyſ. Chemicis haud ita pridem editis.*

21) Vide *The Statical Eſſays, containing vegetable Staticks by* STEPHEN HALES, *in the Appendix, containing an Attempt to analyſe the Air p. 193. et Vol. II. containing Haemaſtaticks, in the Account of Some Experiments on ſtones in the Kidneys and Bladder.*

§. IV. Fluida autem quieſcentia in ſaxeam duritiem concreſcere poſſe, alia quaedam docent. Aquae enim puteanae, maxime pigrae, et quibus, crebro hauſta, nulla exercitationis ratio contingit, vt et aliae, ex flumine, minus velocem curſum habente, deductae, ſi ad vſus domeſticos decoquuntur, vaſa craſſioribus cruſtis, tartaro ſimillimis, obducunt. MARTINVS LISTERVS animaduertit, fiſtulas, quibus Pariſiis aqua Sequana erigitur, et per vrbem diſtribuitur, cruſtari ita, vt neceſſe ſit, illas refricari. Aquam vero hanc illud praeſtare, vt Pariſiis calculoſi frequentiores ſint, quam aliis locis. (22) Iſtud enim parum refert, ſi aquae, quibus ad potum vtimur, ex arenoſis locis captae fuerint, id quod STEPHANVS HALESIVS (23) exemplis probat. Arena enim colantes fontes meliores fieri, leuioresque, a vero propius eſt. Praeterea ex numero vegetabilium lapidoſi generis pira illud probant, et in animalium corporibus illi, in aliis ſedibus, felle inprimis, reperti calculi, vt et tubercula, quae ex callo ſuper articulos eorum innaſcuntur, qui multis crebrisque podagrae doloribus vexantur. Nec mirum videri poteſt, ita cogi poſſe vegetantium et animalium ſuccos, ſi cogitamus, omnia corporis noſtri ſolida ex fluidis habuiſſe, et ortum, et incrementum. Quare, ſi iidem ſucci non ſuis vaſis continentur, ſed, ſi alio loco in corpore haerent, et quieſcunt, facile incidit, vt, difflatis per calorem aqueis, ſolidae, eaeque gelatinoſae, partes ſibi adunentur, et dureſcant.

§. V. Vt vero ad calculum redeam, quamuis ille in multis cum vegetantium tartaro conueniat, eſt tamen quaedam inter haec duo diſcrepantia. In tartaro enim, ſi is purus eſt, et non ex faeculenta materia, ſed ex vino, cui iam aliquid, aetatis acceſſit, coiit, parum terrae eſt, plurimum ſalis; quare etiam tartarus, ſi aquae diutius incoquitur, liquari poteſt. In calculo vero vetat illud

22) Vide MARTIN LISTERS *Iourney to Paris, in the Year MDCXCVI.* p. 137.

23) *l. c. in the Account of ſome Experiments on Stones p. 241.*

lud facere crudior et lapideſcens terra, ſalibus oleoque admixta. Illud etiam, quod poſt tartari deſtillationem in vaſe reſiduum eſt, caput mortuum vocant, aere liqueſcit, non vero id, quod ex calculo relinquitur. Praeter haec omnia ipſae partes, ex quibus haec duo componuntur, inter ſe non parum differre videntur. Vegetantibus enim ſales acidi ſunt, qui in animalibus vi vitae tandem ita inuertuntur, vt alcaleſcant. Omittendum tamen non eſt, hominis vrinam, cum is multo ſale marino veſci ſolitus ſit, non minimam partem huius ſalis trahere, a quo tamen haud tam facile calculum oriri exiſtimo, quam ab acido vegetabilium fermenteſcente, vel etiam ab hoc iam alcaleſcente.

§. VI Nemo hanc rem maiori diligentia perſecutus eſt, quam Doctiſſimus Vir, STEPHANVS HALESIVS, qui, vt medicamentum inueniret, quo calculus liquefieri poſſet, multa de eo experimenta cepit. Ante hunc etiam alia quaedam, adhibito prae caeteris igne, tentauerat FRIDERICVS SLARE. (24) Deprehenderunt vero, poſt multam fruſtra adhibitam diligentiam, animalem tartarum, ſeu calculum, fere indiſſolubilem eſſe, nec iis etiam liquoribus, quibus metalla ſoluuntur, facile vinci poſſe. Alienum a noſtro propoſito foret, iam omnia, quae ſingulari ſtudio expertus eſt Cl. HALESIVS, adducere. Non poſſum tamen non pauca de iis commemorare, quia nihil optabilius eſſe videtur, quam eiusmodi remedii inuentio. Acidus nitri ſpiritus, paucis horis, magna excitata ſpuma, calculum ſoluit, oleum vero vitrioli intra duos, vel plures, dies vix minora eius fruſtula liquare potuit. Citius, et ſpatio quinque horarum, id factum eſt, ſi illi acido liquori adiecta fuit, per vices, aequis portionibus ſpiritus cornu cerui, cum calce viua paratus, qui vero liquores, dum efferbuerunt, magnam vim caloris excitarunt. Nec talia vnquam ferre poſſet neruoſa veſica, quam his acrioribus agitari periculoſum foret. Deprehendit itaque HALESIVS calculos, vix aliquo, niſi affuſo efferueſcente, humore, liqueſcere, et iteratis experimentis cognouit,

24) *In the Philoſophical Transactions abridg. Vol. III, p. 178d.*

uit, ad id inprimis valere ſalem illum tartari, ſi aqua excipiatur, et ei pedetentim adiiciantur pauciores guttulae olei ſulphuris. Haec vero non ſolum certa menſura, ſed certo etiam modo, inter ſe miſceri oportet. Vnciam igitur ſalis tartari exceperunt quatuor vnciae aquae. Poſtmodum huius ſalſi liquoris tantum, quantum habet tertia pollicis pars, dilutum fuit tribus portionibus aquae, ſeu, quantum habet vnus pollex. His ita mixtis, ſi calculus perfunditur, et per vices adiiciuntur triginta guttulae olei ſulphuris, omnia valentius efferueſcunt, ita, vt multum aeris ex calculo ebulliat. Hic vero, modo non nimis adſtrictus fuerit, ſed arenoſus, ſic molliri potuit, et liquari. Omnis tamen vis periit, ſi liquores deferbuerunt, bullasque mittere deſierunt. Atque ita, poſtquam calculo, qui trecenta et quatuordecim habuit grana, nouies et quadragies illi dicti liquores fuerunt affuſi, centum et triginta quatuor grana fuerunt abſumpta, et exeſa, id quod vero remanſit, durum fuit, et, nec hac, nec alia, ratione vinci potuit. Vt vero clarum eſſet, multo adſtrictiorem durioremque eſſe calculum, quam tartarum, et cum hoc experimenta facta ſunt. Aequalis enim portio tartari liquata fuit, poſtquam illa quinquies iisdem liquoribus feruentibus fuit demerſa. Minus, vt iam retuli, ad id valet illa compoſitio, poſtquam deferbuit. Et calculi haud quidquam, tartari vero iam memorata portio vix ſpatio triginta horarum liquefacta fuit. Tandem etiam, vt deprehenderet, num veſica his laedi poſſet, pericula fecit in canibus, et per ſiphonem in veſicam compulit feruentes hos liquores. Nec valde impatiens viſum fuit animal, quod tamen immiſſum liquorem aegrius tulit, cum is, aucta acidi portione, acrior factus eſſet. Nec in ſecto cane, huiusque veſica, quidquam alienum inuentum eſt. Nec magna offenſio accidit cani foeminae, in qua per duodecim dies res iterata fuit. Viſae tamen ſunt HALESIO fibrae, et veſicae, et adſitarum partium, hoc liquore aliquantum obriguiſſe. Haud minus curioſa ſunt, quae in ceparum ſucco deprehendit. Hoc enim, ſi is, aqua dilutus, per quindecim dies modico tepore caluit; arena, quam

duo homines cum vrina reddiderunt, liquata fuit, qua re permotus existimat HALESIVS, ceparum succum vim habere non minimam in vincendo hoc renum et vesicae coagulo. Nota sunt, quae ab aliis relata legimus, nihil magis valere ad auertendos diros nephritidis cruciatus, quam allium, cepasque, si iis calculosi certis temporibus vescantur. (25) Quid aqua calida in soluendo calculo valeat, tum quiescens, tum mota, idem autor exposuit. Mihi satis est, haec pauca, quae legi omnino merentur, de his experimentis delibasse. Quibus addi possunt experimenta, quae de calculis, aqua simplici soluendis, Parisiis fecit LITTRIVS (26)

§. VII. Atque ita similius veri omnino esse videtur, calculum ex humoribus nostris desidere, hocque ex vtroque genere salium, tum ex acidis, tum alcalescentibus, fieri. Nemini enim obscurum esse potest, omnia vegetantia, dum fermentescunt, ex viscidis et mucaginosis fieri acida; in animalibus autem omnes succi a primo receptaculo, quod ventriculus est, dum immutantur, tendunt in alcalescentem putredinem. Ex fermentantibus vero aeque, ac putrescentibus, exsoluitur oleum, quod terrae, et fixo, vt aiunt, sali, valentius inhaeret; et haec inuicem permista, si crassa sint, et cruda, nec per calorem tenuentur, demum, in tartarum atque calculum cogi, probabile est. Cum autem hoc magis ex crassa, parumque liquida, vrina, minus ex diluta et aquosa fiat, non difficile est videre, omne auxilium esse in aquosis, quibus vrina dilutior redditur, et quae sine calore atque stimulo vrinam mouent. (27) Intelligitur etiam, HIPPOCRATEM per adustam vrinam crassam significasse, et talem, quae minimum aquae, plurimum olei, salis terraeque habet, quae omnino gignendo calculo prae aliis idonea videtur.

§. VIII. Vt vero nunc in viam redeam, calculus, qui in vesica

25) Ceu certissimum προφυλακτικὸν extollitur alcohol vini, in quo per viginti et quatuor horas demersum fuit allium. *in Ephem. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 55.*

26) *In Hist. Acad. Reg. Sc. Anno MDCCXX. p. 30. in Comment. p. 568.*

27) Confer *modo citata* LITTRII *experimenta.*

ſica eſt, vel in hac progignitur, vel, id quod frequentius incidere videtur, ex renibus deuoluitur, et in veſica demum magis et magis increſcit. In medio enim calculorum, qui ex veſica, vel viventium, vel demortuorum, educuntur, duriores eiusmodi quaſi nuclei reperiuntur, qui poſtmodum, indies noua ex lotio accedente materia, ſuperincreſcentibusque cruſtis, aucti fuerunt. (28) In renibus vero calculi formari videntur, vel ex ipſa, et ſola, vrina, ſi illa craſſior in minoribus fiſtulis BELLINI, vel in renum cavo, ſeu pelui, ex quacunque cauſa quieſcit, ex qua dicta materia deſidit, ac ſenſim adaugetur. Hoc etiam accidit, ſi puris particulae in his ſedibus haerent, cui eadem materia adhaereſcit. Experimentis enim compertum eſt, pus, linteo carpto exceptum, ſi per tempus in matula relinquitur, calculoſa materia obduci, ac cruſtari, (29) quare et, illud in renibus ac veſica incidere, vix dubitandum eſt. Forte etiam ex alia, cum ſanguine ad renes concurrente, lenta, viſcidaque, materia, ſi ibi haeret, calculi initium ducitur, qui poſtmodum, vt retuli, incremento ex vrina augetur, et, in veſicam deuolutus, ibique haerens, in immenſam ſaepe molem increſcit.

§. IX. Hanc increſcendi rationem in renibus et veſica confirmant experimenta ab ANTONIO NVCKIO (30) facta, qui in viui canis veſicam globulum ligneum immiſit, et glutinato vulnere ibidem reliquit. Nam poſt aliquot ſeptimanas, inciſo cane, globulus exiguis calculis, ſeu cryſtallis, incruſtatus, fuit repertus. Rem etiam ad oculum demonſtrant illae, quae in diffractis calculis conſpiciuntur, lamellae, cum colore, tum denſitate, non parum diuerſae, quarum lamellarum, vel cruſtularum, numerus ipſa magnitudine calculi augetur. Inducuntur enim hae cruſtae ex vrina, quae, ſi multa materia abundat, ruffaque eſt, ac diutius

28) Calculum, qui alium mobilem, aetitis in modum, comprehendit, ex veſica iuueni eduxit IACOBVS DENYS, *in Obſ. Chirurg. de Calculo, Lugd. Bat. 1731. p. 65.*

29) Vid. *diſſert.* THOM. HVMPHREY *de Calculi vrinoſi generatione et incremento, Lugd. Bat. 1736.* qui hoc experimentum a IOH. IACOBO RAVIO factum adducit *§. XIII. p. 14.*

30) *In Adenographia Cap. VII. p. 78*

in vesica haeret, dat rubri coloris testas, easque arenosas, ac molles. Quae vero ex pallida et tenui formantur, minus obscurum colorem, maioremque densitatem, habent. Imo, si lotium aquosum sine mora et difficultate redditur, nihil calculo accedere videtur, quare, illo tempore calculum a contracta, superque eum mota, vesica quasi laeuigari, probabile est. Atque HALESIVS (31) animaduertit, calculos ideo hyeme minus grandescere, quam aestate. Nam cohibita per aera gelidum exspiratione ac sudore, plus humoris per cutim excerni soliti trahitur per vesicam, et vrina semper plus aquae habet, minus tartari, seu illius materiae, ex qua calculus cogitur.

§. X. Non autem omnes calculos, qui vesicam infestant, ex renibus deuolui, aliis experimentis deprehendimus. Adeo rarum insolitumque haud est, ex vesica educi calculum, qui peregrinis rebus, quae per naturales vrinae vias, vel per alias casu perfectas, in vesicam detrusae sunt, adnatus est. Vt quaedam ab autoribus commemorata exempla proferam; in calculorum ex vesica, et aliquando vreteribus, extractorum, meditullio, inuentus fuit sanguinis grumus, (32) pilorum fasciculus, (33) frustulum radicis petroselini, (34) penna gallinae, (35) cereus minor, (36) turunda, (37)

31) *c. l. p. 225.*

32) In puella post mortem extractus fuit ex vretere calculus, huic arctius inhaerens, qui figura caryophyllum aromaticum repraesentauit. In medio is habuit materiam nigricantem, quam, ex coacto sanguine ortam esse, omnes deprehenderunt. *Obs.* CAROLI RAYGERI *in Eph. Nat. Curios. Dec. I. Anno III. Obs. CCXXXV. p. 502.*

33) Qualem RAVIVS ex foemina extraxit, quae capillorum mercaturam fecerat. Crines calculosa materia aliquantum incrustati sunt. vide figuram in DENYSIO *c. l. Tab. IX. fig. 18. confer p. 66.*

34) Vide RVDOLPHI IACOBI CAMERARII *Spicilegium Pathologicum de Calculis Renum et Vesicae, Tubing. MDCXCVIII. §. 24. p. 13.*

35) Penna ad tertium digitum longa, ex parte calculo obducta fuit, et ex virgine viginti annorum viua educta. Vide *la Pratica delle principali Operazioni di Chirurgia, che riguardano il Professore Litotomo ed Oculista, da* GIROLAMO MARINI, *in Roma, MDCCXXIII. Cap. VII. §. 9. p. 139.*

36) Quem sibi in vesicam immiserat monialis virgo, cum dysuria ex sic dictis carunculis laborasset. Hunc calculo incrustatum eduxit THOMAS ALGHISI, qui eum etiam delineatum dedit in *Litotomia, Florentiae, Anno MDCCVII. edita, Tab. III. fig. 2. confer p. 13.*

(37) tomex, ſeu funiculus cannabinus, (38) glans plumbea, (39) acus oſſea, (40) acus ferrea, (41) aliud ferramentum, *eguillette*, (42) bacillus eburneus, (43) bacillus ſtanneus, (44) vt alia nunc taceam.

§. XI. Quin vero illud addam, quod Berolini ipſe vidi, mihi imperare nequeo. Malo autem morbi hiſtoriam ex literis beati SENFFII, quas eo tempore ad D. Praeſidem dedit tranſcribere. *Ante aliquot hebdomadas duobus viris, et puero ſeptem annorum, nec*

37) Homo, qui, a tauri ſilueſtris cornu in hypogaſtrio ictus, graue vulnus acceperat, iterum conualuit, aſt chirurgus in vulnere reliquerat turundam maiorem, quae poſtmodum in veſica ad pugni magnitudinem per calculoſam materiam creuit, et tandem chirurgi manu expromenda fuit. vid. TVLPIVS *in Obſ. Med. L. III. Cap. IX. p. 195.*

38) Exſectus is fuit ex clerico homine. Hic vero bonus vir aliis perſuadere voluit, ſe aliquando ſitienter hauſiſſe aquam ex ciſterna, et aliquid deglutiiſſe, ab eo autem tempore ortos ſibi in hypogaſtrio eſſe cruciatus. Vide MARINI *c. l. Cap. VII. p. 137.* Alium calculum ſuper funiculum concretum et minus feliciter ex vrethra extractum, vide in *Act. Nat. Cur. Vol. IV. Obſ. 24.*

39) Vide H. F. HILDANVM *Obſ. Chirurg. Cent. III. Obſ. 67. p. 250. et de Lithotomia Cap. III. p. 710 in Operibus.* THOMAM BARTHOLINVM *in Epiſt. Med. Cent. III. Ep. 35. p. 128.* vbi etiam figura expreſſa eſt: Et recentius exemplum a MORANDO propoſitum *l. c. de la Taille an haut Appareil p. 224.* confer *Hiſtoriam A. R. Sc Anno MDCCXXV. p 30.* WILLIAM CHESELDENS *Treatiſe on the High Operation for the ſtone Tab. X. lit. D.*

40) Vid. AMBROSII PARAEI *Opera L. XXIV. Cap. XIX. p. 745.* ſuper acum crinalem oſſeam calculum concretum demonſtrauit ANTONIVS MOLINETTVS *in Theatro Patauino, teſte* THOMA BARTHOLINO *Epiſt. Med. Cent. II. Ep. 87. p. 688.* vide ipſum MOLINETTVM *in Diſſert. Anatom. Pathолog. Venet. MDCLXXV. L. VI. Cap. VIII. p. 310.* vbi et figuram expreſſit. vide etiam CHESELDEN *l. c.* et *the Philoſophical Transactions abridgd Vol. III. p. 162.* vbi talis acus deglutita et per rectum in veſicam delata eſſe dicitur, poſt vero extracta. Plura ibi leguntur exempla, quorum quaedam non omni dubio carere videntur.

41) Calculum acui ferreae inhaerentem deſcribit ex ALEXANDRO BENEDICTO, MARCELLVS DONATVS *de Medica Hiſtoria admirabili L. IV. Cap. XXX. p. 267.* et nuper talem delineauerunt CHESELDEN *l. c. lit. A.* et ANDREAS BROWN Chirurgus *in the Medical Eſſays d'Edimburg Vol. IV. Tab. III. fig. I. Obſ. XVI. p. 297.* Vltimus ex puellae veſica poſt grauiores, quos perpeſſa eſt, cruciatus deuolutus eſt. Vide etiam acum ex aurichalco, cui calculus adhaeret, *in the Philoſophical Transactions Vol. III. Tab. III. fig. 43.*

42) TOLET *Traité de la Lithotomie Cap. V. p. 27.*

43) Quam delineauit ALGHISI *l. c.*

44) Aliquando puero calculum eduxit RAVIVS, in quo prominuit ſtanneus apex. vide DENYS *l. c. Cap. I. p. 68.*

nec non hoc ipſo die alii, qui ſex annos natus eſt, omnibus calculoſis, ad methodum RAVII, *incidi veſicam. Inter priores fuit vir quadraginta annos habens, temperamenti melancholico-ſanguinei, qui aliquot, maxime tribus, abhinc, annis, cruciatu acerbiſſimorum dolorum adeo confectus fuit, vt de lectulo ſurgere vix potuerit. Suſpicio nata eſt, veſicam eſſe exulceratam, quod non ſolum ante ſectionem crebrius cum vrina cruentum purulentumque excerneretur, ſed, quia iam ex vulnere pus cruorque feruntur. Calculus exemtus eſt, qui maior fuit, aſt mollis. et ex pluribus, ſed inter ſe parum adſtrictis, compoſitus. Fragmenta dilapſi calculi pependerunt vncias quatuor ſemis, id quod vero mirabile viſum eſt, illa comprehendunt glumas hordei, cum aliqua parte ipſius ſpicae, quam calculo opertam, etiam hoc tempore, oſtendere poſſum. Crediderim, calculum membrana incluſum fuiſſe. Nam et hoc tempore, quo haec ſcribo, cum per naturale vrinae iter, tum per vulnus, redditur vrina arenoſa, et quae multas ſquamulas, quibus calculi intus diſſipati reliquiae adhaerent, ſecum trahit. Cum vero ab ipſo ſectionis die nulla pericula orta fuerint, ſpes eſt, aegrum ſaluum futurum eſſe. Qua ratione vero ſpica in veſicam detruſa fuerit, et ibi calculo obducta, fateor, me ignorare. Suſpicor, aegrum habuiſſe, et aluum, et veſicam, vlcere exeſam, et per iſtam viam conditam fuiſſe ſpicam. Ab aegro hoc exquirere fruſtra tentaui, qui omnia ſe ignorare ſimulat. Scribe quaeſo, quae de his ſentias, etc.* Reſpondit Praeſes, ſibi extra dubium videri, aegrum aliquando, cum illum alii iam in veſica haerentes calculi pungerent, atque peruellerent, vel ludibundum petulantemque, ſpicam per naturale vrinae iter demiſiſſe, et poſtmodum, cum illa obnitentibus rigidis glumis, ſine aſperioribus doloribus protrahi non potuerit, ſatius viſum fuiſſe homini, totam ſpicam in veſicam compellere, quam illos cruciatus ex dilacerata vrethra perferre. Et totam rem ita actam eſſe, homo ad accuratiorem diſquiſitionem vocatus tandem aperte et ingenue faſſus eſt.

§. XII. Calculi autem molles, qui adeo facile dilabuntur, veſicae

veſicae etiam adhaerere ſubinde dicuntur, id quod, num, et quomodo, fiat, diſpiciendum eſt. Sunt plures ex praeſtantiſſimis autoribus, qui, vnquam calculum et veſicam inter ſe glutinari poſſe, negant. Neque enim credunt, hoc fieri poſſe, vel propter interioris membranae laeuorem atque pituitam, quae per eam deſtillat, omniaque lubrica reddit. Hac enim prohiberi, quo minus ad veſicam quidquam adhaereſcere poſſit. Hanc praeterea eſſe mobilem, mox contractam, moxque ab vrina diſpanſam; ad cohaerentiam vero nulla re magis opus eſſe, quam quiete. Neque etiam, fidem habendam eſſe chirurgis, contendunt. Hos enim ſaepe, ſi calculum, vel haud reperiunt, vel deducere nequeunt, vel, dum ferramentis ad ipſam veſicam perueniunt, illam conuulnerant, aut duplicatam adducunt, aut aliter agitant, longaque inquiſitione laedunt, pericula, orta inde non merenti veſicae attribuere, et imperitiae ſuae ex adhaeſione, quam praetendunt, patrocinium ac velamentum quaerere. Imo et illud incidere tales probant, vt, ſi veſica ab aſperiori calculo grauiter offendatur, in ea carunculae creſcant, has autem, ſi cum calculo protrahantur, chirurgis opinionem facere, calculum veſicae adhaeſiſſe, et ideo ſine noxa educi non potuiſſe. FRIDERICVS RVYSCHIVS, qui inter eos, qui ita ſentiunt, principem locum tenere videtur, talem veſicam, corrupta carne intus exaſperatam, figura expreſſit, (45) Cum RVYSCHIO, praeter alios conſentientes, inuenio THOMAM ALGHISI, (46) et FRANCISCVM COLOTVM, (47) quorum poſtremus ſententiam ſuam multorum experimentorum obſeruatione confirmat.

§. XIII. Contra, tum ex veterum, tum recentiorum, numero plures ſunt, qui hanc veſicae et calculi conglutinationem amplectuntur, eam ex rationibus et experimentis deducunt, atque, cal-

45) Vide *Theſaur. Anat. II. Tab. II. fig. 1.* et *Aſſere III. No. 5. p. 30 ſq.* Appellat carunculas iſtaa *ramoſas excreſcentias.*

46) *l. c. Cap. IV. p. 25.*

47) *l. c. p. 117 ſeqq.*

calculoſos hinc multum periclitari, oſtendunt. Hoc enim iam a CELSO factum legimus, (48) qui, inter alia calculorum genera, quae mortem maturare poſſunt, et illud retulit, *ſi ſpina aliqua veſicae inhaereat, eamque, cum deducitur, duplicauerit.* Etiam, qui in morbis deſcribendis mira accuratione vſus eſt, ARETAEVS CAPPADOX, (49) ſignum propoſuit, ex quo colligere poſſint medentes, calculum cum veſica cohaereſcere. Et praeter haec omnia, iſta calculorum adhaeſio multa obſeruatione, quae apud praeſtantiſſimos autores legitur, comprobata eſt. Sunt vero, qui exiſtimant, tribus potiſſimum modis, et triplici ex cauſa, accidere poſſe, vt calculus cum veſica cohaereſcat. (50) Prae caeteris illud frequentiſſimum eſſe videtur, calculos tunica aliqua includi, quae res ſummam difficultatem parit chirurgis. Si enim omnibus aliis indiciis cognoſcunt, in veſica calculum eſſe, et aegri ipſi, ſe eum ſentire, aſſeuerant, nihilominus, ſi catheter per vrinae iter demittitur, nihil aſperum, nihilque durum, in veſica offendunt, quae, in aliis caſibus certiſſima calculi indicia eſſe, nouimus. Ita olim GABRIELI FALLOPIO euenisſe, a MARCELLO DONATO relatum legimus. (51) Ad hunc enim ſenex venit, quem calculoſum eſſe, plures aliae, euidentesque, notae ſignificabant, calculus vero catheteris contactu, nec a FALLOPIO, nec ab aliis chirurgis, inueniri potuit, et omnes, hoc ſeu inſolitum mirati, hominem curare noluerunt. Is tandem poſt longos miſerosque cruciatus

48) *L. VII. Cap. 26. §. 2.*

49) ἢν δὲ ξυμπεφύκη τῇ κύϛι λίθος, διάδηλος μὲν τῆσι μελεδώνεσι. Sic omnes legunt libri impreſſi, aſt in codicibus MSCtis rectius legitur μελδώσεσι vide *varias lectiones in Edit.* IOH. WIGAN *Oxon. MDCCXXIII edita.* Locum enim olim IVNIVS PAVLVS CRASSVS *in Medicis Antiquis p. 61.* ita verterat: Quod ſi veſicae inhaereſcit calculus, ex contriſtationibus patefiet. Sed iam HENRICVS STEPHANVS *Med. Art. Princip. Collect. T. I. p. 41.* ſcripſit; colliquationibus, quem ſecutus eſt GEORGIVS HENISCHIVS in ARETAEO *Anno MDCIII. edito* qui etiam alteram lectionem Graeco textui adpoſuit.

50) Vide *Diſſert. inauguralem de Calculo Veſicae a* CHRISTIANO LVDOVICO ROSA *Argent. Anno MDCCXIII. propoſitam.*

51) *l. c. L. IV. Cap. XXX. p. 266.* ſimilem calculum glabra membrana veſtitum ex equa exſectum vide *in Hiſt. Acad. Reg. Sc. Anno MDCC. p. 52.*

ciatus obiit, et, inciſa veſica, inuentus fuit calculus inuſitatae magnitudinis, aſt multo craſſoque humore, ceu quaſi anguillae cute obductus, quae mollitudo impedimento fuit, quo minus calculus, cathetere ictus, perciperetur. Rarius vero calculi ita muco veſtiuntur, frequentius vero ii ſe tunica induunt ex ipſa, in qua haerent, veſica, et tunc aeque difficile eſt, illos inueniri, qui etiam tuto, nec conquiri, nec attrahi, poſſunt. Norunt anatomici, vreteres, per quos a renibus deſcendens vrina in veſicam deſtillat, dum ad hanc a tergo perueniunt, non recta in eius cauum ferri, ſed oblique procedere, et aliquam eorum partem veſicae tunicis, muſculoſa, neruoſaque, comprehendi. Ita vero prouiſum eſt, ne vrina, quae in veſicam venit, redire poſſet, renesque offendere. Hic ſaepe calculi gignuntur, dum deſidentes ex lotio arenulae inter illas tunicas ſubſiſtunt, quae indies noua ex vrina accedente materia ſuperincreſcunt, tandemque membranas, ſub quibus deliteſcunt, diducunt, atque leuant. Hoc enim non in ſola veſica repertum fuit, ſed etiam in aliis corporis ſedibus, vbi tales ductus, humorem ferentes, ſimili ratione cauo inſeruntur. Atque ita viginti duos calculos, qui intra duodeni membranas haeſerunt, vbi in illud, et cholodochus, et pancreatis ductus, finiuntur, habuit octogenaria, quae, per apoplexiam reſoluta, repente fuerat extincta. (52) Imo tales calculi, ſi ex vreteribus in veſicam haud excidunt, ſed intra membranas haerentes increſcunt, videntur ſibi nouam viam facere, dum, contracta ſubinde valentius veſica, intra modo dictas tunicas, verſus ceruicem, propelluntur. Et haec cauſa eſt, cur ſaepe in locis, qui ab vreterum oſculis remotiores ſunt, reperiantur. Sic infra vreteris os duos calculos, tunica incluſos, et ad hos vsque penetrantes fiſtulas, animaduertit LITTRIVS, qui peculiarem commentationem de hoc calculorum genere dedit. (53) Et hi ſunt illi calculi, qui, nec mediante cathetere facile inueniuntur, nec ſine ſummo vitae periculo euelluntur. Imo

52) Vide *H. A. R. Sc. Anno MDCCX. p. 48.* 53) Vide *c. l. Anno MDCCII. p. 34.*

RAVIVS, expertae probataeque audaciae lithotomus, teſte DENYSIO, (54) ſi talem calculum adhaerentem in veſica deprehendit, praedixit, eum ſine noxa educi non poſſe, et ſatius duxit, aegrum non curare, quam fruſtra, et cum maximo periculo, calculum agitare. Aliquando is calculum forcipe iam concluſum tenuerat, cum vero eum haud promouere poſſet, reliquit, et vulnus glutinauit. Aeger poſt aliquod tempus, alio morbo conflictatus ipſe, vt corpus poſt obitum inciderent, monuit medentes. Hi RAVIO veſicam miſerunt, iuniperi ſpiritu demerſam, quae, vt is praeuiderat, intra tunicas habuit grandiorem calculum. Et videre potuit in illa tunica, qua calculus veſtitus erat, veſtigia, quae admotum ferramentum impreſſerat. Illud etiam iam ſuo tempore cognouit PETRVS FRANCVS, qui calculorum, tunica ſua veſtitorum, hiſtoriam et prognoſin accurate perſecutus eſt. (55) Et ſimiles hiſtorias

54) *l. c. Cap. V. p. 68.*

55) In rariſſimo libello, in quo primus ſectionem veſicae hypogaſtricam propoſuit. Eius titulus eſt: *Traité des Hernies contenant une ample declaration de toutes leurs eſpeces, et autres excellentes Parties de la Chirurgie, as ſavoir de la Pierre, des Cataractes des yeux, & autres maladies, deſquelles comme la cure eſt perilleuſe, auſſi eſt elle de peu d'hommes bien exercée: Avec leurs cauſes, ſignes, accidens, anatomie des parties affectées, & leur entiere guariſon par* PIERRE FRANCO *de Turriers en Provence, demeurant à preſent à Orenge, a Lyon, par Thibauld Payan, 1561. Cap. XXXI. p. 117.* haec leguntur: *D'avantage advient quelque fois que la pierre eſt attachée au plus hault de la veſſie, ou bien en quelque partie interne d'icelle envelopée d'un cyſte ou ſachet adherant à la veſſie bien fort: tellement, que l'on diroit que c'eſt comme la membrane de la veſſie. Car combien que l'algalie ou autre inſtrument la toucheroit, on ne pourroit faire jugement vray, ſi c'eſt pierre ou non: à cauſe de ſa couverture. Ce cyſte peut eſtre fait, quand la pierre entre de l'uretaire en la veſſie: laquelle pierre peut acquerir quelque groſſe matiere, ſi elle ſe repoſe gueres à l'entrée de la veſſie, dont par ce moyen peut eſtre fait un cyſte, lequel demeure adherant a laditte veſſie, & couure la pierre. Pareillemeut peut advenir, que la pierre eſtant engendrée aux roignons, & par la vertu expultrice envoyée en la veſſie, par les uretaires; que voulant entrer dedans la veſſie, eſt retenue entre les deux membranes, deſquelles la veſſie eſt compoſée. Et auſſi à cauſe de l'Imbecillité des roignons, & de la vertu, ou de la groſſeur de la pierre, ou de tous enſemble, & la s'adhere, et croit, & ſemble qu'elle ait un cyſte à part, lequel elle peut avoir, ainſi qu'a eſté dit. Or on pourra pour mieux entendre ces choſes, conſiderer l'anatomie de la veſſie, telle qu'avons eſcrite, ou l'on trouvera que l'uretaire entre*

rias prodiderunt IACOBVS HOLLERIVS, (56) MARCELLVS DONATVS, (57) NICOLAVS TVLPIVS, (58) THOMAS WILLISIVS, (59) THEOPHILVS BONETVS, (60) Nouo autem exemplo rem confirmauit Celeberrimus VATERVS, qui in calculoſi veſica, poſt mortem inciſa, tres calculos, membrana incluſos, inuenit, et delineauit. (61) Homini illi ante mortem intra duos circiter annos quinquaginta, et plures, calculi cum vrina exciderant. Imo calculi, dum in vreteribus, interque veſicae tunicas, increſcunt, ſaepe figurantur. Oblongum, et propter figuram notabilem, calculum, in vretere formatum, quem poſt mortem eduxerat, expreſſit THOMAS ALGHISIVS. (62)

§. XIIII. Exiſtimo, etiam calculos, ſi iuxta vreterum ora aliqua demum ſua parte veſicae adhaerent, eandem habere originem. Dum enim moles, nouo indies ſuperueniente augmento,

 in-

tre en la veſſie diagonellement: qui eſt la cauſe, vue plus facilement la pierre peut eſtre retenue & par ce moyen empeſcher l'entrée de l'urine dans la veſſie: qui eſt cauſe de grands inconveniens. Or combien qu'elles ſoyent la attachées, je croy, qu'elles ne laiſſent pourtant de venir empeſcher & eſtouper le conduit ou orifice de la veſſie, & empeſcher l'urine de ſortir en partie, d'autant que la veſſie en ſa plus haulte partie n'eſt pas liée: ains fait une reflexiou en bas: & auſſi a cauſe de la violence & irritation de la vertu expultrice. Dont je conſeille, que ſi l'on peut avoir cognoiſſance de telles choſes, il vaut mieux les laiſſer, que les entreprendre a guerir pour le danger. D'avantage, elles ont tels ſignes, que celles qui ſont en leur liberté en la veſſie, horsmis qu'elles ne font pas telle douleur à la poincte de la verge, pour ce que ne peuvent ulcerer le col de la veſſie, d'autant qu'elles ſont couvertes de leur cyſte. Pour ce il ſeroit impoſſible les tirer, qu'on n'arrachaſt la veſſie, ou pour le moins qu'on ne fiſt grande violence en la partie, ſi le dit cyſte adheroit trop fortement, comme eſt bien poſſible: tellement, que ayant fait tels efforts à la ditte veſſie, la fieure pour le moins s'en enſuit & le plus ſouvent la mort.

56) *De Morbis internis L. I. Cap. 49. in Scholiis p. 524.*

57) *l. c. p. 267.*

58) *Obſeruat. Med. L. III. Cap. V. p. 87.*

59) *In Exercitat. Epiſtol. de Vrinis Tom. I. Operum p. 245.*

60) *In Anatomia Practica, ſeu Sepulchreto, L. III. Sect. XXXII. Obſ. IV. p. 1182.*

61) Vide *Diſſert. inauguralem de Obſeruat. rariſſimis calculorum in corpore generationem illuſtrantibus, Witteb. MDCCXXVI.* nec non *the Philoſophical Transactions abridged Vol. VII. p. 531.*

62) *c. l. Tab. III. fig. VI.*

increſcit, tandem pars calculi ex membranis erumpit, altera pars his adglutinata et impedita manet. Huiusmodi calculum vero diducere, non quidem ſine periculo eſt, aſt vero id tutum magis eſſe opinor, quam, ſi totus coopertus, et membrana incluſus, demendus eſt. Ille certe caſus, quem VITVS RIEDLINVS (63) propoſuit, id ipſum probare videtur. Puero vndecim annorum, ad methodum, quam CELSVS deſcripſit, plaga, non ſuper itinerario, ſed ſuper ipſo calculo, facta, talis, oui columbini magnitudinem habens, extractus fuit. Calculo aliqua parte adglutinata fuit membrana, portio illius, quam intus habet veſica. Hanc mortis futurae indicem crediderunt omnes, aſt tamen puer breui tempore conualuit, nec ex hac tanta veſicae laeſione grauiorem, quae metuenda videbatur, offenſam ſenſit.

§. XV. Non minus etiam illud in medentibus admirationem mouere ſolet, ſi aegri repente, et breui tempore, magnam calculorum vim per vrinae iter, aliquando ſine magnis doloribus, excernunt, cuius rei multa exempla adducere ſuperuacuum duco. (64) Praeſes mihi oſtendit vltra viginti calculos, quorum maiores nucem auellanam, minimi lentem, aequant, qui omnes ex vnius foeminae veſica, etiam ſuperſtite, breui tempore exciderunt. Hoc vero ſi accidit, vix putem, calculos tales in ipſa veſica, ſine noxa et dolore, tamdiu haerere potuiſſe, ſed crediderim, eos intra membranas, vt ſupra retuli, ſubſtitiſſe, tandem vero, rupta illa, diductaque, tunica, exſolutos, atque in veſicam dilapſos, vrina eos promouente, excidiſſe.

§. XVI. At etiam veſica, ſi ea male adfecta eſt, et vel ab ipſo aſperiore calculo detrita, atque ſauciata, opportunam ſedem praeſtare poteſt calculo. Ille enim, qui in veſicam deſtillat, mucus,

63) *In Ephemerid. Nat. Curioſ. Decur. III. Anno V. et VI. Obſ. 243. p. 576.*

64) Vide inter alios IOH. NICOLAI PECHLINI *Obſeru. Phyſico-Med. L. I. Obſ. VII. et VIII.* IOSEPHI LANZONI *Obſeru. in Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. Anno X. Obſ. XC. p. 161.* et *Obſ.* ANTONII VALISNIERI *in Cent. IX. Obſ. 74. p. 167. Acta Vratislauienſia Anno MDCCXXII. Claſſe IV. Art. XVIII. p. 218.* confer *Diſſert. ſ. c.* VATERI.

cus, potiſſimum impedire videtur, quo minus calculoſa materia ei intus, vt matulae, adhaerere poſſit. Si vero hic de illa abraſus eſt, dum materies in nudas membranas ex vrina conſidit, ad easque adhaereſcit. Talem veſicam, et calculos habentem, et calculoſa materia intus cruſtatam, ex vacca delineauit FRIDERICVS RVYSCHIVS. (65) Ex aliis etiam occaſionibus veſica intus vitiatur, ſcabioſa fit, et carunculis obſita. Compertum eſt, hoc potiſſimum fieri frequenti vſu medicamentorum, quae vrinam valentius, et cum aliqua inflammatione, mouent. Nam ab his plerumque ſalutem ſperant, qui calculos medicamentis ore ſumtis comminuere tentant. Iis vero nihil nocentius eſt, quae, et calculum haud tollunt, et veſicam grauiter laedunt, exulcerant, ipſamque chirurgiam longe periculoſiorem efficiunt. Quia etiam ſaepe abundans in corpore ſanguis per veſicam editur, et prae aliis ſenibus cruor cum vrina redditur, etiam euenire poteſt, vt veſica, ex hac occaſione, et vlcera habeat, et varices, quibus poſt inhaerere, et in calculum increſcere, poſſunt arenae. Sic calculus trium vnciarum ex veſica, cui, media caruncula, adglutinatus fuit, pendere viſus eſt in viro LXIX annorum. Homo vero per plures annos magnam ſanguinis profuſionem ex veſica paſſus erat, mox fluentis et rubri, mox craſſi ac nigri. Imo tandem, exeſis, et veſica, et inteſtino, cruenta per aluum reddita fuere: Poſt obitum veſica, praeter quod, vt retuli, calculum habuit, etiam cruore plena fuit, arteriae vero in toto corpore ſanguine vacuae fuerunt inuentae. (66)

§. XVII. Addunt nonnulli tertium modum, quo calculum ad veſicam adhaereſcere dicunt. Exiſtimant, aliquando mucum, quem

65) *Theſ. Anat. IV. Tab. II.* confer *p. 23 no. 51. et p. 30. no. 78.*

66) Vide *Obſeru.* IOH. ADAMI MORASCH *in Ephem. Nat. Curioſ. Cent. X. Obſ. LVI. p. 352.* confer *Diſſert. citat.* CHR. LVD. ROSAE. Malim etiam ad hanc claſſem referre illam obſeruationem, quam ſic laudatus Autor a Celeberrimo Viro, nunc beato, IOH. VALENTINO SCHEID accepit. Vtor ego autoris verbis: *Ex infante quodam calculus ſatis feliciter per operationem extrahebatur, quo non obſtante infans aliquot diebus poſt operationem fatis ceſſit, qua propter ſectioni anatomicae ſubiiciebatur. Hac peracta, cauitas quaedam lapidea veſicae accreta inueniebatur, cui calculus extractus immitti poterat.*

quem ſupra deſcripſi, glutinoſum fieri, et tunc calculum quaſi viſcatum, et veſicam inter ſe committi. Habent exempla, quae addunt, maxime illud, vbi in veſica viri calculus grandior inuentus fuit. Magnitudinem oui anſerini, pondus autem trium vnciarum, et quinque drachmarum, is habuit, et aſperior fundo veſicae, a latere ſiniſtro, adhaeſit. Si quid ego ſentio, nam in hac re paulo ſubtilior, iterataque, obſeruatio adhibenda eſſet, crediderim, non facile mucum, qui cuſtodiendae veſicae datus eſt, adeo tenacem fieri, vt is veſicam, quae vi inſita mox contrahitur, mox iterum ab deſtillante vrina diſpanditur, et in ea haerentem calculum, poſſit conglutinare. Forte nonnullos veterum medicorum opinio fefellit, quae, ex GALENI potiſſimum autoritate, per longum tempus conſtitit, iam vero penitus extabuit, illum veſicae mucum, calore, vel frigore, denſatum, materiam calculo eſſe. Aſt vero, quia in aliis rebus ad omnem corporum cohaeſionem nihil magis conferre videtur, quam quies, nolim negare, ſi grandiores calculi veſicam implent, illamque contrahi non ſinunt, haec inter ſe coaleſcere poſſe.

§. XVIII. Haee a me ita propoſita ſunt, vt, neque diſputationi, neque autoritati cuiusquam, finem derogare velim. Illa vero, quae a SENFFIO accepi, breuibus addam. Cum Berolini eſſem, adoleſcens duodecim et octo annos natus, obiit, et nobis corporis incidendi poteſtatem fecit. Ei ante quatuor annos SENFFIVS calculum ex veſica protraxerat, qui cum veſica ita coiuerat, vt haec duplicata cum calculo deduceretur. Oportuit itaque tunc SENFFIVM calculum adglutinatum diducere, id quod, quamuis digito agitata fuerit veſica, adeo feliciter ceſſit, vt, nullo periculo orto, felix fuerit curatio. Cum vero perditus atque diſſolutus eſſet homo, is, vt dixi, alio morbo extinctus fuit. In veſica inuenimus alium calculum, ei tamen haud adhaerentem. Illum vero calculum, qui olim inhaeſerat, nobis oſtendit optimus Magiſter, qui ea parte, qua cum veſica commiſſus fuerat, arenoſus et mollis, caeterum vero ſatis durus, erat.

§. XVIIII. His itaque discitur, calculum vesicae inhaerescentem sine periculo non esse, seruari tamen aliquando posse aegrum, si tunica incluſus haud est, si is parum adhaeret, et commode, digitis in vulnus demissis, potest diduci. Periculosum vero esse arbitror, calculum scalpello resolui, vel eum, rupta, si qua incluſus est, tunica, euelli. Desperari autem debet curatio, si ita opertus calculus forcipe prehenditur, valentius adducitur, et vesica laniatur. Sic enim laesam vesicam neruorum distentiones, grauesque inflammationes, cum mortis periculo, excitare, crebriori experientia compertum est. Num vero felix futura sit curatio, quam in eiusmodi casibus LITTRIVS (67) proposuit, dubium videtur. Is enim probat, calculos tales, tunica incluſos, vix, non semper in posteriori inferiorique vesicae parte esse sitos, id quod ex sede illa, qua vreteres cum vesica committuntur, intelligitur. Igitur, expertus, probat, calculum, sic vesicae adhaerescentem, sentiri, si digitus, in aluum demissus, versus vesicae ceruicem inclinetur, et eo calculus vrgeatur. Iubet itaque, demisso in vesicam cathetere, et obiecto ei per anum digito, calculi velamentum ita pertractare, vt tandem illud rumpatur, et calculus euadat, deinde vero, incisa vesica, eum tollere. Non minus desperata medendi ratio esse videtur, quam praecipit iis, qui, dum vesicam incidunt, maiores calculos, velamento cinctos, inueniunt. Existimat enim, secta vesica, ferramenta, ipsamque forcipem, admoueri posse huic calculi tunicae, et illam adeo, et tam diu, vexari, donec tunica findatur, et calculus exsoluatur. Anceps videtur hoc auxilii genus, et, si vnquam, tunc demum, arripiendum, quando satius est, illud experiri, quam nullum. Sedulo enim cauendum est omnibus, qui salutis humanae praesidem artem profitentur, ne, quos seruare non potuerunt, occidisse videantur.

67) *c. l. MDCCII. p. 41.*

DISSERTATIO VII.

DE NOXIS EX COHIBITA SVPPVRATIONE PVBLICE PROPOSITA

D. IIII. MAII CIↃ IↃ CCXXXX.

RESPONDENTE

IOHANNE ANDREA VETTE.

PROOEMIVM.

CORNELII CELSI, qui omnem Medicinam tam eleganter ſcriptis ſuis Latiniſſimis illuſtrauit, monitum eſt: (1) *Id ante omnia ſcire conuenit, quod omnes medicinae partes ita connexae ſunt, vt ex toto ſeparari non poſſint:* Id quod etiam aliis verbis SCRIBONIVS LARGVS expreſſit. (2) Omnes igitur, quibus, artem noſtrae ſalutari operam dare, propoſitum eſt, oportet nihil earum diſciplinarum negligere, quae ad omnem medendi peritiam pertinere videntur. Vix enim medici nomine dignus eſt, qui contra varium morborum genus ſolis medicamentis pugnat, victum autem negligit, quem quandoque ſolum pluribus corporis malis ſubuenire compertum eſt. Nec minus vero mihi reprehendendi videntur, qui eam vetuſtiſſimam medicinae partem omittunt, quam hoc tempore chirurgi ſibi vindicant, et quae variis noxis, tum manu, tum impoſitis extrinſecus medicamentis, medetur. Vanus enim ridendusque illorum faſtus iamdudum exploſus atque eiectus eſt, qui, Doctoris titulo ſuperbientes, metuunt, ne, dum aliquid manu praeſtant, vel

1) *In praefat. L. V.*

2) *In Compoſ. med. Cap. 68. Compoſ. 200. p. 109. Edit.* RHODII.

vel vlcera vulneraque curant, ſibi aliquid de hac ſua dignitate detrahatur, et ne operariis hominibus adnumerentur. Illud tamen largior, hac aetate, qua ars medendi diuiſa eſt, et chirurgia ab ea diducta, non vbiuis neceſſarium eſſe, vt medicus fracta luxataque reponat, tumores ſcalpello, et os modiolo, excidat, ſanguinem ex inciſa vena, vel ex conciſa cute, admotis cucurbitulis, mittat, calculum ex veſica euellat, partum emortuum ex vtero excutiat. Nam nec hoc ſemper ciuium ſaluti et commodis aptum foret, cum hae curationes frequentem vſum, et quotidianam fere exercitationem, deſiderent. Et laudandus, non vituperandus, eſt medicus, qui hanc curandi rationem cum HIPPOCRATE (3) committit ἐργάτησιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε, modo omnia, quae ad chirurgiam attinent, perſpecta habeat, et cognita. Id enim mihi perſuaſiſſimum eſt, neminem ne illarum quidem valetudinum notitiam conſequi poſſe, quae, per totum corpus ortae, et in humidis, vel in partibus internis, ac viſceribus, conſiſtentes, non chirurgi, ſed ſolius medici, opem poſtulant, niſi rerum chirurgicarum doctrina liberaliter ſit inſtitutus, Quem enim artis noſtrae peritum fugit, non paucos morbos, qui in humidis ſunt, febresque acutas, et cum ἐξανθήμασι, inflammatione finiri, de quorum natura, cauſis, incremento, ſtatu, exitu, nemo iudicium ferre, neque ipſis idonea auxilia inuenire, poterit, quam, cui occaſio fuit, ſedes corporis externas inflammatas oculis contueri, digitis explorare. Alios morbos, qui ex vlceribus, ſcirrho, carcinomate, naſcuntur, viſcera infeſtantibus, nunc, ne nimium haec mea ſcriptio increſcat, omitto. Itaque, vel propter hanc, quae ſumma eſt, et euidens, vtilitatem, medicos chirurgiae ſtudere oportet, qui etiam curationibus chirurgorum omnino praeſſe debent. Miſerandae enim ſortis aegri ſunt, ex eiusmodi noxa periclitantes, quae non ſolum chirurgi manum, ſed et medici conſilium, congruumque victum, intusque ſumenda pharmaca, poſtulat, ſi iis contingit ſciolus, et plurimum ſibi arrogans, chirurgus, medi-

3) *In Iureiurando*, vbi de calculi ſectione loquitur.

cus vero rerum chirurgicarum neſcius, et qui ignorantiae ſuae ex imperioſa dictatura velamentum quaerit. Rarum enim non eſt, videre medicum, eo tempore, quo chirurgus malactica imponit tumori, qui ad ſuppurationem ſpectat, in quo vero ſine magna febre pus altius tardiusque mouetur, aluum purgantibus, iisque valentioribus, ſollicitantem, obſtinentiam quietemque imperantem, vel ſudorem datis calidioribus elicientem. A minus etiam perito medico vlcera non raro exaſperantur, dum noua in iis cietur inflammatio, datis medicamentis, quae ſanguinem humidaque purgare dicuntur, aſt multum calefaciunt. Saepe homo, cui os fractum, caluaria depreſſa, fiſſaque, ſedes quaedam neruoſa vexata, colliſaque, fuit, in exitium praecipitatur, qui, ſanguine miſſo, ſeruari potuiſſet. Et ſic vulnera, vlcera, aliaque mala, per ſe exigua, medentium imperitia maiora fiunt. Spero itaque, me veniam impetraturum eſſe, ſi iam, Academiis, in quibus hactenus verſatus ſum, valedicturus, et, more a maioribus relicto, ſpecimen profectuum editurus, in argumento verſatus ſum, quod ad chirurgiam medicam potiſſimum pertinere videtur. Conſtitutum enim eſt mihi, hac ſcriptione noxas perſequi, quae ex prohibita ſuppuratione oriuntur.

§. I.

Si vero iam prius de pure dicendum eſt, quod praeter naturam in corpore naſcitur, neceſſarium videtur, vt cum HIPPOCRATE (4) diſtinguamus τὸ πύον καὶ τὸ πυῶδες, pus et purulentum. Puri etiam alio loco (5) opponit τὴν σηπεδόνα. Purulentum, ſeu potius putre, in omni malo vlcere atque carcinomate eſt, et a ſolis vitiatis corruptiſque humoribus proficiſcitur, pus autem in abſceſſu et vulnere, praecipue colliſo, et vlcere purgato, nouatoque,

4) *de Alimento §. XI. in Edit.* LINDENII *T. I. p. 599.* Exiſtimat vero, pus ex carne, purulentum ex ſanguine, et ex alia humiditate, oriri.

5) *Epidem. III. Sect. III. Edit. cit. p. 723.*

que, reperitur, quod, ſi melioris notae eſt, naturae beneficio praeparatur.

§. II. Cum vero nulla vox magis ambigua videatur, quam naturae, qua medentes crebrius vtuntur, cum iis me haud facere profiteor, qui per naturam ens aliquod diſtinctum, ſeu facultatum noſtrarum praeſidem, intelligunt. Mihi natura ſumma eſt et complexio omnium illarum cauſarum atque virium, quae omnem vitam praeſtant, et quarum beneficio corpus etiam a varia noxa liberatur. Sic naturam, vt opinor, recte deſcribunt ſummi in arte viri, et inter hos praecipue IOHANNES MARIA LANCISIVS, (6) et HERMANNVS BOERHAAVE. (7) Naturam igitur, adhibita diligenti obſeruatione, ex effectibus cognoſcimus, quorum eos, qui ad ſanitatem pertinent, docet phyſiologia, cuius doctrinae aliae diſciplinae, mechanica, chemia, phyſica, et anatome, praelucent. Sed alios effectus, qui etiam a natura proficiſcuntur, et quibus corpus, ſi illud a quocunque malo affectum, morboque oppreſſum, eſt, liberatur, ex pathologia diſcimus vera et accurata, et quam nulla opinionum commenta mendoſam reddiderunt. Quia vero nos plura, quae in corpore ſunt, et quae in corpore ex varia occaſione incidunt, latent, clarum eſt, non omnem naturam nobis perſpectam, exploratamque, eſſe. Tria tamen, potiſſimum in corpore, conſideranda eſſe, exiſtimo, quorum aliquod, ſi ii, qui mederi volunt, negligunt, ſemper falluntur. Partium ſolidarum robur, tum elaſticum, tum vitale, illarumque compoſitio, atque conformatio, humidorum κρᾶσις, ex chemicis experimentis maxime noſcenda, et horum etiam proportio ad ſolida, cum perpetuus inter ſolida et fluida eſſe debeat renixus, et tandem illa naturae vis, qua ſola ſaepe, concitatis variis motibus, grauiſſimi atque deſperati morbi profligantur. Recte enim HIPPOCRATES, (8) vel, quiſquis autor eorum voluminum eſt, dicit *natu-*

6) *de Corde p. 2.*

7) *In Oratione de Honore Medici ſeruitute. p. 11. Sapienti viro natura humana audit ſumma requiſitorum, omnibus vt muneribus ſuis corpus fungi queat, expedite, absque dolore et ſatis conſtanter.*

8) *Epidem. L. VI. Sect. V. Ed.* LIND. *T. I. p. 809.*

ras morborum medicatrices esse et naturam sibi ipsi vias vel aditus inuenire non ex praemeditato. Natura enim non solum in bene valentibus artificiosissimos motus, veluti variorum succorum secretionem, deglutitionem, loquelam, sine conscientia, imo sine notitia organorum, praestat, sed etiam magna saepe arte morbos expugnat, atque profligat, dum morbi materiam praeparat, atque per varias sedes ex corpore exturbat. Inter haec vero naturae artificia etiam suppurationem esse, persuasum habeo.

§. III. Suppuratio igitur est actio naturae, qua varia corporis viui humida, certa proportione inter se commista, et aliquo loco quiescentia, vna cum emortuis partibus solidis mollioribus, mediante inflammatione, in pus conuertuntur, quo ea, quae metuenda erat, corruptio auertatur. Pus est humor albidus, crassus, laeuis, aequalis, nihilque olens, qui vi vitae, seu ea naturae actione, ex sanguine, lympha, et adipis oleo, inter se, et cum partibus solidis, mollibus, deliquescentibus, fieri solet. Alia enim humida, praecipue, quae excernuntur, serum, per cutim exire solitum, vrina, mucus, illa etiam articulorum axungia, puri haud idonea videntur. Nec est solus sanguis, quippe qui, si aliqua parte haeret, tempore densatur, et fere in duritiem cogitur, si vero eius maior modus est, veluti in aneurysmate spurio, is calore putrescit, et partes, etiam iuxta sitas, corrumpit. Etiam lympha, si sola est, cogitur, et fere gelato similis, aliquando in ventre hydropicorum, in testiumque velamentis eorum, qui hydrocele laborant, reperiri solet, quae vero tandem calore deliquescit, et in saniem acrem, rodentemque, vertitur. Nec oleum, quod in adipe est, solum pus fieri poterit, quod in steatomate, et aliis huic similibus tumoribus, parum mutatur, sed diu sine noxa manet. Necesse itaque est, vt, si pus bonae notae moueri debet, illi humores certa proportione inter se remixti sint. Nec inficias ire volumus, alios succos etiam puri admisceri, quia in abscessu atque vulnere arteriae minores, aliis tenuioribus succis accommodatae,

datae, diſruptae ſunt, et humorem ſuum adfundunt. Inter eos etiam neruorum tenuiſſimus halitus referri poteſt.

§. IIII. Per ſanguinem intelligo purpureum illum ſuccum, qui in arteriis eſt, ſeu fluidum illud corporis καθολικὸν, quod ex varii generis alimentis in viſceribus noſtris depuratis, praeparatis, ſubactisque, atque ex aere admiſto, compoſitum, variis functionibus inſeruit, et in quo materia eſt, parandis ſecernendiſque aliis corporis noſtri fluidis. Duo vero, quae in ſanguine ſunt, mox in ſenſus incurrunt, pars illa rubicunda, ac ponderoſior, et altera, ſubalbida, quae, ſi ſanguis ex vena miſſus quieſcit, innatat. Non parum vero etiam huius ſucci adhuc in purpureo humore eſt, quem ignis expellit. Addit LANCISIVS (9) tertiam partem, ex duabus prioribus compoſitam, tenuiorem illum videlicet halitum, qui a calente ſanguine in auras effertur, naresque ferit. Rubicundam ſanguinis partem ex minutis globulis conſtare, primus oculo armato obſeruauit et prodidit ANTONIVS LEEVWENHOEK, (10) experimentis confirmauit IOHANNES MARIA LANCISIVS, (11) quem DOMINICVS GVLIELMINI, (12) HERMANNVS BOERHAAVIVS, (13) aliique, ſecuti ſunt. Globulorum vero in variis corporis ſuccis ſeries, ac differentias, ingenioſius adauxit GEORGIVS MARTENE. (14) In oculos globuli incurrere dicuntur, ſi tubulus vitreus capillaceus in recens, et ſanguinem fundens, vulnus demittitur, in quo, calente, illi adſcendunt. (15) De his globulis obiter noto, mihi ſemper dubium viſum eſſe, num haec figura ſanguini propria ſit, et num ea ad huius naturam virtutemque illuſtrandam quidquam facere poſſit. Nemo enim ignorat, omne fluidum, ſi illud in alio fluido eſt, habere hanc figuram, niſi maior eius moles

9) *l. c. p. 10.*

10) Vide *Arcana Naturae detecta p. 8. et Ep. 65. p. 153. Arcan. Nat. Contin. Ep. 128. p. 210.* vbi figuras addidit.

11) *l. c. p. 11.*

12) *de Sanguinis natura et Conſtitutione §. 46. in Opp. p. 31.*

13) *Inſtit. §. 226.*

14) *In the Medical Eſſays published by a Society in Edinburgh. Vol. II. Obſ. VII. p. 67.*

15) Vide *Diſſert.* CORNELII VERBRVGGE *de Morbis Elementorum ſanguinis humani, Lugd. 1736. §. VIII.*

les fuerit, et nimia grauitas, et nisi fuerit aliquid, quod guttulam premat, moueatque. Aquae enim guttulae in aere, aer in aqua, aqua in oleo, oleum in aqua, globulos format, et sic etiam sanguinis pars crassior, et oleosa, quae a solido propior est, in fluidiori dilutiorique lympha ac sero. (16) Commentitia esse reor, quae LEEVWENHOEKIVS addidit, hos globulos semper ex senis minoribus compositos esse, atque eos ruptos et fatiscentes in totidem minores resolui. (17) Sphaera enim solida, si diffringitur, relinquit fragmenta, quibus diuersa magnitudo, et multifaria figura, est. Guttula autem fluidi, si illa dilabitur, fatiscit in minores guttulas, mox plures, mox pauciores, quo maior premendi vis fuit, et quo maior in fluido est elementorum cohaesio. Num igitur sanguinis guttulae, vel sic dicti globuli, in haud plures, nec pauciores, guttulas resoluantur, illi iudicabunt, qui ad haec perspicienda oculorum magis, quam ingenii, aciem exacuere possunt.

§. V. Quicquid vero sit, sanguis, si is motu, vel intestino, vel etiam illo, quo is per arterias, venasque, propellitur, tandem fatiscit, et resoluitur, colorem purpureum amittit. Hoc in putrescente sanguine deprehendimus, qui, si pauciorem terrestremque partem excipias, mutatur in saniem liuidam, tandem subalbidam, ast tenuem, acrem, et partes ei iunctas rodentem, id quod fieri notum est, si sanguis in aliquo cauo, ex receptaculis suis missus, putrescit. (18) Ex his vero discitur, cur purpureus sanguis in subalbidum pus verti queat, id quod accidere videtur, si illae rubicundae guttulae, vel sic dicti globuli, calore attrituque rumpuntur, et in humorem, alium, et subalbidum, colorem habentem, conuertuntur. Ille vero humor sanguine tenuior erit, pus autem, si bonum est, crassius esse solet. Hoc crassius fieri, quia tenuio-

res

16) Iam olim LEEVWENHOEKIVM refutauit NICOLAVS HARTSOEKER *dans l'Extrait critique des Lettres de M.* LEEVWENHOEK. *p. 5.*

17) Id etiam negat LANCISIVS *c. l.*

18) Vide BOERHAAVII *Elementa Chemiae P. II. p. 379.* Conf. *eiusd. Aphorismos 94. et 95.*

res halituoſae atque aquoſae partes calore diſſipantur, et aliae pinguiores admiſcentur, a vero propius eſt.

§. VI. Lympha, perfectiſſima et defaecatiſſima chyli pars, alendo corpori idonea, non ſolum ſanguine, qui in arteriis mouetur, admixta eſt, ſed etiam in arteriis, venisque minoribus, huic ſucco accommodatis, mouetur, quarum priores, coniectura vltimae, ſenſu percipiuntur. Venarum plures pertinent ad glandulas, quas conglobatas vocant Anatomici, in quibus lympha ſine dubio quacunque ratione reficitur, et in melius mutatur. Et harum glandularum, quales in inguine, et ſub ala, aliisque ſedibus, ſunt, frequens ſuppuratio, et in hac, pus melioris notae, eſt. Si autem glandulae, alium humorem, v. g. ſaliuam, ſecernentes, inflammantur, et pus alunt, illud nimis tenue eſt, multumque, et earum glandularum tumores facile in ſcirrhos, aperti vero abſceſſus, ipſaque vulnera, in vlcera, degenerant. Adipem autem, et oleum, in ea contentum, etiam ad pus facere, ex eo probari poteſt, quod in ſedibus, quae multa pinguedine conteguntur, veluti in mammis, pus prae caeteris bonae notae, et id non prius eſſe ſoleat, quam vbi adeps ſub cute exeſa eſt, et ex ea humor puri naſcenti admixtus. Is ergo humor oleoſus pus pingue, craſſum, laeue, ac vnguinoſum, reddere videtur. (19)

§. VII. Etiam ſolidae partes, mox plures, mox pauciores, puri admiſcentur, id quod in vulnere colliſo potiſſimum accidit, nec minus in quouis abſceſſu, in quo ſemper, ſi pus emiſſum fuit, ſinus manet. Ex humidis enim quieſcentibus partes ſolidas naſci, nemo dubitabit, qui vnquam in prima animalium initia conſiderationem intendit: Solidae igitur partes molliores, multum humoris continentes, quae quaſſatae ruptaeque ſunt, et quae, quod nullis in iis vitalis humorum circuitus eſt, emortuae dicuntur, aeque, ac humidae, in aere, in quo uiuimus, deliqueſcunt, et, ſi illis humor

19) Vide ABRAHAMI CYPRIANI *ex vteri tuba, matre ſuperſtite, exciſo p. Epiſt. de foetu humano poſt XXI. menſes 76. ſeq.*

mor ſatis multus admixtus inhaeret, computreſcunt, vi vitae vero, et naturae actione, etiam in pus vertuntur.

§. VIII. Cum vero pus non ſua ſponte ex his oriatur, ſed vi vitae, et naturae beneficio, fiat, videndum eſt, quibus potiſſimum auxiliis et motibus pus moueri in corpore viuo ſoleat. Oportet enim corpus viuum eſſe. Nam in mortuo putredo eſt, nulla vnquam ſuppuratio. Neminem latet, ad pus mouendum neceſſariam eſſe inflammationem, ad inflammationem vero febrem. Vbi autem febris aliquem occupat, illaque vehemens vrget, inſequuntur alia. Dum illa incurſat horror et frigus, pulſus velox, obſcurus et exilis, dum vero augetur et conſiſtit, totius corporis calor, anxietas, pulſus durus, atque frequens, tandemque, vbi illa inclinata ſe remittit, ſudor, id quod in inflammatione etiam incidere ſolet, in qua, praeter haec, etiam ea ſedes, quae laborat, et in qua obſtructio eſt, intumeſcit, magis, quam reliquum corpus, calet, dura fit, et digito renititur, accedit dolor, qui omni temporis articulo, quo arteriae per vniuerſum corpus attolluntur, intenditur. Arterias vero in febre vehementius agitari, nemo ignorat.

§. IX. Animus haud eſt, tum febris, tum inflammationis, theoriam multis perſequi. Notum eſt, in omni febre eſſe velociorem vehementioremque ſanguinis motum, ſi vero febris obſtructioni ſuperuenit, et inflammatio concitatur, ſanguis maiori impetu propulſus transfunditur in minores arterias, lymphae aliisque tenuioribus humoribus accommodatas, quare pars dura fit, intumeſcit, rubet, calet. Non vero exiſtimandum eſt, haec a ſolo corde ita fieri. Cor enim ſi maiori vehementia atque velocitate contrahitur, ſanguis magis mouetur, aſt per vniuerſum corpus. Cordis vero ſolius motu nunquam poterit plus ſanguinis per vnam arteriam propelli, quam per alteram, id quod tamen accidit, ſi pars quaedam, praecipue neruoſa, admotis ei acribus, offenſa, vel ſurculus corpori infixus, et ob id inflammatio mota eſt. Illa itaque vitalis virtus, quae in omnibus corporis noſtri fi-

bris

bris ſenſum habentibus deprehenditur, et quae forte cum illo periſtaltico inteſtinorum motu comparari poteſt, quam olim iam cognouit HIPPOCRATES, (20) poſt vero inter alios exquiſitius deſcripſerunt GEORGIVS BAGLIVIVS, (21) GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, (22) FRIDERICVS HOFFMANNVS. (23) IOHANNES DE GORTER (24) illud efficere in inflammatione videtur, vt ſanguinis maior vis ad partem laborantem moueatur, et vt illa ſedes non ſolum verſus cor, ſed circum circa, intumeſcat, atque magis, quam reliquum corpus, incaleſcat.

§. X. Horum igitur vitalium motuum adminiſtratione, et ſi proportio eſt inter ſanguinis a corde propulſi motum, et inter renixum, tum eum, qui ab obſtructione ortus eſt, tum alium, qui a fibrarum phyſica atque vitali elaſticitate proficiſcitur, accidere poteſt, vt id, quod arterias minores intercludit, tandem mobile fiat, et ex ſede ſua pellatur. Hoc ſi incidit, diſcutitur inflammatio, et arteriis libertas redditur, vt per eas omnis humor ſine impedimento permanare queat, conquieſcit etiam febris cum omnibus ſuis ſymptomatis. Si vero id, quod arterias intercludit, valenter interhaeret, ſi cordis motus vehementior eſt, et arteriae minores rigidae, hae rumpuntur, et effluit humor, qui his ipſis motibus, accedente etiam calore, et quod varia humida inter ſe permiſcentur, in pus conuertitur. Haec ita in abſceſſu fiunt, vbi

 autem

20) Locum adducit Illuſtris HOFFMANNVS, qui legitur in *libro de locis in homine §. XV. T. I. p. 371.* Ῥόοι δὲ γίγνονται καὶ διαψυχομένης τῆς σαρκὸς λίην, καὶ διαθερμαινομένης καὶ ὑπερφλεγμαινούσης. Γόοι δὲ διὰ μὲν τὸ ψύχος γίγνονται, ὅταν ἡ σάρξ ἡ ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ αἱ φλέβες τεταμένοι ἔωσιν. Αὗτοι γὰρ φριξάσης τῆς σαρκὸς καὶ ἐς μικρὸν ἀφικνουμένης καὶ ἐκθλιψάσης, ἐκθλίφουσι τὴν ὑγρότητα· καὶ αἱ σάρκες ἅμα αὗτοι ἀντεκθλίβουσιν ἐς μικρὸν ἀφικνούμεναι· καὶ αἱ τρίχες ἄνω ὀρθαὶ γίγνονται, ὥστε πάντοθεν ἅμα ἰσχυρῶς πιεζόμεναι, ἐντεῦθεν, ὅ, τι ἂν ἐκθλιβῇ, ῥεῖ ἢ ἂν τύχῃ.

22) *de Fibra motrice, de Anatome fibrarum et morbis ſolidorum, de Medicina ſolidorum.* Vide potiſſimum *de fibra motrice L. I. Cap. XI. in Opp. p 357.*

22) *In Diſſ. de motu tonico vitali, de aeſtu maris microcoſmici,* et paſſim.

23) *In Med. Rat. ſyſtemat. T. I. Cap. IV. p. 82.*

24) Vide *eius Compendium Medicinae P. I. Tr. XLVI. §. 8. p. 234.*

autem vulnus eſt, inflammatio, quae tota diſcuti non poteſt, pure finiatur, neceſſe eſt.

§. XI. Certis vero temporibus abſoluuntur hae mutationes, pro modo ipſius humoris quieſcentis, tardius atque celerius. Veluti igitur in omni febre, ſpaſticis etiam morbis, qui vi vitae, ſeu natura, expugnantur, tempora ſunt τῆς ὠμότητος καὶ τὲ πεπασμὲ, ea etiam in ſuppurationibus deprehenduntur. Nam in abſceſſu, quamdiu humor quieſcens adhuc tenaciter inhaeret ſolidis, magna eſt in tumore duritia, magnus dolor, qui ſingulis arteriarum ictibus intenditur, et vehemens calor, febris etiam, cum omnibus, quae eam inſequuntur, increſcens. Si tumor eo tempore inciditur, non pus melioris generis exit, ſed ſanguis cum pauco humore tenui ſubalbido remixtus, et homo ex tali ſectione nullum leuamen ſentit, ſed potius, et inflammatio, et febris, cum omnibus, quae cum ea eſſe ſolent, ſignis manet, imo intenditur. Pure vero orto, et matura facta ſuppuratione, febris, multum tamen leuata, permanet, dolor ſe remittit, ſummus tumor mollior fit, digito cedit, et humor intus in tumore circumfluens digito preſſus ſentitur, qui id, quod non premitur, attollit, aeger grauitatem tumoris ſentit, locus prurit, et tandem, vbi vltima maturitas eſt, ſummus tumor ſubalbidus, aut ſubliuidus, fit. Haec vero ſignificant, humorem coctum eſſe, et ex arteriis veniſque ruptis, quibus ille prius inhaeſerat, exſolutum, illumque iam aperto tumore eſſe emittendum. Haec non ſolum in abſceſſibus obſeruantur, qui ex vexatis oriuntur, et ſi in parte quadam colliſa inflammataque pus oritur, ſed etiam, ſi quaedam per ſe intumeſcunt, atque pus alunt, id quod accidit, ſi per μετάστασιν peſtilentis, vel alius, morbi materia in tumorem coit, atque in hoc matureſcit.

§. XII. Melius hae mutationes oculis patent in vulnere colliſo, quod etiam glutinari nequit, niſi fuerit purgatum, et humor, qui in eo concreuit, et quo intercluſa ſunt minorum arteriolarum venularumque oſcula, vna cum colliſis et emortuis ſolidis, fuerit

in pus conuerſus. Ex tali enim vulnere prius, vt nemini ignotum eſt, effluit ſanguis, qui ſponte conquieſcit, quod praeciſae minores arteriolae et venulae in ſe quaſi recedunt, quarum ſic oſcula arctantur, a coacto vero per aera ſanguine intercluduntur. Sanguis enim, qui prius ſincerus et rubeus ruit, antequam conquieſcit, effertur paucus, pallidus, tenuis. Vulneri, ſi ei nihil imponitur, altero, vel tertio, die, pro modo eius tardius atque celerius ſuperuenit inflammatio et febricula, quae cum horrore incurſat. Vulneris orae intumeſcunt, rubentque, cum calore atque etiam cum duritia, omnia magis adoleſcunt, et, ſi vulnus, vel maius, vel in loco neruoſo, eſt, ſitim etiam atque vigiliam exprimunt. Homo in vulnere dolorem atque pruritum ſentit. Tandem vulnus madeſcere incipit, ſe remittunt inflammatio atque febris, et ſe oſtendit in oris humor, ab initio tenuis, pallidus, qui tandem, adhuc magis tenuata, imo prorſus finita, febre, craſſior albidiorque fit, atque pinguis, cuiusque modus vulneris magnitudini conuenit. Pus mediante febre moueri, teſtatur praeſtantiſſimus Vir IACOBVS HOLLERIVS: (26) *Pus eſt tranſmutatio ſanguinis in ſubſtantiam albam laeuem et aequalem: idque beneficio caloris natiui et naturae integrae partium ſolidarum.*

§. XIII. Hoc igitur pus ex deliqueſcentibus, tum fluidis, tum ſolidis, emortuis oritur. Alius vero humor ex vulnere exit purgato et ſaneſcente, quem plures non ſatis a pure diſtinguunt. Exprimitur enim ex oris diſruptarum, aſt multum iam contractarum, arteriolarum ſuccus, qui non alius eſt, quam, quo corpus noſtrum alitur, et ex quo caro producitur, vulnusque impletur. Prior humor, ſi ſatis ad maturitatem perductus eſt, ex abſceſſu euocari, ex vulnere extergi, debet, alter vero, qui etiam ex vulnere effertur, quod non colliſum, ſed tantum diſciſſum, eſt, debet tolerari, niſi is copioſior, et calore ac more alienatus ſit. Ad haec enim, ſiue recentia, ſiue nouata, vulnera nihil magis proficere ſolet, quam, ſi impoſitis linamentis panniſque ſiccis faſcia raro reſoluitur. Si

25) *Comment. in* HIPPOCR. *Aphor. 47. Sect. II. p. 102.*

enim alter ille humor, qui materia iterum creſcentium carnium eſt, vel medicamentis atque aere alienatur, vel a chirurgo crebrius extergitur, vulnus nec ſatis cito glutinari, nec impleri, nec cicatrix induci, poteſt. Quam rem optime executus eſt CAESAR MAGATVS, (26) et, qui hunc ſecuti ſunt, LVDOVICVS SEPTALIVS, (27) atque BELLOSTIVS. (28)

§. XIV. Si igitur humor aliqua parte quieſcens in pus converti debet, neceſſe eſt, vt is ipſe ad id idoneus ſit, vt vitales motus, quibus ſanguis propellitur, aucti ſint, ſiue, vt accedat inflammatio cum febre, pro modo ipſius humoris, partisque laeſae, vel vehementior, vel ſedatior. Praeter haec omnia autem neceſſarium eſt, vt oſcula diſruptarum arteriolarum, venularumque, ex quibus pus effluere debet, aperta ſint, haud compreſſa, vel adſtricta, nec etiam nimis reſoluta, laxataque. Prius enim ex variis cauſis, quas mox adducam, crebrius accidit, et pus effertur, vel nullum, vel haud πέπονον, ſed ὠμὸν, non coctum, ſed crudum, tenue, ac pallidum, quale etiam in homine, qui cachexia et hydrope laborat, eſſe ſolet: Si vero corpus rarum eſt, atque infirmum, et per impoſita medicamenta nimis mollientia ac digerentia, diſruptarum arteriolarum oſcula laxiora fiunt, et ſe multum remittunt, exit pus ἐλαιώδες, muco ſimile, glutinoſum, varie craſſum, coloratum, copioſum, quale etiam ex malis vlceribus ſenum, et omni vitali virtute defectorum corporum, ferri ſolet. Pus multum quoque mutat aegri temperies. Siccis enim minus craſſum eſt, quam corporibus raris. Aeſtate atque calore pus craſſeſcit, frigore tenuatur.

§. XV. Alia diſcrimina a victu accipit. Praeterquam enim, quod, aſſumptis varii generis alimentis, calidis inprimis, ipſo prae caeteris vino, ſanguis cietur, et inflammatio incitatur, etiam ſi crudus chylus ſanguini affunditur, tandem etiam pus eo mutatur.

26) *de Rara medicatione Vulnerum.*

27) *In Animadu, et Cautionum medicarum L. VIII. p. 293.* conf. *Comm.* IOH. RHODII.

28) Vide *le Chirurgien d'Hopital.*

tur. Igitur ex vino, aliaue potione, quae corpus incendit, pus, quod iam craſſum fuerat, tenuius fit, parum pingue, et ſero ſimile, atque inflammatio, quae iam ſoluta erat, reuertitur, vel, ſi leuata fuit, iterum intenditur. Si vero aeger ventriculum ſuperuacua materia, iurulentis, carnibusque, onerauit, pus glutinoſum fit, copioſum, et quod non raro male olet, quem odorem excitat humor, actione vitae haud ſatis ſubactus, ſua natura putreſcens. Malus etiam odor eſt, ſi pus diutius in vulnere relinquitur, et calore corrumpitur. Nec ita rarum eſt, vermes in eo naſci.

§. XVI. Suppuratio autem neceſſaria eſt in illis tumoribus, in quibus humor, ex ruptis arteriis ac venis emiſſus, ita haeret, vt, nec tuto ſiccari, nec diſcuti, queat. In nonnullis vero caſibus, v. g. ſi maior ſanguinis modus ſub cute ex rupta qua vena effluxit, praeſtat, protinus cutem incidere, et ſanguinem euocare, quam pus mouere, quod etiam, ſi nimis multus ſanguis eſt, bonum fieri nequit. Has vexatorum, vt et aneuryſmatis, curationes, quippe a noſtro propoſito alienas, iam non attingo. Maior ſuppurationis neceſſitas eſt in tumoribus, qui per ſe, vitio intus orto, intumeſcunt, et ad ſuppurationem ſpectant, praecipue, ſi alius mali morbi materia in aliquam partem, non ita nobilem, incumbit. Tales μεταϛάσεις quandoque in febribus fiunt, praecipue ad glandulas, in quas morbi impetus atque materia conuertitur, quam maturari, non diſcuti, oportet. Id etiam CELSVS (29) imperat, vbi de parotidibus loquitur: *Id abſceſſus genus nullam nouam curationem deſiderat. Animaduerſionem tantummodo hanc habet neceſſariam, vt, ſi ſine morbo id intumuit, primum reprimentibus experimentum fiat. Si ex aduerſa valetudine, illud inimicum eſt, maturarique, et quam primum aperiri, commodius eſt.*

§. XVII. Eſt genus eiusmodi tumoris, quo, ſi pus etiam maturuit, morbus non penitus tollitur, non parum tamen leuatur. Vbi enim ex malo venereo aegris inguina intumeſcunt, quando-

que

29) *Lib. VI. Cap. XVI.*

que non difficile, eſt bubones diſcutere. Quia vero malus humor, qui in hanc partem iam incubuerat, datis euacuantibus, et impoſitis reprimentibus, iterum corporis humidis admiſcetur, haec magis vitiantur, quam, ſi, ſuperdatis tumori mollientibus, ac pus mouentibus, materia concurrens ad maturitatem perducitur, et inciſo tumore euocatur. Non mediocris tamen et hic differentia eſt. Nam his ſuppurationibus ii potiſſimum leuantur, quibus tumores haud ita pridem orti fuere, vel ex impura venere, vel ex retenta mala materia, quae per naturalia in gonorrhoea efferri conſueuit. Tantum vero leuamen non adferunt aliis, quibus bubones morbo iam per vetuſtatem confirmato ſuperuenerunt.

§. XVIII. Non ſolum hi tumores ſuppurationem deſiderant, propter malam materiam, ſed etiam propter ipſas glandulas, quae intumeſcunt. Illud enim perpetuum eſt, difficilius humorem in glandulis, ſi illae induratae ſunt, et tumidae, diſcuti, cum ſaepe maneat duritia, et tumor facile in ſcirrhum degenerare poſſit. Experientia etiam docuit, id non tuto fieri diſcutientibus, ſed medicamentis mollientibus, leniterque digerentibus, quare magis tutum eſt, hos tumores maturare, quam reprimere, atque diſcutere.

§. XIX. Saluberrima etiam ſuppuratio eſt, quae in partibus gangraena et ſphacelo laborantibus concitatur. In hoc enim vitio, quod putreſcendo intenditur, atque latius ſerpit, nullum aliud auxilium ſupereſt, quam, vt pars emortua, vel ferro praecidatur, vel, vt in eo, quod inter integrum et vitiatum locum eſt, pus moueatur. Hoc enim ſi oritur, vitium conſiſtit, ex putridis cruſta fit, quae contrahitur, tandemque a viuo reſoluitur.

§. XX. De vulneribus colliſis, vexatisque, iam ſupra dictum fuit, ea etiam ſuppurationem deſiderare. Illa magis neceſſaria eſt in vulneribus, vlceribusque, quae quoddam virus habent, ſiue per tela, ſiue morſu ſerpentium, aliorumue animalium, fuerint illata. Vlcerum ea natura eſt, vt ex iis, nec ſanguis, nec lympha, nec bonum pus, exeat, ſed ſanies, vel ichor, varii generis, atque

colo-

coloris, quo malo humore non ſolum fluida in arteriis venisque mota, quaſi contagione quadam, vitiantur, ſed ſolidae etiam partes afficiuntur, rodunturque, quapropter et vlcus, niſi curatio adhibeatur, altius deſcendit, latiusque procedit. Nec vlcus ſaneſcere poteſt, niſi vulneris recentis naturam habeat, et id, quod in eo vitiatum eſt, tollatur, eaque oſculis arteriarum detur libertas, vt bonus, et alendo corpori producendiſque carnibus idoneus, ſuccus ea permanare queat. Plerumque vero, dum id, quod vitiatum eſt, tollitur, dumque vlcus nouis carnibus ſuccreſcentibus impletur, aliqua ſuppuratione opus eſt.

§. XXI. Quamuis ex vlceribus pus bonum exire nequeat, ex iis tamen vt ſanies efferatur, neceſſe eſt. Vlcerum vero varia genera variaſque occaſiones eſſe, omnes norunt. Quaedam enim ex male curatis abſceſſibus et vulneribus relinquuntur, quaedam ex vitio, intus nato, et ſi totus corporis habitus corruptus eſt, oriuntur, quaedam arte fiunt, ſi in varium finem cutis ferro, vel admotis adurentibus, rodentibusque, medicamentis, etiam cantharidibus, exulceratur, ſi, vel ſcalpello, vel candente ferro, vel iisdem medicamentis, vlcus excitatur, ſeu fonticulus, ſi in nucha, aliisque ſedibus, per inciſam cutim lina traiiciuntur, ita torta, vt in iis vnitas ſit, eaque quotidie adducuntur, quo vlcus ſemper exaſperetur, quod ſetaceum vocare conſueuimus. Ex his omnibus vlcerum generibus, quamdiu illa purgata, nouataque, haud ſunt, ſanies efferri debet purulenta, cum experientia docuerit, haec vlcera, praecipue ſi vetuſtate confirmata ſunt, ſiue arte facta, ſiue ſponte nata, fuerit, ſine ſummo periculo haud glutinari, imo, ſi illa per ſe repente arida fiunt, id mali morbi teſtimonium, mortisque indicium, eſſe. (30). Hanc ergo purulentorum excretionem etiam non ſine grauiori noxa cohiberi, omni dubio caret.

§. XXII.

30) HIPPOCR. *Prognoſt. Sect. IV. T. I. p. 450.* Ἕλκος δὲ ἤν τε καὶ προγεγονὸς τύχη ἔχων, ἤν τε καὶ ἐν τῇ νούσῳ γένηται, καταμανθάνειν χρή. Ἢν γὰρ μέλλῃ ἀπόλλυσθαι ὤνθρωπος, πρὸ τοῦ θανάτου πελιδνόν τε καὶ ξηρὸν ἔσται, ἢ ὠχρόν τε καὶ ξηρόν. Et *in Coacis p. 571.*

§. XXII. Iam vero conſiderandum eſt, quibus occaſionibus accidere ſoleat, vt ſalutaris ſuppuratio prohibeatur. Et quidem in tumoribus, praecipue, ſi glandulae intumeſcunt, id fieri ſolet, ſi inflammatio non vehemens eſt, ſed languidior, et homo nullam, vel iuſto leuiorem, habet febriculam, haec non victu, exercitatione, aliisque auxiliis, incitatur, ſed ſanguinis miſſione, alui ductione, ſudatione, abſtinentia, datis temperantibus magis tenuatur, penituſque ſoluitur. Ex iis enim, quae ſupra retuli, clarum eſſe opinor, ad omnem inflammationem, et tanto magis ſuppurationem, febre opus eſſe, pro modo eius, et, prout pars magis, vel minus, neruoſa eſt, grauiori, vel leuiori. Nihil enim peſtilentius eſt, quam, ſi Pathologiae medicae rudes ignarosque non ſolum in abſceſſibus, ſed etiam in vulneribus, quae ad ſuppurationem ſpectant, omnis febris terret, qui ob id omnem etiam diſcutiendam tollendamque eſſe opinantur. Febrem enim, ſi eius maior impetus maiorque intentio eſt, minui oportet congruis auxiliis, et mitigari, qua, nimium aucta, inflammatio non ſolum nocenter ingraueſcit, ſed ſaepe in gangraenam tendit. Aſt vero etiam, ſi ea, pro modo ipſius noxae non ſatis vehemens eſt, quandoque expedit, illam incitari. Ii enim, quos in his curationibus vſus ipſe erudiuit, perceptum ratum probatumque habebunt, quod CELSVS (31) dedit. *Eſt circumſpecti quoque hominis, et nouare interdum, et augere morbum, et febres accendere: quia curationem, vbi id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere id, quod futurum eſt.* Potiſſimum igitur in his curationibus a praeſente medico requiritur, vt in moderationem febris omnem conſiderationem, omnemque diligentiam, intendat.

§. XXIII. Sed, quae exterius ſuperdari ſolent, crebrius etiam ſuppurationem tumorum impediunt. In inflammationibus enim,

p. 571. Ἕλκος πέλιον καὶ ξηρὸν ἢ χλωρὸν γιγόμενον θανάσιμον. HIPPOCRATEM in Latinum vertit CELSVS *Lib. II. Cap. VII. Vbi vlcus, quod, aut ante, aut in ipſo morbo, natum eſt, aridum, et, aut pallidum, aut liuidum, factum eſt, mors denunciatur.*

31) *Lib. III. Cap. IX.*

enim, quae a rebus, quae extrinſecus accidunt, ortae fuerunt, a primis initiis medicamenta proſunt, quae reprimunt, nec non, inualeſcente inflammatione, alia, quae efficacius diſcutiunt. Haec tamen res etiam diligentem animaduerſionem deſiderat. Nam, ſi homo gracilis eſt, et ſiccus, calidusque, diſcutientia haud proficiunt inflammatis, niſi adiiciantur, quae molliendi facultatem habent. In curatione vero tumorum, qui ad ſuppurationem ſpectant, ſi medentes nimis diu reprimentibus et diſcutientibus inſiſtunt, illud efficitur, vt tumor quidem parum deſidat, aſt occalleſcat, eique duritia maneat. Si etiam carnes, et praecipue tunica adipoſa, ſic induruerunt, eaeque ſedes, olim induratae, tandem impoſitis contrariis reſoluuntur, non boni abſceſſus, ſed mala vlcera, naſci conſueuerunt. Maior tamen metus eſſe ſolet in glandularum tumoribus, qui, ſic curati, in ſcirrhos, ſcirrhi vero tandem in tubera καρκινώδη, et vera καρκινώματα, degenerant. Reprimendi vero facultatem habent omnis generis vegetabilia, quae omnem partem, quibus imponuntur, confirmant, atque adſtringunt: Praeterea ſales, vitriolum, alumen, nitrum, ſal ammoniacus, ſal marinus, aerugo, bolus Armena, aliaeque terrae, impreſſo ſigillo diſtinctae, haematites, ex ferro, nec non plumbo, parata, vix non omnia. Diſcutientia vero dicuntur alia vegetabilia, quibus aliquis odor ſaporque aromaticus eſt. Et his etiam adnumeratur liquor ille ardens, quem alcohol, vel ſpiritum vini, vocamus, praecipue, ſi is camphorae plurimum excepit. Saepe miratus ſum, hunc liquorem a pluribus, qui de his ſcripſerunt, in omni tumorum genere, etiam, ſi mammae, teſtes, aliaeque glanduloſae ſedes, intumuerint, tam magnificis laudibus celebrari, et quaſi ſolum venditari. Liquor enim ille fibras rigidas facit, humores vero, praeſertim lac, ſanguinem ac lympham, cogit, camphora vero, quae in aere halitu difflatur, haud opportuna videtur craſſis, et arterias intercludentibus, humoribus reſoluendis, atque diſcutiendis. Vſus etiam docuit, curationem, ſi talis liquor diu ſuperhabitus fuit, raro feliciter ceſſiſſe, ſed crebrius eius

vſu tumores occalluiſſe. Ad id, praecipue, ſi foeminis mammae intumuerunt, non parum confert earum inanis metus, quippe quae ſuppurationem, ſcalpellumque, non tam iudicio refugiunt, quam caeco timore auerſantur, et reformidant. Non parum etiam peccant medentes, qui ſaepe, vel rerum ſuarum minus intelligentes, vel quaeſtus et commodi cauſa malitioſius agentes, id vnicum curant, vt cultioribus foeminis ſuum eximium et ſingulare ſtudium nauare videantur. Si enim tales data opera omnem inflammationem reprimentibus cohibent, non raro laudibus excipiuntur, quia aegram dimittit, et febris, et dolor, et ex tumore aliquid minuitur, vt feliciter omnia cedere videantur. Addunt tales, qui blandiloquentia fidem et beneuolentiam acquirere ſtudent, omnia tuta eſſe, profectum tempore expletum, et tumorem omnem diſcuſſum, iri. Manet vero tumor, nullum ab initio dolorem habens, qui tandem, ſi nullam adhibent curationem, qua tollere id malum tentant, poſt plures annos, ſi vero eum curationibus irritant, celerius obſcurum dolorem adfert, atque cancri futuri periculum oſtendit. Quod miſerum morbi genus, niſi in tempore tumor ſcalpello excidatur, hominem poſt longos tetrosque cruciatus occidit.

§. XXIIII. Superuacuum eſſe exiſtimo, iam multis perſequi, quam peſtiferum ſit, ſi, in acutis peſtilentibusque febribus, tumores, quos κρισίμους appellant, et qui cum coctionis ſignis in ſuppurationem tendunt, curantur. Intus enim compellitur, quae in exteriorem partem inclinata erat, mala materia, febris cum ἀπεψίᾳ, et omnibus malis ſignis, reuertitur, et mors inſequitur. Rarius quidem ita apud nos ſolui febres, nec omnes tumores, qui in his oriuntur, bonos eſſe, conſtat, quos et HIPPOCRATES ſedulo diſtinxit. (32) Certiſſime vero praecipitatur aeger, ſi eiusmodi tumoris maturatio impeditur.

§. XXV.

32) Vide PROSPERVM ALPINVM DVRETVM *in Coacas* HIPPOCRATIS *de Praeſagienda Vita et Morte L. VII. Cap. XXI. p. 550.* Confer LVDOVICVM *p. 114.*

§. XXV. Haec omnia peruulgata, neminique rerum noſtrarum intelligenti ignota, eſſe pluribus videbuntur. Docet vero diligentior obſeruatio, errores in his rebus inter plures, tum medicos, tum chirurgos, crebriores eſſe, et fere quotidianos. Nec vero minus hi frequentes ſunt in vulnerum curationibus, ſi in his ſuppuratio impeditur, quae in colliſis, et vbi aliquid deraſum, detritumque, fuit, neceſſaria eſt. In his enim pus citandum eſt, et in omnibus vulneribus, retuſo ac hebeti telo, vel enſe, cuius acies hebetata, et aſperior, eſt, vitro, et ſimilibus illatis, praecipue, ſi ea in locis neruoſis ſunt. Vulnera enim, quae tantum diſciſſa ſunt, et quibus nihil aliud acceſſit, ſi orae committuntur, deliganturque, non minus, quam oſſa fracta, per ſe, et fere ſine pure, ſaneſcunt. De omnibus enim vulnerum curationibus illud, quod ſupra laudatus SEPTALIVS prodidit, animo tenendum eſt: (33) *Docuimus, naturam perficere, quod a medicamentis expectari ſolet, maiusque damnum ex quotidiana medicamentorum impoſitione proficiſci, quam vtilitatem.* Crebrius quidem, ſi vulnera curanda ſunt, in eo peccatur, quod, vel ex ignoratione atque imprudentia, vel ſordidi lucelli cupidine, ea crebrius irritentur, et curatio trahatur: Id quod fieri ſolet, dum ea, quae id minime deſiderant, frequentius aperiuntur, iisque peregrina, vndique conquiſita, et compoſita, medicamenta imponuntur. Illud enim affirmare haud vereor, in ſimplici, recenti, et tantum diſciſſo, vulnere, quod enſe acuto, et cultellato, illatum fuit, quicquid medicamentorum in id, et inter oras eius, ingeritur, non ſolum non proficere, ſed nocere. Orae enim, quam primum ſanguis fluere deſiit, adducendae committendaeque ſunt, et faſcia idonea comprehendendae. Cum his vulneratum membrum recte collocari, quies atque abſtinentia imperari, et faſcia ante tertium diem reſolui, non debet. His enim omnis abſoluitur curatio. Si tamen aliquid imponendum videtur, puluillus ex balſamo quodam, quale eſt Peruuianum, vel ex alio liquore, ſpiritu ardente, aqua vulneraria, balſamo

33) *l. c. p. 199.*

Stahlii, ita exprimi debet, vt in eo nullus fere humor ſit, et extrinſecus attractis oris ſuper imponi, quo aer auertatur, quem omnia vulnera plurimum infeſtare compertum eſt. Ob id etiam ſuperdari poſſunt panni, vel ſicci, vel eodem modo ex ſpiritu ardente, vel aqua vulneraria, expreſſi. In his tamen illud diſcrimen eſt, vt ſpiritum magis deſiderare videantur corpora rara, laxaque. Emplaſtra iniiciunt crebrius chirurgi, quae aera quidem auertunt, aſt, quia ex medicamentis pinguibus conſtant, humoris impetum ad vulnus augere poſſunt, quare ea non, niſi in ſiccis, ſenibusque, opportuna eſſe reor.

§. XXVI. Vt vero ad id, quod mihi propoſitum eſt, reuertar, in vulneribus colliſis, et quae ſupra deſcripſi, pro modo ipſius vulneris, pro natura partium, et rerum corruptarum, quae liquefieri debent, plus, minusue, materia digerenda eſt, pusque mouendum. Tardari haec digeſtio ſolet, et maior concitari inflammatio, ſi ſanguis, qui non periculoſius, et cum impetu, ex vulnere ruit, ſed, pro modo vulneris, fluit, nimis mature et infuſis vehementioribus medicamentis reprimitur. Nam aduerſus inflammationem in ipſo ſanguinis curſu auxilium eſſe, iam CELSVS (34) animaduertit. Ergo magis tutum eſt, eum pati fluere, donec per ſe conquieſcit, vel, ſi imbecillitas timenda videtur, ſiccis linamentis, nulloque medicamento conſperſis, vel madefactis, vulnus implere. Imo non raro confert, ſi ſanguis ex valde colliſis vulneribus, qualia ea ſunt, quae glande plumbea, cutem perrumpente, imprimuntur, parum fluxiſſe videtur, vt orae vulneris concidantur, et ſanguis ex his, et ex vena etiam inciſa, mittatur.

§. XXVII. Materia etiam retinetur in vulnere, ſi huic, vel protinus, vel, ſi iam pus efferri coepit, imponuntur ſpirituoſa, atque acria, quo etiam eſſentiam balſamicam ex myrrha, ſuccino, oleo terebinthinae, quae ſpiritus ardens excepit, aliasque ſimiles compoſitiones, refero. Illa quidem ſic dicta eſſentia minus vulnus

34) *Lib. V. Cap. XXVI. §. 22.*

nus offendit, ſi fit ex ſolo ſpiritu ardente, nullo ſale addito, et ſi, poſtquam ſuccinum myrrhaque eo diluta ſunt, omne, quod in liquore vehementius, vel, vt vocant, ſpirituoſum, eſt, moderato adhibito calore, difflatur. Nihilominus tamen tale medicamentum, etiamſi rite paratum fuerit, vulnus laedit, ſuccos ex eo deſtillantes cogit, fibrasque arctat. Ergo vulneri, etiam colliſo, ſi id recens eſt, optime iniiciuntur linamenta ſicca, molliaque, quae etiam, ſi poſt viginti quatuor horas vulneri inhaerent, ibi relinquenda ſunt, donec decidunt, vel trahentem manum ſponte ſubſequuntur.

§. XXVIII. Non minus tamen etiam ora diſruptarum arteriarum, venarumque, intercludunt, ſuppurationem prohibent, et vulnus alienant, linamenta, et, qui ex his ſtruuntur, puluilli, praecipue autem turundae, ſi iis vulnera implentur, et valentius comprimuntur. Malum non parum augent chirurgi, ſi linamenta pannosque denſiores ſuper ea fulciunt, et omnia adſtrictiori faſcia comprehendunt. Nemo enim non videt, compreſſis vulneris oris retineri materiam, id quod etiam accidere ſolet, ſi, iam ſoluta inflammatione, pus melioris notae ex vulnere exiit, quod etiam tali vinctura reprimitur.

XXVIIII. Sunt plura alia, quae, dum vulnus irritant, pus, ne, vt decet, effluat, impediunt, vel illud, ſi iam motum eſt, reprimunt. Praeter acria, et ex alcohol compoſita, medicamenta, aer, praecipue gelidus, illud efficit, et, ſi linamenta medicamentaque non prius calafacta, ſed frigida, imponuntur. Nocet etiam nimius calor, tum aeris, tum rerum, quae vulneri ſuperdantur. Praeter haec omnia, ſi membrum, quod vulnus habet, non continetur, et ita collocatur, vt quieſcat, ſed ſub varia exercitatione mouetur, ſi id fricando, premendoque, vel quouis acri, et vehementi, medicamento offenditur. His enim omnibus, praecipue in locis neruoſis, et ſi haec magnopere vexata ſunt, inflammationem moueri, conſtat.

§. XXX. Obſeruando etiam notatum eſt, pus exitu prohiberi

beri a pure, quod in vulnere confluxit, si id non extergitur, sed mora atque calore corrumpitur. Corrupta enim intus materia aliam, quae ex osculis arteriarum effluit, in saniem rodentem conuertit, quippe quae ora arteriarum constringit, vulneris oras rodit, et exest, atque pruritum et inflammationem mouet. Tandem enim vulnus in vlcus, vlcus in fistulam, degenerat. Frequentius hoc incidere solet, si plaga angusta est, ex acuto telo, et quae altius penetrat, transuersa, vel curua, ita, vt nec pus, nec sanguis, exire ex ea commode possint.

§. XXXI. Moderandam, nec nimis incitandam, nec penitus cohibendam, inflammationem esse in omnibus his curationibus, supra ostendi. Si igitur grauis inflammatio haud metuenda videtur, id quod ex ipsa noxa, et ex sede, aetate, temperie, atque corporis habitu, cognoscitur, peccant chirurgi, si, ad eam auertendam, etiam extrinsecus, valentioribus medicamentis, quae reprimendi refrigerandique vim habent, vtuntur. His enim tenuatur, imo dissipatur, omnis inflammatio, tumorque residit, et vulnus in vlcus conuertitur. Iam vero HIPPOCRATES (35) pronunciauit: *Si in magnis et malis vulneribus nulli tumores apparent, ingens malum est.* Et CELSVS (36) illud his verbis expressit: *Nimis intumescere vulnus, periculosum, nihil intumescere, periculosissimum est. Illud indicium magnae inflammationis, hoc emortui corporis, est.*

§. XXXII. Neque vero satis est, illa tantum medicum intueri, quae extrinsecus laedere possunt, sed noscenda sunt alia, quae, intus in corpore orta, suppurationem impediunt. Iam supra relatum fuit, pus melioris notae, coctumque, fieri non posse, si humida vitiata sunt, et in toto corpore malus habitus est. Quare in curatione vulnerum danda sunt medicamenta ad pristinum morbum, si aliquis hominem tenet, curandum opportuna, Ad nocendum caeteroquin pusque supprimendum nihil fere magis valet,

35) *Sect. V. Aph. 66.* Ἢν τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων, καὶ ποινηρῶν, οἰδήματα μὴ φαίνηται, μέγα κακόν.

36) *Lib. V. Cap. 26.*

let, quam vehementior animi contentio, aut fatigatio, aut eius perturbatio, terror praecipue, atque ira, quibus vulnera, quae iam pus alunt, saepe vno quasi momento alienantur, arida fiunt, pallida ac liuida, cum aliis suspectis pessimisque signis, quae in vniuerso corpore cooriuntur. Idem subsequitur ex cibi vinique abundantia, et libidinis intemperantia, veneriſque vsu. Memorabile huius rei exemplum mihi retulit Praeses. Homini iuueni excisum fuerat sarcoma, quod in pectore, ex tumore, velamento suo incluso, enatum erat. Sanguis cum impetu fluxerat, quo vero suppresso, aeger satis bene se habuit, ita, vt pus melioris notae ex vulnere exiret. Aeger decimo tertio die bene valuit, et in conclaui deambulans fumum peti per fistulam hausit. Interea ad eum venit foemina, cum qua olim, meretricio amore coniunctus, sine dubio rem habuit. Mox insolita mutatio vulnusque aridum factum fuit, accessit crebrior animi defectio, et noua febris, arteriae celeriores fuerunt, et minime naturaliter ordinatae, nec aequis interuallis motae, animi aegritudo, abiectio, atque desperatio, quae hominem post viginti circiter horas sustulerunt. Maius in his periculum esse, si loca neruosa, et quae sub caluaria sunt, vulnere laesa fuerunt, experientia docuit.

§. XXXIII In omni medicina optima atque saluberrima auxilia calamitosa, perniciosaque, esse possunt, si alieno tempore adhibentur. Falluntur itaque, qui omnibus vulneratis eadem remedia, eundemque victum, imperant. Nam in casibus rebusque multum inter se differentibus perpetuum praeceptum esse non potest. Aliquando enim in senectute confectis, et, si, vel sanguinis profusio, vel alius morbus, multum virium abstulit, ex imbecillitate maximum periculum, et nihil magis alienum, est, quam aegri vires conuellere, sanguinem mittere, aluum ducere, vel hominem fame perdere, corpusque ita exinanire, vt puris coctio, quam natura molitur, turbetur. Illud etiam fieri potest, si, vel opium, et quae ex eo prostant, vel etiam nitrum, aliaque, quae

temperantia dicuntur, eiusmodi aegris dantur copioſiora. Iam enim inter plures medentes, qui non tam conſilio, quam medicamentorum aceruatim oblatorum pondere, morbos profligare ſuſtinent, increbuit, inualuitque, conſuetudo, vt omnis generis homines pulueribus et potionibus, ex nitro terreisque compoſitis, omni data occaſione, praeter neceſſitatem, obruant, id quod ſaepe lucelli gratia, quod ex eorum mercatu quaerunt, facere ſolent. Si enim in morbis materia naturaliter digeritur, haec quippe aliena efficere non raro ſolent, vt cruditas in corpore relinquatur, quae poſt alia ratione laedit, nouosque morbos parit. Id in ſuppuratione etiam accidere, compertum habeo. Vix autem dicere attinet, in maiori febris impetu, et abſtinentia, et ſanguinis miſſione, et purgatione, temperantibus, et aliis, eſſe pugnandum, corpusque imbecillius reddendum. In his etiam longe pernicioſiſſimum eſt, ſi aegro, vel victus ex valenti materia, vel vinum meracius, vel medicamenta, dantur, quae ſanguinem citare, febrem intendere, et inflammationem in gangraenam conuertere, poſſunt. Nam et his puris concoctionem, exitumque, prohiberi, ex iam dictis intelligitur.

§. XXXIIII. Si gangraena aliquam partem occupat, et illa eo proceſſit, vt ſuper putri ſerpenteque vlcere corrupta foetidaque, vel arida, et intentioni proxima cruſta ſit, etiam haec mediante ſuppuratione reſolui debet, in qua omne auxilium eſt. Si enim vi vitae pus inter vitiatum atque integrum haud moueri poteſt, ſuper eſt miſerum, ſed vnicum, auxilium, vt caetera corporis pars tuta ſit, membrum abſcindere. Nolo nunc omnia diſcrimina perſequi, quae dira haec valetudo habet, quippe quae a diuerſis, etiam ſibi contrariis, cauſis orta, et genere vitii, et ratione curationis, multum differt. Suppuratio vero et in his impeditur, ſi febri et inflammationi non iuſtus modus a medentibus ſtatuitur. Si enim inflammatio vehemens eſt, illaque ſe non remittit, vel arte tenuatur, neceſſe eſt, vt vitium procedat, et vt id, quod integrum

grum fuerat, etiam vitietur, quia plures arteriae a valentius coacto humore diſtenduntur, rumpunturque. Si vero locus, qui inter viuum mortuumque eſt, nullam omnino inflammationem habet, putredo ſub cute, ſubteractis quaſi quibusdam radicibus, tardius quidem, aſt magis nocenter, ſerpit, et tandem totum membrum ad os vsque corrumpit. Hoc vltimum perſpicuum eſt, vt oculis etiam iudicari poſſit, in eo gangraenae genere, quod ex virium defectione in valde infirmis et ſumma ſenectute confectis oriri quandoque ſolet. In huius enim curatione omne conſilium eo dirigendum eſt, vt vires alantur, ſuſtineanturque, et vt in ea parte, quae iuxta vitiatum emortuumque locum eſt, concitetur quaedam inflammatio, quam poſt ad ſuppurationem dirigere oportet.

§. XXXV. Extrinſecus vero hanc ſuppurationem cohibere poſſunt varia. Si putri humori, qui in illa ex emortuis concreta cruſta haeret, nullus exitus datur, ſi ei non mollientia imponuntur, quibus pus moueri, cruſtaque reſolui, ſolet, ſed alia, his contraria, alcohol, et quae ex eo parata proſtant, nec non alia, quae exſiccant, et putredinem coercent, aqua calcis viuae, refrigerantia, et reprimentia, ex ceruſſa, aliisque, quae ex plumbo parari ſolent. Meminit Praeſes chirurgi, qui aliquando in tantis erroris ac inſcientiae tenebris verſatus eſt, vt crus, cum id totum emortuum eſſet, balſamo circumlitum non aliter condiret, quam veteres mortuorum corpora. His et aliis erroribus, ſi pus in gangraena reprimitur, hoc vitium, quod nunquam leuiter terrere debet, ſaepe inſanabile redditur.

§. XXXVI. Ex quibusdam vero indiciis intelligitur, ſuppurationem fuiſſe impeditam. Inter ea vero eſt ipſa medendi ratio, ſi talis, qualem mox redargui, adhibita fuit, et ſi in tumore, qui inflammatus ad ſuppurationem ſpectauerat, febris nimis tenuata, omnis inflammatio diſſipata, et tumori reprimentia, refrigerantia, aliaque, quae humores cogunt, ſuperdata fuerunt. Si ita-

que febris, calor, dolorque, euanuerunt, si tumor parum, ast non penitus, desidit, in eoque duritia sine sensu manet, cognoscitur, tumorem occalluisse. Is vero scirrhus est, vel a scirrho propior.

§. XXXVII. Longe grauiora pericula sunt, si post malas ardentesque ac pestilentes febres, suppurationes, quae iam in aliquam exteriorem partem proruperant, iterum intus tendunt. Insequuntur enim plerumque mala et mortis propinquae indicia. Febris enim, quae se remiserat, cum omnibus malis notis reuertitur, aeger conuellitur, animo linquitur, sub somno subito terretur, expauescit, insanit, atque moritur. HIPPOCRATES (37) iam notauit: *Si tubercula, prope aures circa crisin exorta, non suppurata fuerint, et iterum disparuerint, recidiuam fieri.*

§. XXXVIII. Quae in vulneribus incidunt, si puris exitus inhibitus fuit, singularem attentionem merentur. Si vulneri collisо, mox a principio, et cum primum deligatur, imposita fuere ex spiritu ardente parata, vel si id linamentis pannisque et adstrictiori fascia nimium premitur, moueri protinus solet inflammatio, pro modo vulneris, vehementior, praecipue, si neruosae partes tendinesque vulnerati fuerunt. Adolescit inflammatio, quae in gangraenam tendere potest, si is, qui curaturus est, eidem medicamentorum generi insistit, et adstrictam fasciam haud resoluit. Quandoque inflammatio, magna suppuratione, sub cute etiam et altius inter musculos procedente, ac nouo quodam abscessu finitur. (38) Verum alia mali morbi, mortisque, signa nascuntur, si pus, quod iam in vulnere ortum fuerat, cohibetur, ita, vt ad interiora reuertat, et sanguini admisceatur. Illud hic omittendum haud videtur, magnas suppurationes nunquam sine periculo esse, praeci-

37) *Epidem. L. VI. Sect. IV. p. 807.* Confer PROSPERVM ALPINVM *de Praesagienda Vita et Morte L. VII. Cap. XXI.* et DVRETVM *in* HIPPOCRATIS *Coacas p. 264. seqq.* et passim.

38) Vide GARENGEOT *des Operations T. I. Art. I. p. 22 sqq.*

praecipue in corporibus imbecillis, et ex alio diuturnoque morbo iam inualidis. Nam, ſi etiam homo ei periculo, quod ex inflammatione inſtat, ereptus fuerit, non inanis tamen metus eſt, ne corpus purulenta materia oneretur, qua ſucci ad vitam praeſtandam neceſſarii corrumpi ſolent. Puris enim non minimum ex magnis abſceſſibus minoribus apertisque venis reſorbetur, quamuis etiam optima auxilia ad illud eliciundum adhibeantur. Vbi autem humores pure corrupti ſunt, corporis malus habitus et longi morbi oriuntur, qui raro expugnari queunt, et ſaepe hominem tollunt. Nonnunquam autem exitium magis in propinquo eſt, ſi pus in magnis eiusmodi ſuppurationibus, quod iam ortum fuerat, repente et valenter reprimitur. Hanc rem, a paucis animaduerſam, ex recentioribus ſatis bene expoſuit CONRADVS FRANCISCVS FAVDACCIVS. (39) Illud vero cognoſcere non difficile eſt, ſi chirurgus, et ipſum vulnus, et aegrum, conſiderare, ipſiusque puris rationem habere, velit. Nam vulnus, ex quo efferri ſolebat pus bonae notae, coctumque, protinus aridum fit, ex quo, vel nullus, vel tenuis, atque alienus, humor exit. Haec tamen differentia eſt: Aridae fiunt vulneris orae, aſt cum tumore, et dolore, ſi febris noua acceſſio eſt, eaque incitatior, quae ex ſuis ſignis facile cognoſcitur. In hoc enim caſu inter vagos horrores nouus oritur calor, quo, et ſiti, aeger non parum cruciatur, is etiam conqueritur de capitis dolore, nocturna vigilia, et tandem vanas imagines recipit, menteque turbata, aliena loquitur, aluus etiam fluere incipit, per quam exigua bilioſa ſubpallida et liuida, aut, quae peioris odoris ſunt, deſcendunt, et periculum mortis oſtendunt, vrina, cuius crebrior cupiditas, cum his cruda eſt, et tandem homo, orto frigido ſudore, extinguitur.

§. XXXVIIII. Longe tamen celerius rapitur aeger, ſi occaſio vehemens et repente orta fuit. De venere ſupra dictum eſt,

39) *Reflexions ſur les Playes C. VIII. p. 61.* 40) *l. c.*

et hiſtoria, vbi homo terrore perculſus ex vulnere non ita magno, nec adeo periculoſo, deceſſit, legitur in GARENGEOT. (40) Hos enim, vel ſyncope et rigor, vel neruorum diſtentio, plerumque tollere ſolet.

§. XL. Haec tamen frequentius ita eueniunt, ſi pus reuertitur, non ex inflammatione atque febre aucta, ſed ex imbecillitate, ſi vel ſanguinis profuſione omnis vitalis vis exhauſta fuit, vel, ſi ea propter alias cauſas elanguuit. In his orae vulneris etiam aridiores ſunt, aſt ſine tumore, ſed pallidae, liuidae, aut nigrae, et quae non recte ſentiunt. Homo enim, vel cito tollitur, vel longo morbo perimitur, cum pus in aliquod viſcus incumbere, crebrius autem in pulmonem atque iecor tranſire, ſoleat.

§. XLI. In gangraena non difficile eſt, videri, num malum conſiſtat, num latius procedat. Si enim ille locus, qui inter integrum corruptumque medius eſt, intumeſcit, paululum rubet, cruſta vero depreſſior, ac quaſi contractior, cernitur, ſpes futurae ſalutaris ſuppurationis, et felicis exitus, eſt. Si nihil horum deprehenditur, vitium ſerpit, et cum periculo adoleſcit.

§. XLII. Cognitis vero indiciis, quae oſtendunt, pus in variis curationum generibus fuiſſe repreſſum, etiam non obſcura ſunt, quae, vel ſpe conſolari, vel metu terrere aegrum, medentemque, poſſunt. Clarum eſt, non ſine periculo ſuppurationem inhiberi. In abſceſſibus quandoque, quamuis omnis inflammatio omnisque febris iam euanuerint, licet eam reducere, quae res vero longam patientiam poſtulat. Vbi autem in glandulis durus confirmatusque ſcirrhus eſt, is, tum datis, tum impoſitis, medicamentis exaſperatur, et in cancrum vertitur. In vulneribus et ſuppurationibus maioribus ſummum, vitaeque, periculum imminere, ſi pus valentius, et cum impetu, maxime ſubita ex aliqua cauſa, coortaque imbecillitate, cohibitum fuit, iam retuli. Si

id

id vero non tanta vi repreſſum fuit, et vitium adhuc in humidis conſiſtit, reuocata auctaque ſuppuratione ſpes ſupereſt. Vbi autem mala materia iam pulmonem, vel aliud viſcus, occupauit, tabes timeri poteſt.

§. XLIII. Curationum vero, auxiliorumque, quae his opitulari poſſunt, plura genera ſunt, et ex his tamen quaedam communia, quaedam propria. Inter communia refero, quae ad moderandam pro modo tumoris, aut vulneris, aut vlceris, inflammationem, febremque, faciunt. Si enim medicus hac moderatione recte vtitur, res plerumque feliciter cedit. Oportet vero, dum natura puris concoctionem molitur, ſedulo conſiderare aegrum, eius aetatem, corporis habitum, viresque, et omnia: pro diuerſo vero horum modo materiam ſuperantem minuere, et ob id ſanguinem mittere, aluum ducere, abſtinentiam imperare, ptiſanam, potumque diluentem, et medicamenta temperandi vim habentia, dare, et opportuna medicamenta tumori ac vulneri imponere. Si ſanguis iam profuſione exhauſtus, corpusque infirmum eſt, nec vero febris, nec inflammatio, pro modo vulneris, nimium vrgent, illa detractio corpus imbecillum, non integrum, reddit, quippe quae vires conuellit, et aegrum, effuſa omni vi, iugulat. Victus his etiam accommodandus eſt, qui ita dari debet, vt aegrum, nec ſuperuacuus oneret, nec eum nimia abſtinentia fameſque perdat. Non parum etiam ad felices curationes confert aer moderate calidus, quare ſemper, ſi ſuper tumoribus quaedam danda, vel ſi vulnera aperienda, ſunt, prope ſit teſtum igne plenum, quo aer, cui magna nocendi vis eſt, auertatur, et quo calefieri etiam medicamenta poſſint. Semper enim videndum eſt, ne, nec frigore, nec calore, ſubito tumores ac vlcera offendantur. In bono caeteroquin tempeſtatum habitu, atque in aere ſereno, puro, nullis effluuiis inquinato, maiorem ſecuritatem eſſe, quam in paludoſo, putribus halitibus foeto, atque graui, nemo ignorat.

§. XLIV.

§. XLIIII. Si vero ad ea veniendum, quae cuius noxae propria ſunt, tumores, ſi diſſipata inflammatione occalluerunt, impoſitis efficacioribus mollientibus expugnari debent. Ad id idonea ſunt cataplaſmata, quorum materia et compoſitio peruulgata eſt. Praeſes extollit eam, quae ex caricis pinguibus, igne parum toſtis, additis emollientibus, fiunt, quibus adiici etiam poteſt emplaſtrum diachylon compoſitum. Multum proficit tumoris modeſta fricatio, membri, cui is inſidet, exercitatio, victus paulo plenior, et potio etiam, niſi hoc aliud quid impediat, ex genere validiori. Si vero tumor iam in ſcirrhum degenerauit, is, qui ſaepe nec ſcalpello tuto exſcindi poteſt, omni curatione exaſperatur. Fatetur tamen Praeſes, aliquoties, impoſitis, diuque ſuperhabitis, prioris generis medicamentis, diligentique adhibita animaduerſione, mammarum, aliarumque partium, tumores ad ſuppurationem perductos, curatosque, fuiſſe, qui ab initio opinionem ſcirrhi fecerant.

§. XLV. In vulneribus colliſis ad pus eliciendum nihil magis prodeſt, quam, ſi plagae anguſtiores, in locis praecipue neruoſis, noua ſectione ampliantur, qua re ſola ſaepe vehementior tollitur inflammatio. Non enim neceſſarium puto, iam multis monere, alia, quae ſupra inter cauſas retuli, tollenda eſſe. Si vulnus ex imbecillitate repente aridum factum fuit, neceſſe eſt, oras ſcalpello plurimum concidere, quo humori exitus detur, et reuocetur inflammatio, ac ſuppuratio. Ingeri vero debent medicamenta, quae digerunt, et pus alunt, et quidem ſingulis partibus opportuna. Locis enim, in quibus multae carnes ſunt, mel ſatis idoneum eſt, cum terebinthina et oui vitello mixtum, quod vltimum adiicitur, quo reſina melius miſceri poſſit ſuccis ex corpore exeuntibus. Loca vero neruoſa acribus et melle irritantur, quare his conducit ſola terebinthina, vitello oui ſubacta, vel illa notiſſima ARCAEI compoſitio, quae in his caſibus fere omnibus praeferenda videtur. Etiam vulneri, ſi illud ex imbecillitate

ari-

aridum factum, nec satis tumidum, est, adhibenda fricatio est, superdari vero queunt malactica, fomenta ex emollientibus, et emplastra, praecipue diachylon compositum, quibus omnibus humor ad vulnus reuocatur. Quae in maiori incitataque inflammatione fieri debent, notissima esse reor. Saepe etiam opem fert scalpellum, si eo vulneris vexati collisique orae crebrius conciduntur.

§. XLVI. In curanda gangraena omnis salus fere a similibus speranda est. Nam etiam necessarium, vt crusta illa, cuius supra mentio facta fuit, altioribus plagis, et ad integrum vsque, concidatur. Haec enim res facit, vt corruptus humor exire possit, et vt imposita medicamenta per recentes maioresque plagas possint descendere. Ipsi vero crustae imponi oportet medicamenta ex duplici genere composita. In plagas scalpello factas demitti debent linimenta pus mouentia, et cum his alia, acriora. Liquor Bellostii ex aqua forti et argento viuo compositus, si is multa aqua diluitur; non alienus est. Plerumque linimentis vnguentum Aegyptiacum admiscent. Super crustam vero dari debent cataplasmata, ex farinis, herbis emollientibus, et lacte, parata, quibus partes adhuc integrae adficiuntur, pus mouetur, crusta vero emollitur, ac resoluitur.

§. XLVII. Quodsi vero gangraena in senibus, infirmisque, ex imbecillitate orta fuit, alendae sunt vires, et videndum, vt solidarum robur, quantum fieri potest, instauretur. Recentiores summopere extollunt corticem Peruuianum, quo gangraena desperata, per se orta, coercita fuisse dicitur. Dare solent quarta quaque hora drachmae dimidium cum syrupo caryophyllorum, confectione alkermes, vel alia analeptica compositione. (41) Extrinse-

41) De eo peculiarem Tractatum scripsit DVGLASSIVS. Vide Celeb. VATERI *Diss. de efficacia admiranda Chinchinae ad gangraenam sistendam, Witteb. an. MDCCXXXIV.* Conf. *The Medical Essays Vol. II. Art. XXXIV. p. 385. Vol. III. Obs. V. p. 35.* et *Art. VI. p. 43. Vol. IV. Obs. X. p. 47.*

cus olea fragrantiora, caryophyllorum, cinamomi, nec non ſpiritus ſalis ammoniaci, magnam efficaciam habent, ſi per plagas, cruſtae inciſas, demittuntur, ſuperdatis poſt malacticis. Caetera in curatione atque victu ſimilia his eſſe debent, quae in alio gangraenae genere neceſſaria ſunt.

§ XLVIII. De ſuppuratione illa ſpuria, ſeu purulento humore, qui ex vlceribus, fiſtulisque, tum arte concitatis, tum caſu ortis, efferri ſolet, illud ſaltem moneo, non ſemper tutum eſſe, illum cohiberi. Nam, id, quod ſemper a chronicis vlceribus fit, longe celerius corporis fluida illa, quae reprimitur, ſanie vitiantur. De his tamen, nec non internis ſuppurationibus, ſcribendi alia dabitur occaſio. Iam, huic commentationi finem impoſiturus, in his curationibus illud CELSI (42) monitum ſedulo tenendum eſſe, exiſtimo: *Rationalem medicinam inſtrui debere ab euidentibus cauſis obſcuris omnibus, non a cognitione artificis, ſed ab ipſa arte, reiectis.*

42) *in Praefat. L. I.* ſub finem.

DISSERTATIO VIII.
DE VICTV ET REGIMINE LACTANTIVM
PVBLICE PROPOSITA
D. I. SEPTEMBR. CIↃ IↃ CCXXXXXI.
RESPONDENTE
CAROLO GOTTLIEB PAVLI.

---

§. I.

Quanquam omni generi animalium a natura tributum eſt, vt prolem ſuam curae habeant, et de ea tuenda conſeruandaque laborent, inter ea tamen diſcrimen eſſe, deprehendimus. Nam quaedam animalia inueniuntur, quae quaſi per ſeſe naſcuntur, et ſine vlla eorum, a quibus genita ſunt, procuratione adoleſcunt. Piſces, teſtudines, et maiores belluae, crocodili, varii generis inſecta, oua ſua, cum genuerunt, relinquunt, quae non alio, quam ſolis, calore fota, quaſi ſponte, naturae excluduntur. Haec tamen animalia, quae oua ſua, poſtquam poſuerunt, non tuentur, eam minimum adhibent ſolertiam, vt aptum ad pariendum inueniant locum, in quo illa, ſole fota, iuſto tempore foetum fundere poſſint. Teſtudines ac crocodili oua in litoribus arena obruunt, qua ſolis calor multum intenditur. Piſces, quorum oua aqua ſuſtinentur, locum tranquillum quaerunt, quo illa conſiſtere poſſint, ne, ventis fluctibusque agitata, ex ſede ſua exturbentur. Inſectorum plura ea ſuper materiam ponunt, vel etiam infixo aculeo, quo inſtructa ſunt, factoque foramine, altius demittunt, qua vermiculi, ſi ex illis erumpunt, ali poſſunt, et ſuſtineri. (1) Aliorum oua, quae arborum

 foliis

1) Papiliones plerumque oua ſua ſuper folia plantarum ponunt, quibus minores vermiculi et erucae veſcuntur. vid. REAVMVR *Hiſtoire des Inſectes T. II. Comment.*

foliis inſident, vt ab aeris ac pluuiae iniuriis cuſtodiantur, a matribus, pilis, quos ex proprio corpore auellunt, ſingulari artificio coactis, cooperiuntur (2) Vt alia, quae in hiſtoria inſectorum ſumma admiratione digna inueniuntur, omittamus. In caeteris autem animantibus, praecipue pennatis, quantus eſt pullorum amor, quanta in his alendis educandiſque ſolertia, quanta in iis cuſtodiendis defendendiſque audacia! Nec hanc ſuam curam prius intermittunt, quam, ſi pulli ſe ipſos paſcere, et contra iniurias tutari, queunt. Sunt ex auibus quaedam, quae grana, quibus veſcuntur, in receptaculo, quod habent, et quod ingluuies vocatur, aſſeruant, et affuſis ex ſuo corpore humoribus macerant, molliuntque, quo melius a pullorum, qui iis cibantur, ventriculo poſſint exteri, atque confici. (3) Quadrupedia vero, ſi pauciora lacertarum genera, quae oua gignunt, excipias, illo ſucco, in ſuo corpore confecto, quo foetus in vtero altus fuerat, eum etiam in lucem editum nutriunt. Eodem enim ſucco, qui, dum animal ventrem fert, ad vterum, et ex vtero in ſecundas, ipſumque foetum, cadit, poſt partum vbera replentur, quo in lucem edita foetura ſaturatur. (4) Ob id etiam animalibus, quae numeroſo partu foecunda ſunt, plura vbera a natura data eſſe, nemo ignorat (5)

§ II. Lac vocamus illum ſuccum, qui, in hominibus etiam, ad foeminarum, quae partum ediderunt, mammas perlabitur. Homini

Comment. II. p. 93. Edit. Pariſ. Muſcae oua in carnes, prius aculeo foratas, condunt. *c. l. T. IV. p. 355.* Eſt muſcae genus, quod eodem modo oua ſua in corpus erucae viuentis deponit, ex quibus vermiculi naſcuntur, qui totam erucam vorant, ac quaſi depaſcunt. *c. l. T. II. Comm. XI p. 417.* Oua, quae ab aliis inſectis ſuper molliora animalium, vaccarum inprimis, ſtercora p nuntur, ne altius mergantur, extrema ſua parte quaſi quaedam retinacula habent. *c. l. T. IV. Comm IX. p. 378.*

2) *C. l. T. II. p. 98.* confer IOHANNIS SWAMMERDAMMII *Biblia Naturae, ſ. Hiſtoriam Inſectorum p. 395.*

3) Vide IOHANNIS CONRADI PEYERI *Merycologiam Lib. I. Cap. IV. p. 23. et 26.*

4) Huc pertinet Obſeruatio DOMINICI DE MARCHETTIS, qui in lactantibus foeminis poſt obitum arterias epigaſtricas aſcendentes vidit, ad magnitudinem minimi digiti vsque dilatatas, *in Anatomiae Cap. IX. p. 62.*

5) Confer CICERON. *de Nat. Deor. L. II. Cap. 51. p. 1098* et PLVTARCHVM *περὶ τῆς ὡς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας T. II. p. 493,*

mini enim, qui rationis particeps, cauſas rerum videt, et conſequentias cernit, cum excellentia praeſtantiaque caeterorum animalium, ingenita eſt illa στοργή, ſeu incredibilis amor, quo prolem ita complectitur, vt ei facilius ſit, omnem humanitatem exuere, quam hanc, qua a ſe genitos diligit, caritatem. Nec inficiari poſſumus, matribus longe arctiora vincula amoris eſſe cum natis, quam patribus, quippe quae eos non ſolum per nouem menſes in propriis viſceribus alunt, fouent, atque ſuſtentant, ſed eos etiam inter acerbiſſimos dolores et laborioſiſſimos nixus editos per plures menſes mammis ſuis educant, et ſucco, in ſuo corpore confecto, nutriunt.

§. III. Illi vero ingeniti ardenteſque amores, quibus matres partum, quem enixae ſunt, amplectuntur, id docere videntur, eas materni nominis decus ac dignitatem haud recte ſuſtinere, quae officium partum ſuum lactandi defugiunt, niſi iis, quadam neceſſitate coactis, hoc intermittendum ſit. Sunt tamen, praeter haec, plura alia, quae, tum ad animi habitum, effingendoſque in pueris mores, tum ad corporis valetudinem tuendam, attinent, quae poſtulare videntur, vt pueri a ſuis matribus alantur. Illud enim iam fere extra dubium, et alibi probatum, eſt, victum, reſque omnes, quarum vſu vita continetur, ad animi habitum moreſque aliquid conferre. (6) Et A. GELLIVS (7) in illa eleganti FAVORINI, Philoſophi, diſſertatione, qua is nobiles foeminas adhortatus eſt, vt liberos a ſe editos ſuo lacte alerent, non veretur, lac cum ſemine, ex quo homo primordia capit, comparare, et oſtendere, vtrumque ſuccum ad fingendas corporis animique ſimilitudines facere poſſe. Id etiam in pecudibus animaduerſum eſſe, addit,

6) PHILOSTRATVS de Arcadibus teſtatur, eos eſſe ἀγροικοτάτους ἀνθρώπων, καὶ συώδεις τά τε ἄλλα, καὶ τὸ γαστρίζεσθαι τῶν δρυῶν, ſimpliciſſimos hominum, et ſuillis moribus, tum in aliis, tum in eo, quod veſcerentur glandibus. *L. VIII. Cap. VII. p. 347.*

7) *Noct. Attic. L. XII. C. I.* cum quo confer, quae habet TACITVS *de moribus Germanorum Cap. XX.* et Autor *Dialogi de claris Oratoribus*, qui cum illius Operibus editus eſt, *Cap. XXVIII. p. 544. Edit.* IAC. GRONOVII. PLVTARCHVS *l. c.*

addit, et hoedis, si ouium lacte, aut agnis, si caprarum lacte, fuerint alti, his lanam duriorem, illis capillum teneriorem, obtigisse. Atque L. IVNIVS MODERATVS COLVMELLA (8) vetat, canes, quorum generosam indolem conseruare volumus, alienae nutricis vberibus educari. Quam ob rem apud VIRGILIVM (9) Dido, inexorabili Aeneae immanitatem exprobratura, inter alia ait, ei olim Hyrcanas tigres vbera praebuisse. Plura etiam apud Autores leguntur, siue historiae, siue fabulae, de hominibus, qui, cum bestiarum lacte nutriti adoleuissent, ingenium, moresque, nacti fuerunt, cum illarum natura congruentes. (10) Et de aliis, quibus pueris forte nutrices, vitiosam ac flagitiosam vitam viuentes, contigerant, relatum legimus, iis easdem animi prauitates, quasi cum lacte, fuisse infusas, quas etiam per totam vitam retinuisse dicuntur. (11)

§. IIII. Non vero solum propter has animorum conuersiones, morumque contagionem, sed etiam propter corporis valetudines,

8) COLVMELLA *L. VII. c. XII. p. 631.*

9) *Aeneid. L. IV. v. 365-367.*

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit de cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt vbera tigres.

Et OVIDIVS *Tristium Lib. I. Eleg. VIII. v. 43 sq.*

Quaeque tibi quondam, tenero ducenda palato,
Plena dedit nutrix vbera, tigris erat.

10) Vide GASPARVM A REIES in *Elysio Campo iucundarum Quaestionum, Qu. XLVII. p. 584.* Ante paucos annos autor libelli, cui Titulus: *Traité de la communication des maladies et des passions*, multis argumentis probare conatus est, infantes lacte bestiarum esse educandos. Eos enim, nec tam frequentibus, nec tam turbidis, concitatisque, motibus obnoxios esse, et rarius etiam, praesertim, si eorum vel mediocris cura habeatur corporis, morbo affici. Si vero id verum est, quod autor inprimis vrget, animos infantum lacte foeminarum corrumpi, cum saepius impetu animi ac perturbatione, quam iudicio, aut consilio, regantur, cui quaeso non tolerabilior videtur homo, qui, his animi affectionibus impulsus, quandoque vitiose agit, quam alius, cuius mores cum feritate, immanitate, stupiditateque bestiarum congruunt? Animi perturbationes ratione tandem euinci ac depelli possunt, vix potest immutari ingenium hominis stupidi et bardi, si id, cum lacte quasi suctum, praeualuit.

11) Summis principibusque viris semper laudi fuit, si illi lacte materno fuerunt nutriti, id quod probat ANDREAS TIRAQVELLVS *de Nobilitate Cap. XX. p. 151.* Exempla eorum, qui cum lacte omnis generis vitia accepisse dicuntur, vide in GASPARO A REIES *l. c.*

dines, quas tenelli cum alibili ſucco ſugere poſſunt, decet matres, a ſe genitos ſuo lacte educare. Plura enim genera morborum ſunt, praecipue ea, quae in humidis conſiſtunt, et quae, ſi penitius inſident, quamuis per varias curationes aliquantum compreſſa fuerint, poſt multum tempus maiori cum impetu reuertuntur. Si vero nutrix eiusmodi morbo laborat, ſemper periculum eſt, ne is etiam in puerum, quem lacte alit, peruadat. (12) Hoc tempore huius rei maior metus eſt, quo plures foeminae per furtiuam venerem, et foetum, et cum hoc, pernicialem Syphilidem, concipiunt, qua iam non minimam hominum partem contaminatam eſſe, conſtat. Omitto alia, a ſupra laudatis viris ſingulari ſtudio perorata, quae matres ad partum ſuum lactandum poſſunt adducere, atque permouere. Non poſſum tamen mihi imperare, quin adducam Illuſtrem prudentemque Poetam, SCAEVOLAM SAMMARTHANVM, (13) qui, vt multa praeclara, ſic hoc eleganter:

Nec mihi diſplieeat, quisquis fuit ille ſophorum,
Qui quondam edixit iucundi vt lactis amicos
Haud alio potius quam matris ab vbere rores
Exugat puer, atque alimenta beata capeſſat.
Hoc adeo rerum illa parens, hoc optima poſcit
Natura, officiique pias in tempore matres
Admonet, et ſoboli prudens accingit alendae.

Et

Praeterea cum res ab eodem ſemine cretas
Dulcior humorum concordia miſceat vltro,

Au

12) Vide IOHANNIS BAPTISTAE HELMONTII *Tr. de Infantis nutritione ad vitam longam, in Oper. p. 736.* qui exemplum adducit de puero, qui calculo obiit, quem morbum a nutrice acceperat. Calculum ex impuro lacte in nutrice oriri, multis probat HIPPOCRATES, *de morbis, Lib. IV. Sect. 28. T. II. Edit.* LIND. *p. 153. de Aëre, aquis et locis Sect. 24. T. I. p. 341.* De dyſenteria cum lacte infanti fugenti infuſa vide *Obſ.* IOHANNIS CONRADI BRVNNERI *in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VI. Obſ. 195. p. 387.* Cum etiam huius foeminae dyſenteria laborantis mammis catuli admouerentur, ne lac ſuperato morbo deficeret, illorum plures, crebrioribus deiectionibus confecti, obierunt.

13) *In Paedotrophiae L. I. p. 6. et 9.*

An cibus esse potest naturae acceptior vllus,
Ipse suo quam si de sanguine sanguis alatur?
Sponte fluunt alimenta suis accommoda rebus,
Cognatumque bibunt membra haud inuita liquorem.
Non illum aduerso pugnans humore moratur
Temperies, via sed facilis se pandit eunti
Ocyus, et laetos meliorem educit in artus.

§. V. Nec tamen hoc in omnibus perpetuum est. Saepe enim magis e re esse videtur, vt infans non materno, sed alieno, lacte educetur. Qui enim matres ad naturale debitumque officium sine discrimine excitant, et adhortantur, sibi optimas, et, tum moribus, tum corpore praestantiores animo fingere videntur. Quota vero quaeque matrum inuenitur, quae sit ita morata, ita animo ac vita constituta, vt ei haud verendum sit, ne cum lacte aliquid vitiositatis in prolem, quam alit, infundatur? Et, si sine ambitione verum seruandum est, foeminas, quibus domus opime et opipare instructa est, quae conuiuantur et ad coenas itant lautas atque pontificiales, quae totas dies sedentes inertissimo otio languent, quibus corpus a natura imbecillum est, quale plurimis optimatum atque opulentarum foeminarum esse solet, longe frequentius cupiditates inuadunt, quam alias pauperculas, quas, continuo labore perfunctas, parcus et parabilis victus delectat, et quae ex hoc maiorem refectionem voluptatemque percipiunt, quam aliae ex dapibus, et rebus ad epulas exquisitissimis. Et, si mores consideres, inter eiusmodi illecebras atque blandimenta virtus sopita longe facilius conniuet, quam inter rei familiaris angustias. Imo obseruatio docet, lautissimas foeminas, prae caeteris, in grauiores animi perturbationes incidere. Quamuis enim tales voluptatum illecebras fugiant, illae tamen minime aliis turbidis animorum commotionibus vacant, cum iis inter numerosam familiam, famularemque turbam, frequentius irascendi, moerendi, condolescendi, variaque extimescendi, occasio sit. Nonne hisce animorum

morum incitatioribus iactationibus aeque, ac aliis longis ac tabificis aegritudinibus, etiam maternum lac vitiari, eoque infantes, et eorum, tum animi, tum corporis, habitus corrumpi poterit? Praeterea, cum corpus longe prius, magisque, quam animus, afficiatur, nemo ignorat, elegantiores nitidasque foeminas longe frequentius grauioribus morbis, variisque corporis imbecillitatibus, conflictari.

§. VI. Quapropter nullum dubium est, maternum succum, qui infantem aluit, cum is praegnantis vtero contineretur, et cui is iam adsuetus est, ei etiam, in lucem edito, opportuniorem esse, quam lac alienum nutricis, praesertim, si, id quod crebrius fieri solet, sine discrimine, quaecunque id temporis lactans est, adhibetur. At enim vero, si infantes, dum lac sugunt, pernicioſa, tum animi, tum corporis, morborum contagione infici possunt, metus esse potest, ne ii seminium vtriusque generis valetudinum in animum corpusque suum ex deteriori matris corpore animoque etiam ducant. Igitur quandoque matre praestantior est nutrix bene morata, sana, atque vegeta. Et, quamuis matres, propter illum naturalem insitumque amorem, quo partum suum amplectuntur, eius longe intentiorem magisque vigilem curam habere soleant, neque tamen id semper fieri deprehendimus, cum inueniantur matrum non paucae, quae, si olim se variis cupiditatum lenociniis dederunt, his abreptae, illam curam, quam proli suae recte alendae educandaeque adhiberi decebat, destituunt. Taceo, interdum peramantes prolis suae matres nimio caecoque amore ita insanire, vt blanda sua indulgentia mollique educatione eam protinus inter vitae initia, fractis omnibus, et mentis, et corporis, neruis, corrumpant, imo eam, simiarum more, occidant.

§. VII. Igitur, si ex plurium foeminarum numero nutrix deligenda est, oportet curam cogitationemque in id potissimum conferre, vt illi mens sana cum corpore bene habito et integri sanguinis sit. De animi affectionibus nihil addam, cum vel ex ante dictis clarum sit, metuendum esse, ne animi prauitatum con-

tagio noceat tenellis. Et nutrix, quae modeſtioribus et ad capienda praecepta mollioribus moribus eſt, etiam ſaluti infantis melius accommodabit curas ſuas, quam alia petulans, proterua, intemperans, atque ignaua, vel iracunda, rixoſa, et aſperior. Si vero de corporis habitu dicendum, requiritur, vt foemina non tantum ſana ſit, et valens, ſed, vt bona etiam firmaque corporis affectione gaudeat. Non tamen cum iis ſentio, qui non alias, quam foeminas ruſticas, durasque, et firmiſſimo corpore praeualentes, probant, et his pueros, a parentibus imbecillis genitos, infirmos, et, quibus ſumma teneritas atque mollities eſt, ſine diſcrimine alendos tradunt. Nam ſucci, qui in eiusmodi corpore duro atque agreſti conficiuntur, minus idonei videntur alendo puero, cui corpus tenerum, delicatumque, imo eneruatum, eſt, quippe qui, ſi ea, quae Poeta de animo dixit, ad corporis habitum referre licet, a parentibus, auis peioribus, progenitus, vitioſior progenies eſt. De plantis id obſeruatio docuit, eas laetas, virentesque, ſi omni etiam diligentia exceptae et integrae in alium locum transferuntur, melioris terrae ſucco non raro deperire. Et, quamuis eiusmodi mulieri a fera agreſtique vita ad vrbanum cultum deductae alius victus miniſtretur, eique cibus detur leuior, atque materiae minus valentis, vt ex eo melior, et ad alendum infantem aptior, ſuccus conficiatur, nec id tamen ſemper bene cedere, et eiusmodi corpora ex tali victu celerius aegrotare, infra docebo, vbi, quae ad cibum potionemque lactantium attinent, exequar. Si igitur ego aliquid ſentio, etiam, quoad eius fieri poteſt, quaedam conuenientia nutricis cum infante, qui eius mammis educari debet, quaerenda eſt, vt delicatulus puer alimentum accipiat ex vrbanae mulieris mammis, cui ſalubris leuiorque victus honeſtusque cultus nunquam defuit, non vero ex adſtricto lacertoſoque mulieris corpore, quae haud ita pridem horridam incultamque vitam vixerat.

§. VIII. Superuacuum foret, iam omnes notas proponere, quae indicant, foeminam recte valere. Hanc tamen ſanitatem illa

illa non ſemper certo pollicetur, quae plenior et ſpecioſior, imo etiam coloratior, eſt, cum corpora habiliſſima et quadrata pernicialibus morbis ſaepe magis pateant, quam alia tenuiora. Etiam in eiusmodi corporibus, cum omni colore decoreque, morbos compreſſos conſiſtere poſſe, obſeruatio docet. Negandum tamen non eſt, magis ſuſpectam eſſe eam, quae venuſtatis colorem, qui ſanguine diffuſus faciei inſederat, amiſit, et, praeter conſuetudinem, emacuit. Quandoque tamen id pauperculis penuria victus accidere ſolet, quae, ſi pleniorem melioremque cibum ſumere poſſunt, breui ad priſtinum habitum atque decorem reuertunt. Non tamen probari ſolet, cui vari, lenticulae, et copioſae ephelides, in facie naſcuntur. Caeteroquin corpus, nec gracile, nec obeſum, eſſe conuenit, cum, CELSO (14) teſte, prius infirmum, alterum hebes, ſit. Singularem obſeruationem deſiderant dentes, qui, ſi in ore bene conſtructi, candiduli ſunt, ac ſtabiles, apti ſunt ad mandendum extenuandumque cibum, vt is bene mollitus a ventriculo aliisque viſceribus recte exteratur. Dentium etiam nitor et ſtabilitas, et ſi illis nullus glutinoſus humor inhaereſcit, ſignum eſt bonae valetudinis, cum, ſi corporis habitus corruptus, et vitium in eius humidis eſt, dentes breui luridi fiant, rubigine ſcabri, foetidi, et carioſi, labantesque tandem excidant.

Elige, quae media eſt inter iuuenemque ſenemque:
Quae gracilis, nec macra tamen: cui viuidus oris
Eſt nitor, et ſano veniens in corpore robur:
Brachia longa, patens pectus, proceraque ceruix,
Quaeque rubent teretes extanti tubere mammae,
Vnde pluit niuei quantum ſatis imbris. (15)

§. VIIII. Certior etiam valetudo eſt, ſi mulieri quotidie aluus reſpondet. Nam ab omni morbo tuta non eſt, cui illa per

 plures

14) *Lib. II. Cap. I.* 15) *L. c. p. 62.*

plures dies, vel ex toto ſuppreſſa, vel ita contracta, eſt, vt id, quod deſcendit, durum ſit, atque exiguum. Peius tamen, et imbecilli corporis teſtimonium, eſt aluus cita, et quotidie fluens, non ſatis coacta. Sana etiam eſſe non poteſt, quae nimio catameniorum, vel alius mali humoris ex naturalibus, profluuio debilitatur, et ſatius eſt, lactanti menſtrua non prouenire. Corpus etiam infirmum eſſe, intelligitur, ſi illud, ex leui occaſione, inſudat, ſi os ex infirmo ſtomacho olet, et ſi, veluti olim Lemniis mulieribus, (16) malus odor in toto corpore eſt, vel, ſi mulier ἐκμαγέα ὄζει, (17) ſi non ex facili ſpirat, ſi ſtomacho laborat, ita, vt tarda ei concoctio ſit, ſi inflantur praecordia, et intumeſcunt pedes, ſi noctu haud dormit, ſed vigilat, vel, ſi ſaepius expergiſcitur, et iterum ſoporatur, et, ſi ei tumultuoſa ſomnia ſunt. De mammis, quas GELLIVS (18) ſanctiſſimos corporis fontes, humani generis educatores, vocat, dicendum, repudiandas eſſe, maiores atque penſiles aeque, ac nimis exiles. Nam in mammoſis itinera, per quae lac ad papillas fertur, mole penſili comprimuntur, vt lac difficilius ab infante ſugatur. In iuſto minoribus autem mammis non tantum lactis, quantum ad eum alendum neceſſarium eſt, confici, et a ſanguine ſecerni, poteſt. Nec minor papillarum ratio habenda, quas minores et extantiores eſſe conuenit, vt ore tenellorum prehendi commode poſſint. Saepe vitris, ad id aptatis, ſuctione etiam, adultioris et valentioris foeminae latitantes papillae, vt magis promineant, excitantur, eliciunturque. Si foemina non, niſi vnam, mammam habet, res non ſine omni periculo eſt. Nam, quamuis etiam nulla lactis penuria ſit, infantem, dum eandem mammam ſemper ſugit, in vnum latus procumbere oportet, cui, ob id, ſi corpus imbecillum eſt, accidere poteſt, vt dorſi ſpina diſtorqueatur, et is gibberoſus fiat.

§. X.

16) Vid. PAVSANIAE *deſcriptio Graeciae Lib. X. c. 38. p. 895.*

17) Vide CATVLLVM cum ISAACI VOSSII *obſeruationibus p. 96.*

18) *L. c.*

§. X. Habenda tamen in eligenda nutrice potior ratio eſt illius ſucci, quo infans alitur. Lac igitur experimentis inſpiciendum, videndumque eſt, num illud bonum ſit, et ad nutriendum infantem idoneum, de quo melius exiſtimare poterit Medicus, cui omnia, quae ad huius ſucci ortum atque naturam attinent, ſunt perſpecta. Supervacuum foret, iam multis mammam deſcribere, illarumque admirabilem fabricam, quae glanduloſa, et ad hunc ſuccum conficiendum accommodata, eſt. Nec vllus, qui rerum noſtrarum vel parum peritus eſt, arterias ignorat, per quas hic ſuccus ad mammas perlabitur, nec illas fiſtulas, per quas lac in iis ſecretum coactumque efferri ſolet. Illud autem omittendum haud eſſe ſentio, non ſolum mammis, ſed vberibus etiam animalium, quae glandulis affimiles ſunt, intextam eſſe multam pinguedinem, ita, vt a vero propius videatur, huius aliquam partem humori, qui, ex ſanguine ſecretus, per mammas diffunditur, admiſceri. Nam illud ex eo ſcire licet, quod, ſi nutrici etiam victus ex firmiori ac minus pingui materia cum aqua detur, lac nihilominus butyrum habeat, quamuis non ita copioſum. Multum etiam poſt abſtinentiam extenuatur corpus lactantis foeminae, cui fere omnis adeps decedit. (19) Praecipua tamen lactis materia chylus eſt, qui in eam venam, quam ſubclauiam vocamus, cum ſanguine confunditur. Tum ille ſuccus cum ſanguine in cordis ventriculum dextrum cadit, ex quo expreſſus ad pulmones per ductas arterias et venas permanat. Ex his vero is, in cordis ſiniſtrum ventriculum delapſus, per arterias, ad omne corpus, atque ad mammas etiam directas, diſtribuitur. Hac cordis, pulmonum, arteriarumque, actione, et ſanguinis etiam admiſtione, chylum, antequam is ad mammas ductus eſt, plurimum immutari, omni dubio caret. Nihilominus, ſi foeminae lactantes, et animalia etiam, quae lac in vberibus habent, ſapidioribus veſcuntur, eodem

 ſapore

19) Cum inter alios morbos lues venerea ſedem habeat in adipe, vide BOERHAAVE *Praefat. in Aphrodiſiacum*, vel ex hac ratione ſcire poſſumus, cur vitiatus nutricis humor etiam foetui poſſit infundi.

ſapore lac imbui deprehenditur, ex quo clarum eſt, lac, praecipue, ſi id breui poſt paſtum elicitur, naturam aſſumti per tempus retinere. (20) Quare, ſi alia lactantibus dantur, quae maiorem vim ad corpus humidaque immutanda habent, etiam illa eorum facultas lacti admiſcetur, ita, vt non raro ex eo pueri periclitentur. Iam olim HIPPOCRATES (21) obſeruando notauit, purgantia, quae lactantibus dantur, etiam aluum mouere lactentibus, id quod certis obſeruationibus confirmauerunt PROSPER MARTIANVS, (22) CHRISTIANVS FRANCISCVS PAVLLINI, (23) aliique. Ex his autem clarum eſſe arbitror, lac ex chylo, potiſſimum ad mammas permanante, conſtare.

§. XI. Quare, cum non ſolum animantium plura, ſed etiam plerique hominum, vegetabilibus veſcantur, non difficile eſt, inuenire, cur, inter caeteros corporis animalis ſuccos, lac ſolum quiete atque calore aceſcat, reliquis omnibus, ipſoque ſanguine, putreſcentibus. Longe facilius vero acere ſolet, aucto calore, et, ſi is ei ſimilis eſt, quem noſtrum corpus naturaliter habere conſueuit.

20) De oleo oliuarum vide *Ephem. Nat. Cur. Append. ad Ann. IV. Dec. II. p. 204.* De croco et rhabarbaro, quibus etiam color lactis mutatur, Illuſtr. HOFFMANNVS *Med. Rat. Syſtem. T. I. P II. Cap. XIII. p. 453.*

21) *Lib. VI. Epidem. Sect. V. T. I. p. 811.* γυνὴ αὖξ, ἐλατήριον ἢ σικῦον ἄγριον βεβρωκυῖα, καὶ παιδίοισι κάθαρσις.

22) In *Comment. in* HIPPOCRATEM *de Natura pueri p. 43.* Num vero etiam pili, aliaeque res, ad mammas ferri queant, dubium videtur. ARISTOTELES hoc de pilo prodidit, qui ſcribit, ex eo deglutito et ad mammas delato oriri dolorem in iis, et morbum, quem τριχίαν appellauit. Ἐὰν ἐν τῷ πόματι λάβωσι τρίχα, πόνος ἐγγίνεται ἐν τοῖς μαστοῖς ὃ καλοῦσι τριχίαν (alii legunt τριχιᾶν) *in Hiſt. Animal. L. VII. Cap. XI. T. I. p. 896.* et PROSPER MARTIANVS teſtatur, ſe accepiſſe a Chirurgo, PROSPERO CECHINO, aliquando ex papilla mulieris extractum fuiſſe ſurculum cichorii, quod veſperi praecedenti comederat. Probabile videtur, lac coactum in pili et radiculae figuram fuiſſe formatum. Vide plura in RODERICO A CASTRO *de Morbis Mulierum L. IV. Cap. XXVI. in Scholiis.*

23) *In Obſeruationibus medico-phyſicis ſelectis et curioſis Obſ. LVII. in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. 6. Append. p. 721.* Qui obſeruauit ſcabiem in puella ortam ex Rob ſambuci, quod nutrix intemperantius deuorauerat, alui ſuppreſſiones ex nimio oryzae et meſpilorum vſu, febrem ardentem ex epoto ſpiritu ardente, colicam a rapis, epilepſiam a comeſtis anguillis, ſtuporem et funeſtam ſomnolentiam a papauere, et placentulis hoc ſemine conſperſis, lethalem dyſenteriam ex cucumerum eſu etc.

ſueuit. Ipſum autem lac recens dulce, nec acidum, nec alcalinum, eſt, quippe quod, nec cum acidis, nec cum alcalinis, iiſque valentioribus, remixtum, efferueſcit. Color etiam coeruleus ſyrupi violarum illo haud inuertitur. Lac vero ex tribus compoſitum eſt, quae tria etiam, ſi illud quieſcit, inter ſe ſeparantur. Maior pars lactis aqua eſt, quam ſerum appellant, altera coacta, caſeus dicitur, qui fundum petit, ab initio acet, tempore vero, et ſi ex lacte pinguiori eſt, rancidus fit, et foetidus. (24) Cremor, ex quo butyrum fit, aquae innatat. Butyrum proxime cum oleis, quae ex variis plantarum ſeminibus preſſu eliciuntur, conuenit, quae tamen olea cum lacte miſceri nequeunt. Lac vero, non ſolum quiete et calore, ſed etiam additis, tum acidis, tum alcalinis, cogitur. Celerius concreſcit, ſi acida, tardius, ſi alcalina, et parum, ſi alcalina volatilia, adiiciuntur. In acorem facilius denſatur, ſi acida lacti calenti, vel ebullienti, ſuperinfunduntur. Domeſticis tamen experimentis cognitum eſt, lac, quod ebulliit per ſeſe, non tam cito acorem concipere. Contrahitur autem lac, non ſolum adiectis acidis et alcalinis, ſed etiam ſpiritu ardente, ſeu alcohol, et vino, eoque etiam dulciculo. Sales vero, qui ex alcalinis acidiſque compoſiti, ſales neutrius generis dicuntur, quo etiam ſal culinaris, nitrum, ſaccharumque, referri poſſunt, lac haud cogunt, ſed potius ſoluunt, atque attenuant. (25) Praeter iſta omnia vero, alienum non eſt, lacti ex corpore admiſceri aliquid illius elaboratiſſimi ſucci, qui, in cerebro confectus, per neruos in omne corpus diffunditur. Hoc minimum exploratum eſt, lac aëre multum inuerti, et longe ſalubrius praeſtantiuſque illud eſſe, quod ex mammis ſugitur, quam, quod, mulctu expreſſum, bibitur.

§. XII.

24) Haec lactis pars aliquando in lapideam duritiem cogitur, id quod de caſeo, qui non valde pinguis eſt, conſtat. Hoc in corpore fieri poſſe, docet obſeruatio in *H. A. R. Sc. MDCCXXXII. p. 49.* de foemina, quae ſolo lacte vixerat, cui aluus ex eo adeo ſuppreſſa fuit, vt nihil redderet. Huic educta fuit magna vis lapidum, ſine dubio ex lacte concretorum.

25) Vide HERMANNI BOERHAAVE *Chemiam T. II. p. 55.* et HENRICI DOORSCHODT *Diſſ. de Lacte, Lugd. Bat. MDCCXXXVII.*

§ XII. Magna tamen differentia lactis in tempore esse solet, quo illud in corpore confectum inuenitur. In grauidis enim, et antequam partus editus est, non tam lac, quam salsus quidam succus, ex mammis exprimitur. Primis duobus, tribusue, diebus a partu, tenuis est succus, qui ex mammis trahitur, minime pinguis, sed, qui, aliquantum salsus, vel acriculus, aluum puerorum mouet. Colostrum hoc primum lac vocant, quod naturae benignitas dedisse videtur, vt eo corrupti humores, sordesque, quas μηκώνειον vocant, ex ventriculo et intestinis expellantur. Post tertium tamen diem lac pinguius est, ad alendum infantem magis aptum. Multo tamen tenuius id primis mensibus esse solet, quam vltimis, quo tempore foetus, iam adolescente aetate, etiam valentioris generis alimentum requirit.

§. XIII. Non minus vtile est, scire tempora, quibus varii generis cibi in lac conuertuntur. Experimentis cognitum est, ea, quae ad mutandum corpus efficaciora sunt, si ventriculo recipiuntur, sine mora ad mammas duci. Si enim nutrici catharticum valentius, infanti autem fere eodem tempore ab hac mamma datur, huic aluus protinus, et saepe non sine summo periculo, subtrahitur. Cibi autem, potionesque, magna discrimina recipiunt. Nam iurulenta, lac, aliaque, quae ex imbecillissima materia sunt, et humidis corporis iam accommodata, citius non solum in ventriculo concoquuntur, sed etiam in lac vertuntur, alendo infanti opportunum. Robustior autem cibus, quem praestant panis, carnes grandiorum animalium, aliaque, quae valentioris generis sunt, aegrius et tardius concoquitur. Aliud praeterea discrimen est, si cibus paucus assumtus fuit, isque bene mansus, atque in ore extenuatus. Nam is, etiamsi firmior sit, celerius concoquitur, atque in chylum et lac vertitur, quam, si voracioris stomachus cibo et potione, etiam ex imbecilissima materia, nimis est impletus. Experimentis hanc rem declarauerunt exercitatissimi Anatomici, IOHANNES WALAEVS, (26) et RICHARDVS LOWERVS. (27) Quorum

26) *De Motu Chyli Epist. I.* 27) *De Corde Cap. V.*

rum prior in animalibus, poſt paſtum inciſis, vidit, iuſcula et lac vnius horae ſpatio confici, panem autem primis horis pedetentim immutari, tandem vero eum, hora inter quartam quintamque extritum, per pylorum in duodenum deſcendere, carnibus vero, aliiſque valentioribus, hoc inter ſextam ſeptimamque horam incidere. Alter vero oſtendit, in homine, cui quarta, poſt ientaculum, prandiumue, hora, ſanguis ex vena mittitur, chylum adhuc albidum, et nondum in ſanguinem verſum, cum hoc effluere. Magnum tamen quoque diſcrimen requirunt ipſa foeminarum corpora. Aegrius cibus concoquitur in ſtomacho foeminae imbecillae, cuius corpus nullo labore firmatum, ſed ignauia hebetatum, eſt. Ad omnes praeterea naturales actiones, ac ciborum etiam celeriorem et magis abſolutam concoctionem, bene conſtitutus animi habitus, laetitiaque, plurimum confert, moeror vero iis non parum detrahit. Ex his vero, vt illud, quod nobis iam propoſuimus, aſſequamur, clarum eſſe reor, lac optimum eſſe, quod inter quartam ſextamque horam, poſt aſſumtum firmioris materiae cibum, infantibus praebetur. Illud enim, quod mox poſt paſtum datur, crudum eſt, et, praeſertim, ſi nutrix poſt famem ſe valentioribus, veluti pane fermentato, atro, pultibus ex farina, ac leguminibus, impleuit, longe celerius aceſcit. Poſt nimiam vero abſtinentiam, et, ſi nutrix per decem, et plures, horas nihil aſſumſit, lac paucum eſt, colore flaueſcens, haud dulce, ſed ingrati ſaporis, quod infantes, niſi fames illud dulce reddat, auerſantur.

§. XIIII. Ex his omnibus, ſi lac, ex mammis expreſſum, recognoſcendum eſt, colligi poteſt, quale ſit optimum, et ad alendum foetum idoneum. Boni itaque lactis notae ſunt: color ex albo coeruleus, ſapor gratus et dulcis, et, ſi illud minime aſperum eſt, ita, vt, ſi eius guttula inter palpebras in oculum demittatur, hic nullo ſenſu, prurituue, afficiatur. Oportet etiam, vt deſtillans in ſpeculum, vel vnguem, guttula his aliquantum, non vero

nimis tenaciter, inhaereat, et, iis inclinatis, non nimis celeriter, tandem vero defluat. (28)

Optimus eſt dulcis lactis ſapor, optimus albi
Eſt calor, ingratum fugio quod ſpirat odorem,
Et quod, ſi vngue probes, aut craſſum lentius haeret,
Aut fluidum cadit (29)

Minime exiſtimandum eſt, illud eſſe praeſtabilius, quod, ſi quieuit, multum cremorem facit. Nam hoc, quod nimis pingue eſt, ab infante nouiter edito, vel etiam ab adultiore, ſed imbecillo, et ab vrbanis parentibus genito, haud recte concoqui poteſt, quare ex eo plurima ſtomachi et inteſtinorum vitia, praecipue inflationes, quibus inteſtina torquentur, et ex his neruorum diſtentiones, naſcuntur. Hanc rem egregie confirmat obſeruatio ROSINI LENTILII, (30) et, quem is adducit, LAVRENTII HOFFMANNI, (31) qui deprehenderunt, ex pinguiori lacte in coli ſinubus ac cellulis concreſcere globulos pingues, atque admodum duros, eoſque inteſtini motu periſtaltico compactos, aegrius per aluum deſcendere: hos vero globulos, inteſtino inhaerentes, pueros valde excruciare, imo, concitata neruorum diſtentione, tollere. Similia dici poſſunt de lacte, quod mucoſum multo caſeo abundat, quod peſſimum eſſe reor. Melius autem, quod dilutius multam aquam habet, haud vero acre eſt. (32)

§. XV. Iam vero videamus, quibus hanc lactis bonitatem in

28) Aliam lac explorandi rationem propoſuerunt PAVLVS AEGINETA *Lib. I. Cap. III.* et ORIBASIVS, *Synopſeos Lib. V. Infundatur lac in vas vitreum, et coaguli moderata copia immittatur, ac digitis conteratur, atque ita, donec coaguletur, dimittatur, ac deinde conſideretur, an caſei minus in ipſo ſit, quam ſeri. Tale enim lac inutile eſt, contrarium vero concoctu difficile. Optimum vero eſt id, quod habet vtraque moderata.*

29) SAMMARTHANVS *l. c. p. 62.*

30) *In Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. II. Obſ. 152. p. 340.*

31) *De vero vſu et fero abuſu medicamentorum Chemicorum p. 45.*

32) Vide DE LA MOTTE *Traité des Accouchemens L. I. Chap. 33.* qui omne lac, quod tenue eſt, et limpidum, pinguiori craſſoque praefert.

in nutrice poſſimus tueri, atque ſeruare. Ante omnia illud ſcire conuenit, cuius, vel ignoratione, vel negligentia, in his rebus plerumque peccatur, *omne, quod contra conſuetudinem eſt*, etiam eiuſmodi foeminae *nocere, ſeu molle fuerit, ſeu durum.* (33) De huius rei veritate cum nemo dubitare poſſit, conferamus vitam, quam non raro mulier, in caſa atque tugurio habitans, ſumma egeſtate preſſa, viuit, cum illa, ſi, in vrbem, aulamue, accerſita iam dicitur

Priami natorum regia nutrix.

Ruri, miſero victu contenta, furfureum atrumque panem eſitauit, caeteris felicior, ſi hunc interdum ex iure heſterno vorare et eo famem a labris depellere, ac ſe exſatiare, potuit. Obſonium ex nulla alia re habuit, quam, ſi lac et butyrum excipias, ex caſeo, leguminibus, lenticulis, piſis, fabis, ex oleribus, quorum, vel herbas, vel fructus, in cauliculo naſcentes, vel radices, bulboſque, eſſe ſolemus, quae omnia valentioris generis ſunt. Haec vero, quae minus facile concoquuntur, nihilominus robuſtis hominibus aptiora ſunt, cum ſemel concocta plus alant. Sunt haec, et prae caeteris etiam panis ater, fermentatus, aceſcentis naturae, quae vero in his duris corporibus viſcerum integerrimorum valida actione facile conficiuntur, et in illos ſuccos vertuntur, quibus corpus animale continetur. Praeter hanc ipſius corporis actionem, duo ſunt, quae ad hanc conuerſionem plurimum faciunt, corporis exercitatio, et potionis genus. Agreſtibus enim hominibus, qui aſſiduo et graui corporis labore omnem vitae curſum conficiunt, illud boni accidit, vt ab iis varii generis cibi, quamuis boni ſucci non ſint, et ſtomacho alieni, nihilominus bene concoquantur. Etiam in eorum viſceribus iam confectus ſuccus muſculorum actione magis digeritur, extenuaturque, ac, tum ad corpus alendum, tum ad alias naturales actiones praeſtandas, aptior meliorque redditur. De potione vero ea ratio eſt, vt corpori

33) Sunt verba CELSI *Lib. I. Cap. 3.*

duro exercitatoque nulla melior ſit, quam dilutiſſima, quae ſitim haud accendit, nec efficit, vt homo plus appetat, quam ventriculus ſine noxa ferre poteſt. Id vero cum ex omni genere potionum fermentatarum fieri ſoleat, ſiue illae ex frumento factae ſint, ſiue ex vino, intelligitur, aquam puram, leuem, fontanam, ſaluberrimam eſſe, quam CELSVS (34) imbecilliſſimam vocat. De aëre notiſſimum eſt, quantam ſalubritatem habeat coeli aperti, ventis agitati, tenuis et puri aſpiratio, cum etiam vrbanos homines quandoque, ſi ruri eſſe poſſunt, eo coelo optime refici, et grauibus diuturnisque morbis leuari, videamus. Illa vero, tum aquae fontanae puraeque potione, tum aëris ſalubritate, ruricolae plerumque fruuntur. Alia, quae ad hanc pauperculorum viuendi rationem pertinent, omitto.

§. XVI. Sed iam conſidera hanc foeminam, ſi illa nutrix facta eſt vrbana, apud homines, apud quos nihil non lautum eſt, et elegans, omne opiparum, et ſplendidum. Foemina, quae fame fere enecta fuerat, iam cibum, cuius varietas effrenatam appetentiam auget, incontinenter, et contra conſuetudinem, non tam aſſumit, quam deuorat, ita, vt ventriculus, nimia ſatietate impletus, ex cibo, qui concoqui non potuit, et, vel coacuit, vel computruit, cruditatem pituitamque contrahat. Sequitur inflatio, dolor, vel cardialgia, et anxietas, et, cum ventriculus cibi ſatis tenax non eſt, crebrior vomitus. Solent vero tales foeminae, ſi ſtomachum nauſea grauem exonerant, id occultiſſime facere. Peſſimum cum his eſt, eandem nutricem, olim laboribus quotidianis fractam, iam per omnem diem deſidentem et oſcitantem, dormitantemque, cunis aſſidere, et inertiſſimo otio hebeſcere, atque languere. Ei iam datur potio valentioris generis, ex frumento, quam, quod ſapidior eſt, cum voluptate, et intemperanter, bibit. Nec etiam facile ea denegatur, quod illa plurimum ad lactis copiam augendam facere creditur. Si vero hanc cereuiſiam intemperanter potat otio ac deſidia macreſcens nutrix, totum corpus accenditur, et ex ea in ventri-

34) *Lib. II. Cap. 18.*

ventriculo aceſcente noua materia cruditatibus additur. Si vero cereuiſiam, cui adſueta non eſt, auerſatur, abſtinentia peccatur, et, dum parum bibitur, cibus non ſatis diluitur, ex quo etiam, nec bonus chylus, nec idoneum lac, confici poteſt. Praeter haec omnia, illa foemina iam caret coeli puri liberique ac tenuis ſalubritate, cui, in paruum anguſtumque conclaue concluſae, aër pinguis, craſſus, ac caliginoſus, offunditur. Ex his autem, et aliis pluribus, quae iam ſtudio omitto, perſpicuum eſt, eiusmodi foeminam grauiter affici, ſi illa, ab inedia, ad pleniorem victum, a nimio labore, ad otium, ab aëre tenui, puro, ad concretum, pinguem, caliginoſum, et variis impuris halitibus plenum, fuit perducta. *Nam, cum quis, iubente* id CELSO, (35) *mutare aliquid volet, paulatim debet adſueſcere*, id quod etiam, ſi lactantium valetudo tuenda eſt, diligentius, quam fieri ſolet, obſeruari, et ex omni victus cultusque conſuetudine, quam minimum mutari, decet. Nihil dico de moribus, a quibus eiusmodi mulieri, quae iam inter elegantiores foeminas et vrbanioris notae ſeruulas viuit, multum decedendum eſt. Pro certo habeo, crebriorem animi perturbationem indignationemque in lactantibus oriri ab his reprehenſionibus, quibus nonnunquam pauperculas et agreſtes nutrices ad elegantiores mores perducere volunt, luculentae nitidaeque foeminae. Id vero, quia nutrices animo commotae variis morbis obiiciuntur, non ſine lactentis periculo, et plerumque etiam, ſi mores occalluerunt, fruſtra eſſe, conſueuit.

§. XVII. Reliqua autem conſilia, de tuenda lactantium valetudine, petenda ſunt potiſſimum a rebus, quae medicis non naturales dicuntur. Inter eas primo loco eſt aër, qui non ſolum pulmonibus hauritur, ſed, dum etiam corporibus noſtris circumfuſus eſt, illam, quae ex cute et pulmonibus fit, exſpirationem moderatur. Longum foret, et ſuperuacuum, iam perſequi, quantum noceat, et frigus, et calor, aër nimis tenuis, nimisque concretus, aër etiam impurus ſtagnorum, aliarumque rerum fra-

35) *Lib. I. Cap. 3.*

ceſcentium, putreſcentiumque. Si vero ad id, quod nutricibus plerumque accidere ſolet, animum aduertimus, iam ſupra retuli, eas plerumque in conclaui anguſto contineri. Apud optimates opulentioresque, quamuis ipſi in ampla domo laxe et magnifice habitent, non raro infantium examina cum nutricibus et gerulis in anguſto tenebricoſiſſimoque cubiculo, veluti in ſubterraneo quodam ergaſtulo, ab omni libero ſpiritu et communi luce ſeclu-ſa inuenies. Nec huic purgando, euerrendoque, et, vt perflatum habeat, cura adhibetur, quare etiam nutrices cum miſeris infantibus, ab aëre pingui et caliginoſo, atque frequenti reſpiratu, quaſi effoeto, anhelantem ſpiritum ducunt. Conſtat vero, omne corpus grauiter laedi, et variis morborum generibus obnoxium fieri, ſi aër, quo illud ſuſtentari debet, impurus, et frequenti reſpiritu nimium extenuatus, eſt. Niſi enim aëri, quo circumfuſi ſumus, dato aliquo perflatu, nouus accedat, is breui ita alienatur, vt eo pulmones haud recte poſſint dilatari. Experimentis variis, praecipue illis vrinatorum, hoc probatur, qui non, niſi per exiguum tempus, ſub campana poſſunt commorari. (36) Nec vllus, qui nouit, quam neceſſaria ſit aëris ſalubritas ad corporis valetudinem tuendam, ignorat, eam tanto magis requiri, ſi in eodem corpore non ſolum ſuccus ad ſe ipſum ſuſtinendum, ſed etiam ad educandum alium hominem, neceſſarius confici debet. Succum enim hunc in inteſtinis ſecretum, pulmonum potiſſimum actione, mutari et concoqui, nemini medicorum obſcurum eſt. Videndum itaque eſt, vt nutrix in amplo conclaui teneatur, quo multum et purum aërem trahere poſſit, et, vt illud etiam, dum deuerrendo defri-

36) Optime hanc rem perſecutus eſt, et claris experimentis probauit, aerem elaſticitate ſua in pulmonibus priuari, STEPHANVS HALES *in the Statical Eſſays Tom. I. in the Analyſis of the Air, Exper. 108. p 238 ſq. et Tom. II. p. 323.* qui etiam oſtendit, aceto et ſalibus varii generis hanc elaſticitatem aeri quadantenus reddi poſſe. Conf. *l. c. Vol. I. Exp. 116. p. 264 et fig. 39.* Hunc non tam obſeruationibus, quam frigidis argumentis, refutat Piſanus Profeſſor, CAROLVS TAGLINVS *de Aëre, Florentiae, MDCCXXXVI. Lib. I. Cap. XII.* qui celeriorem animalium in aëre concluſo obitum a ſucco neruorum denſato coactoque oriri opinatur.

defricandoque purgatur, perflatum habeat. Nec inutile eſt, ſi eiusmodi cubilia, praeſertim ea, quae, anguſtiora, depreſſioraque, non multos perflatus capere poſſunt, aceto reſperguntur, quo etiam nautae vtuntur, ſi magnus hominum, vel animalium, numerus in naui ſub conſtrato intra tabulata continetur. (37) Maiorem ſalubritatem pollicetur haec aceti reſperſio, ſi febrium acutarum, et quae cum exanthematis ſunt, veluti variolarum, morbillorumque, metus eſt. Poteſt tamen etiam aër in conclaui ſola aqua, eaque fontana, et gelida, refrigerari, ſi ea pauimentum reſpergitur, vel, ſi arboreae frondes, frigida madentes, in cubile importantur, et ibi relinquuntur. Si vero aër humidus et paludoſus in cubili eſt, ei optime ſuccurritur igne, et praecipue ardente camino. Nec inutiles ſunt ſuffitiones ex herbis fructibusque fragrantibus, et ex variis gummi atque reſinis. (38)

§. XVIII. Niſi etiam res aliqua id prohibeat, plurimum confert, ſi nutrix in bono tempeſtatum habitu crebrius ſub dio leniter et ita ambulat, ne eam, vel meridianus aeſtus, vel veſpertinum frigus, offendat. Optimus enim aër aequalis eſt, cum omnis homo, et nimio calore, et nimio frigore, infeſtetur. Morbis tamen magis patet corpus, quod caloribus relaxatum, continuiſque ſudoribus reſolutum, eſt, quam id, quod moderatum frigus ſpiſſauit. Iam vero plures ſtolidarum muliercularum exiſtimant, et ſibi, et infantibus, nihil ſalubrius eſſe, quam calorem. Igitur, hyeme, per dies, noctesque, multo igne ita percalefaciunt cubilia, vt non modico tepore caleant, ſed, veluti in laconico, deſudent, adeo, vt quandoque metus ſit, ne iis per aeſtum anima deficiat, qua re ſola infantum corpora variis periculis et infirmitatibus opportuna fiunt. Cum enim omnis humor, qui per corpus

37) Vide HALES *c. l. Vol. II. p. 325.*

38) Si iam de conclauium perflatu loquor, vix attinet dicere, eo tempore, quo is datur, et nutricem, et infantem, in alio conclaui eſſe debere. Nam nemo neſcit, quantam vim ad varias valetudines in mollioribus corporibus gignendas habeat aer, ventusque, qui per conclaue peruium perrumpit, et corpus repente, praecipue, ſi id inſudat, excipit. Germ. eine Zug-Luft.

pus diuiditur, et chylus etiam quam primum is ſanguini confuſus eſt, ideo per pulmones ducatur, vt ille in his aurae frigidioris aſpiratione cogatur, perficiaturque, vel ex hoc diſcitur, moderatum frigus ſalubre, nimium colorem noxium, eſſe. Aura enim frigidiori omne animal omni momento tanto magis indiget, quod illud nec per breue tempus in aëre ſuperſtes eſſe poteſt, qui tantum calorem, quantus corpori noſtro naturalis eſt, habet, id quod alia experimenta, thermometris, et in caldariis, facta, docuerunt. (39) Paulo accuratior obſeruatio medentes quoque docuit, quam peſtiferum ſit, ſi in febrium ardentium, aliarumque, curationibus aegri arido cubilium calore vtuntur. Et perſuaſum eſt, corpora recte valentium nulla re magis infirmari, quam, ſi in conclauibus excalefactis ſomnum capere conſueuerunt. Si vero iam de lactantibus dicendum, vel ob eam cauſam crediderim, lac foeminae, quae ſic per dies noctesque nimio et aduentitio calore aeſtuat, ac quaſi ſuffocatur, non ita bonum eſſe, quam illius, quae pulmonibus ſpiritum haurit frigidulum et elaſticum, quo et pulmones recte dilatantur, adſtringunturque, et quo omnis humor efficacius cogitur, et denſatur. Omitto, corpus tale, nimiis caloribus relaxatum, ſi ſubito frigore excipitur, variis morbis, catarrhis potiſſimum, grauedinibus, febribuſque, patere, et his valetudinibus lac etiam alienari.

§. XVIIII. Mollioribus vero corporibus etiam frigus periculoſum eſt, tanto magis ſubitum. Illud enim, dum rigorem infert, varios morbos facit, quos iam enumerare ſuperuacuum videtur. Frigore etiam lac in mammis denſatur, cogiturque, ita, vt illud aegrius poſſit elici. Quare rationem haberi oportet mammarum, ſucci vitalis fontium, vt ſemper veſtimentis inuoluantur. Plura de amictu addere poſſemus, ex quibus contenti vno erimus. Lactantibus vitandum eſt, ne pedibus nudis ambulent. Nam etiam in omni amictu aequalitas obſeruanda eſt, et ex pedum refrigerio ſaepe corpora, praecipue inſueta, et calore relaxata, variis malis

39) Vid. HERMANNI BOERHAAVE *Chemia T. I. p. 276. ſq.*

malis implicari, obſeruatione cognitum eſt. (40) Nam rarum non eſt, lactantibus ex hac ſola occaſione inteſtinorum leuitatem, colicam, ſpaſmos, catarrhos, febriculas, aliaſque commotiuncu-las, oriri. Si enim maior cura lactantium, propter infantes, quos alunt, habenda eſt, minora haud negligenda ſunt, cum ea, quae vilia videri poſſunt, magnam nocendi vim habeant.

§. XX. Si vero ad ea veniendum, quibus ipſa nutrix alitur, id eſt, cibum et potionem, paulo curioſior obſeruatio neceſſaria eſt, cum et haec non ſolum ſecundae valetudinis, ſed morborum etiam, communia praeſidia ſint. At vero ex iam dictis ſcire li-cet, nocere, et famem, et nimiam ſatietatem, atque vix non o-mne, quod contra conſuetudinem aſſumitur. Si nutrix iam per ali-quot menſes proprium infantem aluit, illa vero iam ad alium, qui mox editus, vel imbecillior, eſt, educandum vocatur, non raro incidit, vt, quamuis foemina pleniori et melioris ſucci cibo veſca-tur, ei mammae emaceſcant, et lac non habeant, quo olim abun-dauerant. Non alia huius rei cauſa eſt, quam, quod maior copia lactis, quae ad mammas perlabitur, iam ab infirmo ac debili pue-ro ſuctu non poteſt detrahi. Nam lac, quod per illa mammarum et papillarum itinera, vaſa galactofera vocant, non effertur, ab initio ſubſiſtit, mox vero diſcutitur, et naturaliter ad ſanguinem per venas reuertitur, tandemque omne a mammis auertitur. Nam hoc in iis etiam incidit, quae infantes poſt lactatum a ſe depule-runt. Si igitur nutrici, quae iam adultiorem robuſtumque et ve-getum puerum nutriit, alendus datur alius recens natus, et, tum natura, tum valetudine, imbecillior, ſique ei mammae a redun-dante lacte tenduntur, et intumeſcunt, illaque ſentit, ſibi illud coire, lac, ne eius prouentus extinguatur, euocandum eſt. At-que eam ob rem vtilius eſt, tenello puero nutricem dari, quae haud ita pridem partum edidit, vel, ſi alia danda eſt, huic per-mitti, vt per aliquot dies, et proprium, et alium, qui eius curae com-

40) Vid. GVALTERVS HARRIS *de morbis acutis infantum.*

committendus eſt, infantem, lacte ſuo alat, donec hic ſatis aetatis et roboris habeat, et omne lac poſſit deducere.

§. XXI. Nec exiſtimandum eſt, nimiam lactis abundantiam adeo expetendam eſſe, et optabilem. Id quod enim adultis robuſtisque corporibus inutile eſt, illud nocentiſſimum eſſe ſolet tenellis, ſi ab iis plus aſſumitur, quam concoqui poteſt. Nam, quo imbecillior eſt infans, eo tardior concoctio eſſe ſolet, quam nihil magis iuuat, quam abſtinentia. Nimium vero lac, caeteroquin etiam bonum, infirmum ventriculum, a quo concoqui non poteſt, infeſtat. Tolerabile vitium eſt, ſi infantes ſuperuacuum lac, quo ſtomachum onerauerunt, euomunt, de quibus tritum vulgi ſermone prouerbium eſt: eos ad frugem peruenire. (41) Aliis vero lac, quod ventriculus recepit, denſatur, concreſcitque, pylorum claudit, aceſcit, praecordia onerat, inflat, tormina, et non raro neruorum diſtentiones, concitat, quibus miſelli iugulantur. Auerti certo poſſent graues et pernicioſiſſimi puerorum morbi, ſi per matres indulgentiores, et prolis ſuae amantiores, liceret, his non aliud, quam, quod expedit, neque eius ipſius nimium dari, et interdum infirmum eorum ſtomachum abſtinentia, qua nihil praeſtabilius eſt, adiuuari. Nec adeo extimeſcendus foret vagitus, quo pueri lac poſcunt, cum is aliquid exercitationis habeat, qua pulmones firmantur. (42) Ad minimum is tantum nocere vix poteſt, quantum lactis abundantia, qua ventriculus per diem noctemque impletur. Pueros enim, vt plus ſugant, quam ferre poſſunt, ipſae nutrices ſollicitant, dum illorum etiam recuſantium labris omni temporis articulo vbera plena immulgere conſueuerunt. Non ſolum enim hoc, ſed et illud, tenellis valde peſtiferum eſſe, reor, ſi his, dum, ex alia occaſione incitati, vagiunt, plorantque, et, dum, vt cum Poeta loquar, flendo iras diffundunt, mamma praebetur, vt conſopiantur. Satius enim eſt, his omnem cibum deduci, ſi ex vitiato lacte inteſtina torquentur, ſi eos,

41) Vide THEODORVM KERCKRINGIVM *Spicil. Anat. Obſ.* 40.

42) Vſum viarum, quem infantibus vagitus praeſtat, oſtendit LANCISIVS *de Corde p.* 58.

eos, et vomitus, et deiectio, vexat, ſi, ex ſomno repente expergefacti, vel alia occaſione valde perterriti, aut iracundia incenſi, fuerunt.

§. XXII. Sed, vt ad nutricis cibum redeam, non minus nocere poteſt fames, vel abſtinentia, a fame propior. Hac enim lac minuitur, et tandem omnis eius prouentus extinguitur, et illud exiguum, quod ad mammas ducitur, acre fit, quod, propter amaritudinem, pueri palatum reſpuit. Ex his cauſis corruptus corporis habitus fit, et infantibus naſcuntur vlcera, quae cutim occupant, atque, interdum celerius, interdum tardius, ſerpunt. Tandem fames ſitisque ſomnum impedit, et miſellis, qui alteram explere, alteram extinguere, nequeunt, ſaepe, inter continuos vagitus confectis, ſpiritus aufertur. (43)

§. XXIII. In generibus vero ciborum, qui nutrici dari poſſunt, magnum diſcrimen eſt. Non repetam, quae de omni victus conſuetudine ſupra retuli, eam quam minimum mutandam eſſe. Illud euidens eſſe arbitror, non ſemper vtilem eſſe cibum, qui, quod facile concoquitur, et plurimum alimenti praeſtat, reliquis melior videri poterat. Si nutricem ſolis iurulentis, et aliis cibis, ex imbecilliſſima materia, veluti tenerioribus pullis cohortalibus, alere velis, et eam, huius cibi inſuetam, grauiter laedes, et quoque, quem illa educare debet, puerum, quem, vel morbo intabeſcentem, vel certo infirmum, habebis ac debilem. Ergo non tam videndum eſt, quid ex illa maxima ciborum varietate aſſumat mulier, ſed, vt id, quod aſſumit, recte concoquatur. Firmiorem enim ciborum materiam, ſi modo a corpore valido recte concocta confectaque fuerit, etiam firmius alimentum praeſtare ad corporis creſcentis robur neceſſarium, ex ſupra dictis intelligitur.

43) Et apud nos plebeiis in more eſt, vt infantibus, qui, propter penuriam lactis, ex hac, vel alia, occaſione ortam, vagiunt plorantque, ſomnum variis compoſitionibus, quae opium habent, conciliare ſoleant, inter quas illa fere NICOLAI prima eſt. Sed ſaepe accidit, vt miſeros, quos obdormire volunt, excitare poſtea non poſſint. De hac re iam conqueſtus eſt CL. HILSCHERVS *in Programmate de Erroribus quibusdam vulgi Ienenſis circa curam infantum.*

Non tamen neſcio, imbecillis raro opportunum eſſe robuſtiorem cibum, et qui boni ſucci non eſt, veluti panis calidus recens, mollis, non recte fermentatus, nec ſatis in furno percoctus, nimis ater et acidus, omne opus piſtorium, ex farina, butyro, ſaccharo, caſeus, vel recens aceſcens, vel vetus et rancidus, fructus crudi, acerbi, braſſica, et alia, varii generis, olera valentiora, radices et bulbi, legumina, oua dura, carnes pinguiores, et ſubrancidae, ſuillae, anſerinae, vel etiam permacrae, ſalſae, quales fumoſae pernae, alia ſalſamentorum genera, piſces duri, viroſique, quos ſtagna lacusque limoſi ferunt, et omnia, quae ad haec genera referri queunt. Praecipue vitandum eſt acetum, et omne, quod acidum ſuccum habet, cum haec etiam acorem in lacte faciant, ita, vt hoc in infantum ventriculo celerius concreſcat. Sal, quo ad condiendos cibos vtimur, ita malus non eſt, cum ex ſupra dictis clarum ſit, eo lac minime cogi, ſed attenuari. Salſamenta tamen aliena ſunt, quia ſal in corpore haud ſubigi, et, veluti reliqua alimentorum genera, inuerti, poteſt, quare, ſi ſalis nimia copia aſſumitur, omnes noſtri humores, et nutricibus etiam lac, acre ſalſumque fieri ſolet. Inde impetigo, ſcabies, aliaque cutis vlcera, naſcuntur. Aromata etiam ſapidiora valde aliena eſſe, ex his intelligitur.

§. XXIIII. Hae tamen ciborum ſpecies omnes robuſtae et ſanae foeminae non ſemper et prorſus ſubtrahendae ſunt. Intueri enim oportet, et foeminam, et eius corporis habitum, et, prae caeteris, puerum, quem haec educare debet, et conſuetudines, quae omnia faciunt, vt aliud alii conueniat. Praecipue conſideranda eſt corporis exercitatio, quam ſi nutrix adhibet, et ſi omni cibo, etiam firmiori, parce atque reſtricte vtatur, ea etiam valentiora, et ſtomacho infirmo aliena, quandoque ſatis bene concoquere poteſt. Vtendum igitur eſt his pro viribus, et modus in omnibus ſeruandus, ne his ſolis ſe impleat foemina, et ne iis quotidie veſcatur. Nam tanto magis foeminae in cibo aliquando indulgendum eſt, ne eam ſatietas rerum, quae ei quotidie apponuntur,

tur, capiat, et has tandem ſtomachus reſpuat. Nam, quae facilius et cum voluptate eduntur, fere melius concoquuntur. Cibi igitur quotidiani ſatietas et faſtidium quandoque obſonio, quod etiam boni ſucci non eſt, nec ventriculo adeo opportunum, releuari oportet.

§. XXV. Ex potionibus autem ea, quae ex frumento facta eſt, ſeu cereuiſia, et quidem, cum lupulo, quo acor corrigitur, bene cocta et fermentata, nec nimis recens, nec nimiae vetuſtatis, optima eſſe creditur, cum ab ea potiſſimum lactis vbertas ſperari poſſit. (44) Non raro tamen incidit, vt mulieri, quae olim ſitim non alia potione, quam aqua, depellere potuit, cum hac vero lacte abundauit, hoc extinguatur, quamprimum ipſi pro potione cereuiſia datur valentior. Nec hoc reuocari poteſt, niſi, vel aqua detur, vel haec alii potioni adiiciatur. Hoc vero incidit, quia potio haec ſitim accendit, febremque mouet, qua lactis ſecretio in mammis prohibetur. Febris calore omnes humores denſari, et cogi, ſecretiones vero naturales impediri, compertum eſt. Sitis vero vix reſtingui, nec febricula leuari, poteſt, quia valentior potio ad plus bibendum foeminam ſollicitat. Omnem etiam cereuiſiam acere, nouimus, id quod accidit, ſi in laborante ventriculo ea materiae corruptae et aceſcenti adiicitur. Alius etiam metus eſt, ne talis potio, quae inebriat, ſi immoderatius bibatur, alia ratione tenellis noceat. Nam ex ſupra dictis clarum eſt, medicamentorum, aliarumque rerum, quae ore ſumuntur, vires lacti admiſceri, id quod etiam de his intelligendum eſt, quae lactantes inebriant. Ebrietatem vero, qua mens grauatur, tum infantibus, tum adoleſcentibus pueris, in quorum cerebro ſumma teneritudo eſt, peſtilentiſſimam eſſe, multa obſeruatio docuit. Dari igitur poteſt lactanti cereuiſia, ſi haec bona eſt, videndum tamen, ne et haec in ventriculo corrumpatur, et ne temulentiam faciat, ſitim accendat, ac febrem moueat. Quae

44) Vide *The Art of Nurſing or the Method of bringing vp young Children, Chap. XII. p. 35.*

aquam bibunt, illis minor cyathus meracioris vini, quod bono ſolo temporatoque coelo natum eſt, praeſertim, ſi huic adſuetae fuerint, non inutilis eſt. Lactis potus ſatis opportunus videtur, quamuis etiam id, ſi eius nimium potetur, acere in ventriculo, et alia etiam vitia parere, poſſit. In ſorbitionibus illis, quas hac aetate omnis generis homines adeo appetunt, indulgendum eſt foeminis, et videndum, ne et his intemperantius vtantur. Calidae enim potio ſanis nunquam valde bona eſt, qua corpora nimis relaxantur. Potus Caffee, praeſertim, ſi mulier nimia quiete torpet, ſanguinem atrum, craſſumque, reddere poteſt, et ad naturales actiones minus idoneum. Herba Thee, eiuſque infuſum meracius, afficit ventriculum, et, ſi in hoc acor eſt, eum non parum auget. Nunquam vero liquores bibere expedit, qui igne ex fermentatis vegetabilibus parantur, quos ſpiritus vocamus. His enim omnis humor, ipſumque praecipue lac, cogitur, multumque vitiatur. Haec potio etiam, quae valentiſſimi generis eſt, quippe quae totum corpus incendit, dum cum lacte infanti infunditur, eius cerebrum neruoſque ita offendere poteſt, vt comitialis morbus, aliaeque grauiſſimae valetudines, in miſeris oriantur, id quod etiam vino, immoderatius epoto, accidiſſe conſtat. (45)

§. XXVI. Quibus potionum generibus exploratis, ſentio, aliquid de omnis potionis modo addendum eſſe. Nutricem, quae, praeter ſuum, etiam aliud, corpus alendum habet, plus, quam olim, bibere oportet. At enim vitandus eſt illorum error, qui his temporibus exiſtimant, dilutiorem potum omnibus copioſe praeſtandum eſſe, vt eo ſanguis diluatur, de quo metuunt, ne, craſſior factus, morbos pariat. Eam ob cauſam plures, qui Medicos audiunt, qui vix non omnium morborum genera ex abundante et craſſeſcente ſanguine naſci opinantur, ſe per totos dies, vel calida et infuſo Thee, vel etiam frigida, frequentius autem tenuio-

45) Vide de vini et omni potionis ſpirituoſa noxa in nutricibus DOMINICI PANAROLI *Iatrologiſmor. Pentecoſten II. Obſ. XXVII. p. 93.* GVALTERVM HARRIS *de Morbis acutis infantum. p. 15.*

tenuiori cereuiſia, implent. His vero tandem humidorum omnium in corpore cruditas manet, quia cibi, propter nimiam, quam iugi ſuperbibunt, potionem, recte confici, et in animalem ſuccum conuerti, denſarique, nequeunt. Tandem his totius corporis habitus vitiatur, et hos bibaculos inuadit cachexia, in qua, corruptis omnibus alimentis, corpus nullam refectionem accipit. Illa non raro aſcite, vel aqua inter cutem, haec autem morte, finitur.

§. XXVII. Vbi infans vero lactens aegrotat, ſubtilior obſeruatio in victu, nutrici ordinando, inſtituendoque, neceſſaria eſt. Dirigi enim ad id omne conſilium debet, vt nutrix ea ciborum genera, qnae morbum exaſperatura ſunt, ſtudioſius vitet, ea vero aſſumat, quae aduerſus eundem aliquid valent. Pertinent itaque ad rem, tum morborum naturam et cauſas, quae eos excitant, tum ciborum potionumque proprietates, noſſe, id quod ii ignorant, qui omnem medendi viam ab experimentis ſolis, non a cognita rerum natura, euidentibuſque cauſis, trahere conſueuerunt. Cum haec per ſingula morborum genera exequi nobis non liceat, vnico contenti erimus. Pueri crebrius praecordiorum inflatione et torminibus ex variis cauſis vexari ſolent. Vel enim lac crudum eſt, vel abundans, quod, cum ab infirmo ventriculo confici non poſſit, in eo, vt relatum eſt, contrahitur, et coaceſcit. Vel dentientibus gingiuis, qui dolor maximis tormentis adnumerari poteſt, ſtomachus afficitur, qui ſemper laborat, ſi in aliqua parte neruoſa dolor eſt. Ex his, et aliis, cauſis lac in ventriculo acorem concipit, quod in duodeno cum bile, a qua illud acens non ſatis ſubigi poteſt, et attenuari, miſcetur. Tum vero humor ille crudus, et qui mordacis fere acrimoniae eſt, per inteſtina deſcendit, et haec malis et vehentiſſimis torminibus afficit, vt etiam illa extrinſecus iutuenti quaſi verti videantur, quae tormina non raro neruorum diſtentione finiuntur. In nonnullis vehemens fit inflatio, venter indureſcit, aluus nihil reddit, ac ne ſpiritum quidem tranſmittit, in aliis vero, et pluribus, per aluum erumpit

lac

lac coactum, ex flauo viride, odoris acerrimi. In eiusmodi casibus subtrahenda nutrici omnis materia est, ex qua lac densari, vel contrahi, potest. Alienus est panis domesticus ater fermentatus. Nec bonae sunt, quae apud nos, iurium vice, offerri solent, sorbitiones calidae, ex cereuisia tenuiori, vel aqua, aut lacte, cum pane plerumque atro, farina, auena, et aliis, quae acidum succum, qui in plerisque vegetabilibus est, continent. Ob eam etiam rationem pulticulae, quae ex lacte, vel etiam ex aqua, cum farina, variisque granis, coquuntur, aptae non sunt, quae, quo constrictiores, eo nocentiores, sunt. Abstinendum est ab omni potione fermentata, praecipue cereuisia tenuiori, vel secundaria. Proficiunt vero iura carnium iuniorum, ipsae etiam carnes, tum elixae, tum assae, cum aromatis non valde calidis, ex quibus semina carui et foeniculi fere aliis praeferri debent. Etiam carnes magna discrimina recipiunt. Leuiorem, et in his casibus meliorem, succum habet fera, quam animal quadrupes, domi natum. Ex omni auium genere ea, quae insectis, aliisque animalibus, vescitur, melior est, quam, quae frumento et seminibus alitur. Carnes tamen mucosas supra damnauimus. Vtiles etiam sunt pisces, inter saxa, vel in arena, editi. Oua, quae, vel cruda, vel parum cocta, mollia, sorbiliaque, deglutienda sunt. Ex potione danda est, vel aqua, vel, cum hac, quaedam ex frumento, veluti cereuisia valentior, quae non acet, et lupulum habet, ea tamen pauca. Cum his omnibus autem imperanda est assidua et laborioſa, nutrici tamen accommodata, exercitatio, de qua, quod ad tenuanda conficiendaque corporis nostri humida plurimum conferat, protinus dicam.

§. XXVIII. Sed alia ciborum potionumque genera desiderat acuta febris, quam interdum, dentientibus gingiuis, tenelli habent, vel, quae etiam frequentius cum variolis, aliisque pustulis, esse solet. Si enim haec continuat, et intenditur, si cutis arida est, et, si ipsa nutrix, dum infanti mammam praebet, sentit, calorem ei ex intimis praecordiis oriri, maturius auxilia, quae a victu petuntur,

rapienda

rap ienda ſunt, cum non ſic infantes, vt adulti, curari poſſint, neque tantum eorum robur ſit, vt illis ſanguis mitti, neque, vt efficaciora medicamenta dari, poſſint. In hoc caſu ille, quem mox ex animalibus praecepi, cibus alienus foret. Vtatur nutrix tenui, ſimplici, exiguo, ex hordeo, auena, additis paſſulis Corinthiacis, vel acido citri ſucco. Illa decocta, vel iura, cum cereuiſia ſecundaria, vel cum aqua, et pane domeſtico, hordeo, auena, optima ſunt. Ex carnibus vero, ſi iis non prorſus abſtinere velit mulier, conuenit aceto macerata, et aſſa, vel, ſi elixam velit, quae cum herba recenti acetoſae, acetoſellae, ſucco citri, vuis Corinthiacis, decocta ſuit. Palato etiam grata et ſalubria in his morbis ſunt ceraſa acida, poma mitia, dulciaque, et ſuccoſa, pruna Damaſcena, nec non alia acidiora, auſtera, ſylueſtria, et omnes fructus acidulo ſapore iucundi. Hi tamen fructus non crudi, ſed ſole ſiccati, et, vel ex aqua cum pauco vino cocti, vel ſaccharo conditi, aceto etiam macerati, dari debent. Inter prima mel eſt, quod quoque, vel aqua, vel aceto, dilui poteſt. His omnibus, et varie praeparatis, vtatur mulier, et, cum his, potione dilutiſſima, in qua aduerſus acutam febrem maximum auxilium eſt. Copioſe ei aqua praeſtanda eſt, non tam calida, quam frigida, vel ptiſana cum ſucco acido citri, vel alius vegetabilis, quam ea vltra ſatietatem bibere debet. Aptiſſima etiam eſt cereuiſia tenuis ſecundaria. Omnia haec, ad tenuandam leuandamque infantis lactentis febrem plurimum facere poſſunt, cum quibus foeminae imperanda eſt quies, vel ambulatio, aliaque exercitatio leuior, et a quiete propior. Moderandum vero inter haec, ne huius ſtomachus, nam haec omnia ſtomacho fere aliena ſunt, offendatur, et ne ex his, nimium aſſumtis, lac cogatur. Quam primum etiam febris ſe remiſit, victus mutandus, et ad alium cibum, a quiete vero ad maiorem exercitationem, reuertendum eſt. Omnia accommodanda febri ſunt, quae, ſi leuior eſt, etiam leuioribus diſcutitur, in maiori vero ardenteque febre maior vis neceſſaria eſt.

§. XXVIIII. A cibo potuque ad exercitationis rationem veniendum eſt, de cuius ſalubritate iam alias quaedam expoſuimus. Proximum vero nobis ſemper viſum eſt, apud nos plures et graues, tum lactantium, tum lactentium, valetudines naſci, quod priores, ſi, mercede conductae, ad alienum puerum educandum operam ſuam vrbanis foeminis locauerunt, in mollitia nimioque otio hebeſcunt. In aliis regionibus moris eſt, vt matres infantes, quos ipſae alere nolunt, foeminis educandos tradant, quae ruri habitant, et quae, tum modico et parabili victu, tum aſſidua et laborioſa corporis exercitatione, vſae, et propriam, et lactentium, valetudinem tuentur. In eiusmodi enim corporibus omnis fere cibus, quem capeſſunt, lacteſcit, cuius recte mutati concoctique vbertate infantes ſaturantur. Illae noſtrates vero nutrices ſaepe inertiſſima ſegnitia adeo languent, vt aegre membra torpentia trahere poſſint. Scire autem licet, in corpore, ignauia hebetato, ſuccum dulcem, et ad nutriendum infantem aptum, haud confici, ſed omnem crudum manere, quem ſi infans ex mammis fugit, is protinus a teneris in varios grauesque morbos, ex iis etiam interdum interiturus, cadit. Tanto plus vero detrimenti facit illa nutricum inertia et torpedo, ſi illa praeter quotidianae et anteactae vitae conſuetudinem eſt. Neceſſarium itaque videtur, vt nutrix tempus aliquod dare poſſit curationi corporis ſui. CELSO vero teſte, (46) prima corporis curatio exercitatio eſt. Quoniam vero plura genera exercitationum ſunt, id lactanti foeminae, praecipue, ſi lactis penuria eſt, accommodatius videtur, quo pectus et lacerti cum quadam varietate mouentur. Sic enim copioſior ſuccus per arterias in mammas illabitur. Si corpus foeminae perquam imbecillum eſt, imperanda eſt ambulatio ſub diuo in vmbra, vel aſcenſus deſcenſusque per montes, ſcalarumque gradus. Illud requirit Poeta. (47)

Ne tamen interea nimiae ne crede quieti,
Laeta ſed exerce moderata membra palaeſtra,

Et

46) *Lib. I. Cap. 2.* 47) SAMMARTHANVS *l. c. p. 65.*

Et virides interdum hortos loca dulcibus auris
Grata pete, ante epulas et primae tempora menſae.
Nec pudeat famulas inter ſecreta latentem
Munia obire domi, ſeu molles ſternere lectos,
Seu ſit opus vili purgatam furfure maſſam
Puluerea in mactra nudis verſare lacertis,
Aut tenues ſtuppas, aut album pectere linum.

Commune eſt, exercitationem antecedere debere cibum. Nutrici hoc eo magis obſeruandum, poſt ſatietatem vero nihil agendum, quod metus eſt, ne crudus ſuccus, ex ventriculo detruſus, cum ſanguine ad mammas ducatur. Reliqua, quae ad communes de exercitatione obſeruationes attinent, omitto. Immodicus labor etiam vtilis non eſt, quo, incaleſcente corpore, ſitis accenditur, meliores ſucci diſſipantur, et vires conuelluntur, exhauriunturque.

§. XXX. Summo etiam ſtudio vitandi ſunt turbidi concitatique animi motus, cum nihil magis valeat ad graues perniciales-que morbos in infante faciendos, quam, ſi nutrix magna animi perturbatione commouetur. Fere quotidianum eſt medentibus, vt lactentes accipiant curandos, qui ex matrum et nutricum ira, terrore, libidine, aliisque animorum commotionibus, grauioribus morbis tentantur, opprimunturque, quae tempeſtates, quo celerius tenellos corripiunt, eo maioris periculi metum afferre ſolent. Saepe enim pueri ex his occaſionibus torminibus vexantur, quibus, ſi apta remedia illa non ſuſtulerunt, breui neruorum diſtentio accedit. Et homines nouimus, qui ſic cum matris iraſcentis lacte comitialem morbum acceperunt, quo cum per omnem aetatem miſere conflictantur. (48) Interdum regius morbus, lactenti ſuperueniens, detexit nutricis incontinentiam, et ſubitam iracundiam,

48) Vide *Ephem. Nat. Cur. Dec. II.* HOFFMANNI *Med. Rat. ſyſtem. T. I. A. 2. Obſ. 172. p. 387.* Conf. Illuſtr. *p. 253. et 240.*

diam. (49) Quam ob rem nihil optabilius esse videtur, quam, vt ea, quae infantem alendum habet, animo sit composito, placido, et stabili, neque, vt ea ita facile a rebus, quae incidere solent, commoueatur. Si tamen animus affectus fuit, et, vel terrore perculsus, vel ira incitatus, necesse est, vt protinus mammis auferatur infans, et vt omni diligentia caueatur, ne ei lac sugendum detur, quod hac animi subita affectione, quasi pestilenti sidere, afflatum vitium contraxit. Id potius omne, atque etiam iterum ex mammis exprimi, vel, id quod magis tutum est, ab alia foemina labris sugi, oportet, et dari medicamenta idonea. Post vehementiorem iram, optimum est nitrum, cum terreis et rheo, quo biliosa colluuies sine mora excernatur. Valentiora autem purgantia, nec non emetica, sine periculo non dantur, quippe quae non solum lac extinguere, sed etiam tenellis crebriores deiectiones, spasmos, neruorum distentiones, aliaque grauiora mala, inferre possunt. Haud tamen alienum est, si puero aliquid ex rheo datur, quo in infantum variis morbis nullum certius nullumque praestantius medicamentum esse, experientia docuit. Infans vero ad nutricis mammas non prius admoueri debet, quam sedatis omnibus, qui interea, vel alius foeminae lacte, vel iusculis, vel amygdalis, aliisque nucleis, qui, ex aqua triti, in dilutiorem cremorem vertuntur, nutriendus est. Eadem etiam obseruatio de terrore necessaria est, cum qua omnia auxilia et medicamenta, quae aduersus spasmos plurimum valent, adhibenda sunt.

§. XXXI. Aliae vero animi perturbationes, non, vt priores, subito oriuntur, sed lente, et quasi cunctanter, procedunt. Hae enim, inter quas metus moerorque primo loco sunt, tenellos non minus affligunt, quam illi feruores et subitae animi commotiones. Infantes, si lacte nutricum sic affectarum aluntur, tandem debilitantur, et, cum iis confecti, contabescunt. Nemo de his dubitabit, qui cogitat, quantum laetus animus, hilaraque vita, ad tuendam

49) Vide IOHANNIS MELCHIORIS VERDRIES *in Ephem. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 90. p. 176.* Conf. de variis morbis, ex intemperantia nutricum ortis, PAVLINI *l. s. c.*

dam valetudinis proſperitatem conferat. In nobis deprehendimus, cibum, aliquando etiam pleniorem, vel ſtomacho alienum, bene concoqui, ſi is cum aliqua voluptate, in conuiuio, cum amicis hilarem in modum accubantibus, inter conuiuales fabulas, ſumitur, paucum vero cibum, eumque imbecilliſſimum, ac caeteroquin ſtomacho aptum, praecordia plurimum onerare, ſi in acerba aliqua aegritudine, anxioque metu, ſumus. Ob id pueris, lacte educandis, bene conſulunt, qui nutricibus, non quidem exſultantis geſtientisque laetitiae, ſed honeſtae ac moderatae voluptatis, occaſionem largiuntur. Ea enim

Non animo, non corpore ſordida honeſte
Se ſe habeat, durumque hilari fuget ore rigorem. (50)

Qua ratione vero moeror, metuſque, quorum varia occaſio cauſaque eſt, tum moralis doctrinae praeceptis, tum etiam, victu et medicamentis, diſcuti poſſint, ne nobis nimium increſcat haec commentatio, exequi non poſſumus. Inter plures alios, qui aliquid de hoc argumento prodiderunt, inuenio etiam doctiſſimum virum, ALOYSIVM LVISINVM, Vtinenſem. (51)

§. XXXII. Ad ſanitatem etiam pertinet, vt ea, quae in corpore inutilia ſunt, et moleſta, excernantur. De his, cum communia ſint, et omnibus cognita, pauca addam. Aluus in lactantibus nunquam ducenda eſt valentioribus, cura tamen habenda, vt illa quotidie reſpondeat, et ne adſtrictior ſit. Haud tamen bona eſt cita et fuſior, cum haec ſemper imbecillitatis, vel cruditatis, index ſit. Plerumque tamen plurimum negotii facit aluus contracta, quam tamen, non tam medicamentis, quam cibo, potuque, et modica corporis exercitatione, leuari, vel lotionibus molliri, oportet. Cum iis vero facere non poſſumus, qui in nutrice nunquam aluum mouere audent, metuentes, ne cum ea omne lac ſubtrahatur. Purgationes, quae nimis valentibus medicamentis

 fiunt,

50) SAMMARTHANVS *l. c. p. 62.*
51) *De compeſcendis animi affectibus per moralem philoſophiam et medendi artem.*

fiunt, omittendas esse, fatemur, cum non solum lac exhaurire, sed etiam infanti periculum afferre, possint. Alui vero ductionem, etiam in nutrice necessariam, faciunt crudus corruptusque humor, bilis, vel pituita, si his stomachus et duodenum replentur, et ex iis inflationes, capitis ac praecordiorum dolores, anxietates, caligines, aliaque mala, nascuntur, et quotidie increscunt. Praestat vero, per plures dies paucas et modicas deiectiones lenioribus petere, et his id, quod corruptum est, expellere, quam illud purgatione vehementiori semel moliri. Etiam, in his casibus rheum aliis fere quibusuis medicamentis praeferendum esse, censemus.

§. XXXIII. Multa ratio habenda est corporis exspirationum, quae per cutim et pulmones fiunt, et quibus maxima assumptorum pars diffunditur. Vt vero illae recte procedant, plurimum confert boni coeli aspiratio, bonus moderatusque victus, et corporis exercitatio, de quibus omnibus iam plura dicta sunt. Vel propter harum exspirationum salubritatem munditia adhibenda est, euitandaque illuuies, vt nutrix, quae commode balneo vti nequit, vestimenta, linteaque, sordibus squalentia, puris lotisque crebrius mutet. Necesse etiam est, vt ab ea os, mammaeque, pedes, verenda, aliaeque corporis sedes, quibus facile aliquid spurcitiei adhaerescit, crebrius et solicitius colluantur. Nam totum nostrum corpus, quamuis id plurimum exspiret, etiam quasi bibulum est, et omne, quod ei extrinsecus inhaeret, si id calore tenuatum est, eius humidis admisceri solet. Ergo verisimile est, si exteriores sedes illuuies, et alta congeries sordium, dehonestat, hoc squalore tandem sanguinem, alioque succos, qui per omne corpus ducuntur, corrumpi.

§. XXXIIII. Plerumque foeminae, quamdiu suo lacte infantem alunt, menstruis defectae sunt, quae non ita multis incommodis morbisque obnoxiae sunt, ac aliae, quibus illa cum lacte prouenire solent. Nam illo tempore, quo hoc profluuium, vel instat, vel editur, pueri lactentes nonnunquam variis commotiunculis tentantur, vigiliis premuntur, et intestinorum torminibus

bus cruciantur. In eiuſmodi caſibus nihil moliendum eſſe cenſemus, et, ſi mulier eo tempore, quo catamenia fluunt, debilitate et corporis aegritudine laborat, ei minus alimenti, nec aliud, quam, quod leuiſſimum ac boni ſucci eſt, praeſtari oportet, et illi, vt ſe contineat, imperari. Infans vero, ſi id fieri poteſt, per vnum alterumque diem alii foeminae, vt eum lacte, eo tamen pauco, nutriat, tradendus eſt. Cura tamen habenda, ne priori lactis prouentus extinguatur, quare eius mammae a catulis, vel ab alia foemina, ſugi poſſunt. Raro opus eſt, vt, ſi victus ratio habeatur, ad medicamenta decurrendum ſit, quae, dum, nulla id poſtulante neceſſitate, quandoque alia atque alia, a credulis mulieribus, quae iis fidem ſuam addixerunt, deuorantur, efficiunt, vt, reuertente menſtruo tempore, illae ſemper nouis valetudinis incommodis, et difficultatibus, afficiantur. A noſtro inſtituto alienum eſt, ad vniuerſa genera morborum, quibus lactantes conflictantur, et ad illorum curationes, deſcendere. Nam ſaltem ea proponimus, quibus obſeruatis, caueri poteſt, ne nutrices, et cum iis etiam lactantes, valetudinem amittant. Vnum addimus, foeminas, quibus, ſi lac habent, cum hoc etiam menſtruus ſanguis profluit, facilius, quam alias, concipere, et praegnantes fieri (52)

§. XXXV. Venerem etiam pernicioſam eſſe, eaque lac, et vitiari, et minui, res peruulgata eſt, omniumque obſeruationibus confirmata. Venere enim diſperditur plurimum illius ſucci, qui, in cerebro ſecretus, per neruos ad omnes corporis partes pertinentes permanat, et, qui, vt probabile eſt, etiam aliis humidis corporis confuſus, horum confectionem adiuuat. Et, cum ſupra oſtenderim, hunc tenuem neruorum ſuccum etiam in lacte eſſe, id, ſi eo defectum fuit, deterius eſſe intelligitur. Nulla res vero neruoſum ſuccum tam ſubito exhaurit, et corporis vires adeo conuellit, frangitque, quam venus, ſi ea intempeſtiua, vel immodica, eſt. Miſeri itaque infantes ſaepe matrum et nutricum, quarum lacte aluntur, intemperantiam, libidinemque, torminibus, neruorum diſtenſ-

52) Vid. DE LA MOTTE *Traité des Accouchemens L. I. p. 171.*

tentionibus, aliisque morborum, tum acutorum, tum longorum, generibus, luunt, quibus tandem, nisi illae a venere abstineant, id minimum euenire solet, vt parum crescant, et, iis emacescentibus, cum aetate parum roboris accedat. Non minus tamen perniciosi sunt dissimulati celatique amores, ac cupidines, quibus, quasi occultis ignibus, foeminae, libidine incensae, macerantur. Si illae cupidines nutricem incesserunt, totus corporis, omniumque humidorum, habitus mutatur. Et valetudines, quae ex his appetitionibus nascuntur infantibus, haud facile cognoscuntur, multoque difficilius curantur. Certum enim est, occulta desideria peiora et magis noxia esse, quam plena honestarum foeminarum gaudia, et rarum moderatumque veneris vsum. Hic enim, si eum mulier valde concupiscit, si is corpus excitat, non soluit, et, si eum nullus languor sequitur, non ita malus videtur, quam clandestinus amor, in medullis insidens, quo mulieres libidinosae per dies noctesque torrentur, torquenturque. Summam vero in omnibus moderationem adhibendam esse, nemo negabit. Si vero foemina per venerem concepit, necesse est, lac deterius fieri, et protinus minui. Nam succi illius notabilis vis ad vterum cadit, quo foetus, qui eo continetur, alendus, sustentandusque, est. Mulier igitur omnis, quae praegnans est, infantem debet a se ablegare, et alii nutriendum dare.

§. XXXVI. Supereſt, vt de somno dicamus, quem, ad tuendum corporis robur, et ad conficiendos optimos eius succos, necessarium esse, omnes nouimus. Hunc vero varia nutrici auferre possunt: nimius calor, si ea in conclaui angusto percalefacto inter plures dormit, si stragulis vestimentisque strangulatur insuetis, si infans, quem alit, aegrotat, vigilatque, et mammas fere omni momento sollicitat, si ea se cibo pleniori, vel, qui non facile concoquitur, impleuit, si illa curis, amore, tristitia, angitur, vt alia taceamus. Quoniam vero foeminae, quae vigilia premitur, ita, vt, neque noctu, neque interdiu, se somno dare nequeat, bonum lac esse non potest, oportet hunc ei, vitatis omnibus, quae eum

fugare

fugare poſſunt, conciliare. Vſus docuit, pueros, dentientibus gingiuis, aliiſque morbis, laborantes, et ſaepe plures noctes dieſque inſomnes ducentes, aegrius conualeſcere, niſi nutrices, quotidie per aliquot horas ſemoueantur, et iis per quietem ſomnus reducatur. Neque tamen nutrix ſe ignauo torpidoque ſomno dedere debet, quo corpus non minus, quam quiete et ignauia, hebetatur.

§. XXXVII. Plura alia, quae, et leuiora, et notiora, ſunt, omittenda eſſe cenſemus, cum plurima, etiam eorum, quae propoſuimus, peruulgata ſint, quamuis a non paucis neglecta. Iam dicendum videtur de tempore, quo infans a mammis depelli debet, cum et haec res in diſceptationem venire non raro conſueuerit. Vix ante alterum aetatis annum id faciunt Gallicae (53) et Britannicae mulieres, (54) quo tempore aetati iam aliquod robur acceſſit, et puero dentes plurimi nati ſunt, quibus valentior cibus extenuari in ore poteſt. Sed, etiam in his nihil perpetuum eſſe, inuenimus. Si enim mulier, quae puerum alit, ruri eſt, et ſalubritate coeli boni apertique fruitur, id quod in Gallia plerumque fieri ſupra retulimus, ſi illa quotidiano labore, cui a teneris aſſueuit, corpus multum exercet, ſi victu vtitur commodo, nec nimis pleno, nec parciori, ſi ea caeteroquin moribus compoſitis eſt, et ſe ab iracundia, libidine, et aliis, tum animi perturbationibus, tum corporis commotionibus, continet, puero ſalutare eſſe opinamur, ſi is per plures menſes ſucco illo alibili educari et tandem cum lacte pedetentim alii pauco firmioris generis cibo ac potioni adſueſcere poteſt. Vbi autem, id quod apud nos ſaepe fieri ſolet, nutrix, in conclaui ſuo concluſa, in deſidiam ſegnitiemque conuerſa, languet, torpetque, puer vero ex lacte, non ſatis propter hanc ignauiam confecto, ſubactoque, intumuit, et plenior ſpe-

53) Vid. SAMMARTHANVS *Lib. II.* p. 74.

54) *The Art of Nurſing Chap. XXI* p. 56.

ſpecioſiorque factus eſt, quae bona, ſi repente, et praeter modum, oriuntur, ſuſpecta ſunt, metus eſt, ne is, ſi in hoc corporis habitu vltra progrediatur, infirmus fiat, et morbis grauioribus obnoxius. Etiam magnum diſcrimen habet potio, qua lactans vtitur. Si ea enim aquam bibit, et ob id lac dilutius habet, hoc diu nutriri poteſt infans, quem lac, quod ex pota cereuiſia valentiori atque meraca conficitur, nimium implet, et aeque debilitat. Ergo, vſus docuit, vtilius eſſe, eiuſmodi infantes poſt ſextum etiam menſem, vel certe poſt octauum et decimum, a lacte deduci. Tanto minus cunctandum eſt, ſi de nutrice, eiuſque, vel morbo, vel moribus, aliquid, quod foetui nocere poſſet, extimeſcendum eſt. At enim vero, ſi infantibus adeo teneris lac detrahitur, ſummam curam atque diligentiam, imo etiam vigilantiam, in iis educandis opus eſſe profitemur. Alia dabitur occaſio, de his, et de ea ratione, quaedam commentandi, qua hodie plures, vel ſine omni, vel brutorum, lacte infantes nutrire et educare ſuſtinent.

§. XXXVIII. Quibus omnibus exploratis, clarum eſſe exiſtimamus, paulo ſubtiliorem obſeruationem adhibendam eſſe in victu lactantium, ſi ſaluti infantum, quos illae educare debent, recte proſpicere et conſulere volumus. His enim neglectis, pueri, ſi non immatura morte occumbunt, infirmi fiunt, et eneruati, qui per omnem vitam aegra valetudine premuntur. Quamuis morbi illius pernicialis, qui, vt ferunt, in Britannia ortus, ab aliquo tempore in noſtras regiones ceſſit, Rhachitidis, plures cauſae et occaſiones ſint, perſuaſum tamen nobis eſt, eum frequentius a vitiato lacte oriri, et, ſi nutrix ex aliquo morbo infirma fuit, vel victu, aliiſque rebus, quibus vita et ſanitas tenetur, intemperantius vſa eſt. Semper enim in noſtris rebus id pro cauſa apprehenditur, quod plurimum praeſtitiſſe videtur, a cauſae vero aeſtimatione etiam morborum auertendorum curandorumque ratio ducenda eſt. Optandum itaque foret, vt, id quod olim a

Spar-

Spartanis obſeruatum fuiſſe legimus, etiam ab iis, qui rei publicae proſunt, aliqua cura haberetur educandae prolis, cum rei publicae maxime interſit, non ſolum ingenio moribuſque bonos eſſe ciues, ſed etiam ſanos, vegetos, atque valentes. Et forte querna corona non prorſus indigni eſſent, qui aliquid ad prolis valetudinem cuſtodiendam conferunt, qua olim eos condonatos fuiſſe legimus, qui rei publicae ciuem ſeruauerant. (55) A prole enim omnem ſpem omnemque ſalutem patriae dependere, nemo negabit. Qui ſecundiſſimas eiuſmodi leges de conſeruanda rectèque educanda prole, propoſitis etiam praemiis, ferret, is iure ad ſe transferre poſſet illa Poetae noſtri (56) verba:

Ecce mihi aſſurgunt paſſim applauduntque canenti
Matres atque viri, quorum pia pectora tangit
Prolis amor, quernaque intexunt fronde coronam
Seruanti ciues, et funera acerba moranti.

55) Vid. PLVTARCHI *Quaeſt. Rom.* *in Oper. T. II p. 285.* Confer DIONIS CASSII *Hiſt. Rom. L. III. p. 750.*

56) SAMMARTHANVS *L. III. p. 89.*



DISSERTATIO VIIII.

DE

NEGOTIOSA ACTIONE PROPTER VALETVDINEM CIRCVMCIDENDA.

PVBLICE PROPOSITA

D. XVII. APRILIS CIↃ IↃCCXXXXIIII.

RESPONDENTE

ERNESTO FRIDERICO HAACKIO.

---

§. I.

Deos omnia bona laboribus vendere hominibus, EPICHARMVS, SICVLVS, Poeta et Philoſophus, dicere ſolitus eſt, id quod a IOHANNE STOBAEO proditum legimus. (1) Et quilibet, cui naturae humanae figura atque perfectio cognita eſt, intelligit, hominem ad laborem variumque opus efficiendum eſſe natum, quemadmodum aues ad volatum, piſces ad natatum, ferae ad curſum. Vita itaque noſtra laboribus continetur, quibus maiora etiam bona conſequimur, quae hac lege nobis vendere, vel potius largiri, voluit diuina, omniumque rerum moderatrix, prouidentia. Laboribus enim ad honores adſcendimus, qui, ſi virtute parti ſunt, a nemine, niſi abiectae deſidisque mentis, et humilis ſpiritus, homine, contemnuntur. Nam in praeclaro aliquo patriae, vel commodo, vel ornamento, vitam conſumere, erectiori animo bonum videtur, non aſpernandum, ſed optabile. Qui a teneris labores ſudoresque ferre conſueuerunt, rem familiarem honeſtis rationibus augent. Auctis vero rerum copiis ſe aduerſus difficultates, miſeriasque, quas pauper-

1) *In Sententiarum Opere, Serm. XXIX. p. 198.*

paupertas affert, tuentur, cauentque, ne rebus ad beate viuendum neceſſariis egeant. Omitto iam, et moralem Philoſophiam profitentibus excutiendum relinquo, aſſiduum laborem ad retinendam rectam animi affectionem, virtutemque, tollendam vero et radicitus ex animis extrahendam omnem vitioſitatem, plurimum valere. Inter caeteros autem fructus, quos ex moderato labore percipimus, non infimus eſt valetudinis proſperitas, auctumque corporis robur. Labore enim bonam corporis habitudinem firmamque conſtitutionem, conſequi poſſumus, hancque, ſi ea gaudemus, cuſtodire, etiam morbos, ſi imminent, auertere, imo eos, ſi iam corpus tenent, profligare.

§. II. Atque haec laboris vtilitas inter alios a magni iudicii Autore, PLVTARCHO, multa laude celebrata fuit, qui in libro, quem de Tuenda Valetudine nobis reliquit, (2) ſcribit pulchre, vt ſolet, et eleganter: *Sanitas non otio atque inertia venalis eſt, quae, vt maxima mala, morbis accedunt. Et nihil differt homo, qui, bonam valetudinem inertia et quiete obtineri poſſe, exiſtimat, ab eo, qui, vt oculos tueatur, non videt, et, vt vocem, nullum ſonum edit.* Et breui poſt: *Verum haud eſt, in otio viuentes magis valere.* Ab eodem PLVTARCHO (3) de prudentiſſimo legum inter Spartiatas latore, Lycurgo, accepimus, eum nihil magis neceſſarium duxiſſe ad publicam ſalutem continendam, quam ciuium induſtriam, et in laboribus aſſiduitatem. Nam is et foeminas otio ac molliori cultu eneruari noluit, quas, cum more illius aetatis per totam Graeciam parietum vmbra occulerentur, ab vmbratili vita in lucem, imo in palaeſtram, deduxit, iuſſitque a prima aetate curſu, lucta, telorum diſcorumque iactu, exerceri. Etiam de barbaris illis Indorum Philoſophis, Brach-

2) *T. II. Edit.* XYLANDRI *de Anno MDCXX. p. 135.* Οὐ γὰρ ἀργίας ὤνιον ἡ ὑγίεια καὶ ἀπραξίας, ἄγε δὴ μάλιστα γνώμην κακῶν ταῖς νόσοις πρόσεισι· καὶ οὐδὲν διαφέρει τῶ τὰ ὄμματα τῷ μὴ διαβλέπειν, καὶ τὴν φωνὴν, τῷ μὴ φθέγγεσθαι, φυλάττοντος ὁ τὴν ὑγίειαν ἀχρηστίᾳ καὶ ἡσυχίᾳ χρήζειν οἰόμενος. Καὶ οὐδὲ ἀληθὲς ἐστι τὸ μᾶλλον ὑγιάινειν τοὺς ἡσυχίαν ἄγοντας.

3) *In Vita Lycurgi c. I. T. I. p. 47.* Confer CICERONEM *in Tuſc. L. II. Cap. XV.*

manibus, ſcriptum legimus apud STRABONEM: (4) eos, cum fruges meterent, earum tantum ex agris in loca tuta comportaſſe, quantum ad alendum corpus per annum neceſſarium duxerunt, ſuperfluas autem cremaſſe, non aliam ob cauſam, quam, vt ſibi iterum agrum colendi, ſerendi, metendique, laborem imponerent. Certum itaque exploratumque eſt μοχθῆν ἀνάγκη τὺς θέλοντας εὐτυχῆν, addimus, καὶ ὑγιαίνειν. Laborare oportet omnes, qui fortunate beateque viuere, et recte valere, cupiunt. (5)

§. III. CELSVM (6) ſecuti, contentioſam actionem vocamus, quod alii negotium, occupationem, vel laborem, dicunt. Labor autem magni Philoſophi ac Rhetoris, CICERONIS, verbis poterit definiri, (7) qui eum vocat *functionem quandam, vel animi, vel corporis, grauioris operis et muneris.* Duo itaque ſunt genera laborum, quorum alterum corporis exercitatione abſoluitur, alterum mentis agitatione. Nam, quamuis haec duo iuncta eſſe poſſint, et ſaepe eſſe ſoleant, interdum tamen corpus vehementer poteſt exerceri, mens vero ita ſopiri, vt, quaſi ſtupore oppreſſa, vel in alias cogitationes deducta, vix corporis motum ſentiat, et, ſi ſentit, eo parum afficiatur. Frequens hoc eſt omnibus, qui in humili arte verſantur, et illiberalem, ſed quotidianum, laborem ſolius corporis viribus, nulla ingenii virtute, ſuſtinere conſueuerunt. De iis autem, qui literarum ſtudiis incumbunt, rude indoctumque vulgus, quod eos corpore quieſcentes, et compreſſis quaſi, quod aiunt, manibus, ſedentes videt, exiſtimat, eos ferias agere, atque deſides otio ſeneſcere, in quos tamen illud PVBLII SCIPIONIS Africani conuenire videtur, nunquam tales minus otioſos eſſe, quam, cum otioſi videntur. (8) Animi enim noſtrarumque cogitationum intentio labor eſt, quo etiam corpus grauiter affici ſolet; id quod ex infra dicendis intelligi poterit.

§. IIII.

4) *In Geographicorum Lib. XV. p. 1044.*
5) STOBAEVS *l. c. p. 198.*
6) *De Re Medica Lib. IV. Cap. XXV.*
7) *Tuſculan. Lib. II. Cap. XV.*
8) IDEM *de Officiis Lib. III. Cap. I.*

§. IIII. Iam vero ſuperuacuum foret, de corporis exercitatione, huiusque ſumma, quam adferre ſolet, ſalubritate, multa diſſerere, cum quotidiana obſeruatione compertum ſit, quantum corporis motus, laboresque, valetudini inſeruiant, quibus etiam ſolis, nonnunquam pertinaciſſimis, ac fere deſperatis, morbis mederi poſſumus. Nemo etiam ignorat, qui initia, a quibus ars medicinalis profecta eſt, nouit, quantum veteres huic medicinae, quae exercitatione curat, tribuerint. Fuit enim iis ſingularis et praecipua artis ſalutaris pars Gymnaſtica, quae olim, multo ſtudio a medentibus culta, omnis fere generis morbis fuit adhibita. Diaetam enim, quae cibi potionisque rationem praecipit, illi ad Gymnaſticam retulerunt. Haud inficiandum eſt, Gymnaſticam non ſanitatis, ſed illius delectationis, cauſa fuiſſe inuentam, quam ii habuerunt, qui in ludis, cum certationibus corporum factis, glorioſam victoriam erant conſecuti. Etiam ludi exercitationesque ad alios fines, praecipue ad cultus Deorum, religionesque, (9) et ad cohoneſtandas virorum clarorum, de republica bene meritorum, exequias fuerunt accommodatae. (10) Iis enim veteres, ſacra facientes, animos ad preces pietatemque aduerſus Deos incitare voluerunt, ea forte ratione, qua apud nos, aliasque gentes, tum vocis, tum tibiarum, neruorumque, cantibus, quibus templa perſonant, animi ad res diuinas incendi, inflammarique, ſolent. Sed vero protinus, ortis inter primos homines diſſidiis, illarum exercitationum conſuetudo a religione ad bellicos vſus deflexa fuit, cum omnes viderent, exercitationibus corpora multum

9) PLATO *in Dialogo de Amicitia, qui inſcribitur Lyſis T. II. Edit.* IOH. SERRANI *p. 106.* pueros adducit, qui in palaeſtra, poſtquam ſacrificauerant, ſe ludis variis, ludo aſtragalorum, et ludo paris et imparis, oblectant. Huc pertinent illi ludi et certamina Olympia, in Iouis honorem inſtituta, et plura alia, quorum nomina vide in IOH. MEVRSII *Graecia feriata.*

10) Huius rei antiquiſſimum momentum legitur in HOMERI *Iliados L. XXIII.* vbi funus Patrocli a Graecis celebratum deſcribit. De Romanorum Ludis funebribus vide IOH. KIRCHMANNVM *de Funeribus Romanorum Lib. IV. Cap. VIII. p. 397.*

tum obfirmari, neruoſiora fieri, et ad praelia committenda ſuſtinendaque aptiora. Eo enim, vt videtur, tempore gymnaſtica maiori ſtudio agitata fuit, vt etiam ab iis, qui ſummae rerum publicarum praeerant, gymnaſia publicis ſumptibus exſtruerentur, et iis magiſtratus, quos Gymnaſiarchas vocauerunt, praeficerentur. Tacemus, inſequentium ſeculorum homines, in luxum effuſos, Gymnaſiis abuſos eſſe, qui ea voluptatibus, omniumque vitiorum illecebris, aptauerunt. (11) Gymnaſticam autem diſciplinam primus ſalutari arti accommodaſſe, et in proprio corpore huius praeſidii periculum feciſſe, dicitur HERODICVS SELYMBRIVS, Gymnaſiarcha. Cum enim videret, eos, qui infirma et aegra valetudine fuerant, per continuas exercitationes non ſolum conualeſcere, ſed robuſtos etiam, lacertoſosque, fieri, de eodem auxilio ſibi adhibendo cogitauit. Nam, eum, et natura et valetudine imbecilliorem, longo morbo intabuiſſe, ſcriptum legimus. (12) Qui hunc ſecuti ſunt, Medici omnes in hac gymnaſtica medicina inſtituenda, ornanda, amplificandaque, multum operae ac ſtudii poſuerunt, adeo, vt veteres rerum medicarum auctores aduerſus varii generis valetudines medendi viam, non tam a medicamentorum compoſitionibus, quam ab exercitationis victusque ratione, traxerint, id quod ex eorum, qui nobis ſuperſunt, libris diſcitur. (13) Hoc ſeculo

11) Inter alia Gymnaſiorum vitia eminet inprimis athletica. Athletae enim curioſiori cibo immane robur quaerebant. Sed, diſpendio mentis hoc conſecuti, vt pecora, hebetes facti ſunt et ſtupidi. Hanc Gymnaſticam vitioſam appellat GALENVS, eamque deſcribit in *Paraphraſtae Mevodoti Orat. ſuaſor. ad Artes in Edit.* CHARTER. *T. II. Cap. IX. p. 9 ſqq.*

12) Vide PLATONEM *de Republica Lib. III. T. II. p. 406.* qui dicit, eum letali morbo laboraſſe, ſed exercitiorum ope ad ſenectutem peruenisſe.

13) Vel CELSVM, vbi *de Febrium curatione* agit, legenti hoc manifeſtum erit. Vide Autores, qui de Medicina Gymnaſtica ſcripſerunt: LAVR. IOVBERTVM *de Gymnaſiis et Balneis apud antiquos, in Operibus T. II. p. 197.* MARSILIVM CAGNATVM *de Sanitate tuenda, Lib. II.* quorum primus agit *de Continentia*, alter *de Gymnaſtica, Patauii, MDCV.* HIERON. MERCVRIALEM *de Arte Gymnaſtica*, FRANCISCVM FVLLERVM *in Medicina Gymnaſtica, Londini, MDCCVII.* et varia commentaria PETRI IOHANNIS BVRETTE *in Comment. Acad. Reg. Antiq. et Literarum elegantiorum.*

ſeculo iſtud corpus exercendi ſtudium, tum a medicis, tum ab aegris, fere negligitur, et vix non omne auxilium aduerſus valetudines ex medicamentaria taberna petitur. Remediorum enim multitudo, varietas, crebraque mutatio, iis quaeſtuoſa eſt, qui medicamenta ad vtilitatem ſuam vendere ſolent. Etiam aegri, vel morbo, vel ignauia, langueſcentes, repudiant exercitationem, et malunt altera quaque hora medicamentoſa pocula exhaurire, quam aliquo corporis motu defatigari. Medici cordatiores hoc dolenter ferunt, qui non raro vident, aegros, longis morbis oppreſſos, deuoratis etiam epotisque quotidie medicamentis, ſi Diis placet, panchreſtis, praecipitari, et immatura morte abſumi, qui, adhibita exercitatione, ſeruari potuiſſent.

§. V. Multum vero intereſſe deprehendimus, vtrum corporis exercitatio cum voluptate fiat, an vero cum taedio et repugnantia. Prius enim in ingenuis, et qui literis dediti ſunt, hominibus deprehenditur, ſi, vel curandi corporis, vel relaxandi animi, cauſa, in palaeſtricis ludis verſantur, ſaltatorium orbem verſant, vel alia quacunque ludicra exercitatione cum ſociis delectantur. Nam hi eiusmodi, vehementioribus etiam, exercitationibus ita reſtituuntur, recreanturque, vt corporis animique neruos, quaſi renouatos, et maiorem ad gerenda negotia efficacitatem, ſentiant. Poſterius autem occurrit in plebeiis, miſerisque illis, quos continuo labore multoque ſudore ſibi victum tenuem atque quotidianum parare oportet, nec non in aliis, qui labore aliquo inuiti defunguntur. Addimus etiam eos, quibus in vno genere laboris perſeuerandum eſt, et qui, quod nulla varietate reficiuntur, breui fatigantur. Nam, vt apud CELSVM eſt: (14) *leuat laſſitudinem laboris mutatio:* qui ob id *corpus cum aliqua varietate moueri* iubet (15)

§. VI.

14) *Lib. I. Cap. III.* 15) *l. c. Cap. II.*

§. VI. Haec vero, quae peruulgata ſunt, et nemini obſcura, nos ad illud laboris genus ducunt, quod mentis agitatione abſoluitur. Quaerendum enim videtur, num etiam eiusmodi labor ſalubris ſit, et num corpori ex eo aliquid boni eueniat, Quod cum iam probandum ſit, res paulo altius repetenda eſſe videtur. Duobus autem mens noſtra commoueri, agitarique, conſueuit, rerum gratarum aduerſarumque repraeſentatione, cum iis, qui ex hac oriuntur, affectibus, et naturali illa eius actione, quam congitationem appellamus, et quam etiam, ſi ita fert voluntas, ſuſcipere, intendere, incitare, iterumque abiicere, poſſumus. Vtraque vero agitatione corpus noſtrum affici, mutarique, animaduertimus. De affectibus, ſeu animi perturbationibus, praecipue illis, quae ſubito oriuntur, dicere non attinet, cum nemo ignoret, eas interdum non ſolum animum loco ſuo mouere, ſed ſaepe etiam corpus ita quatere, et conuellere, vt quandoque ſubitus atque inſperatus animi diſceſſus, et lucis, omnisque vitae, finis, ſequatur. Animi vero affectus, veluti iram, terroremque, ſaepe graues ancipitesque morbos facere, quotidianum eſt. Nec multo minorem efficacitatem habent aliae affectiones, quae lentius, et quaſi cunctanter, procedunt. Nam et hae, animo inſidentes, corpus ita laedunt, vt illud longinquis morbis intabeſcat, et tandem lenta morte abſumatur. E contra nihil ſalubrius eſt, et ad bonum etiam corporis habitum tuendum magis opportunum, quam illa Graecorum *αὐτάρκεια*, et moderatum, quo animus placide et conſtanter mouetur, gaudium. Id vero, quod *τὰ πάθη* in noſtro corpore efficiunt, etiam altera illa mentis agitatio, cogitatio, praeſtare poteſt. Nam, ex HIPPOCRATIS ſententia, cogitatio animi deambulatio, vel exercitatio, eſt. (16) Verſatur autem cogitatio, qua

16) *Lib. VI. Epidem. Sect. V. T. I. p. 910.* Πόνος τοῖσιν ἄρθροισι καὶ σαρκί, σῖτος ὕπνος δὲ σπλάγχνοισι. Ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποισιν. Ita vulgo interpretantur: *Labor articulis et carni ſalutaris, cibus, ſomnus, viſceribus. Animae deambulatio, cogitatio, hominibus.* Teſte tamen GALENO *in Comment. T. IX. Edit.* CHART. *p. 523.* iam olim DIOSCORIDES legere maluit ψυχῆς περὶ παντὸς φροντὶς ἀνθρώποις. *Hominibus cogitatio de omnibus.* Quamcunque interpretationem admittas, clarum eſt, HIPPOCRATEM cogitationis ſalubritatem cognouiſſe.

qua mens quaſi alitur, potiſſimum in ſtudiis ſcientiae, cognitionisque, dum ea, quae in hoc vniuerſo nos circumſtant, per ſenſus, interpretes rerum, in corpore noſtro collocatos, percipimus, eorum ſenſibus perceptorum imagines, concipimus, has quaſi in nobis depictas iungimus, diuidimus, ſeparamus, transformamus. Res autem comprehenſas definimus, circumſcripteque complectimur, memoria retinemus, repetimusque, et tandem omnia, ipſasque noſtras cogitationes, ad rationem reuocamus, emendamus. Hae omnes actiones, ſi ex voluntate ſtudioque multum intenduntur, corpus, cui mens inhaeret, non parum commouere ſolent. Si autem de hoc aliquis dubitare velit, is veritatem ſine negotio in ſe ipſo experiri poterit. Cordis enim motus, qui omnium primus ac princeps in corpore eſt, et a quo caeteri omnes motus functionesque procedere videntur, acri intentaque cogitatione concitatur, animi autem langueſcentis, et ſibi quaſi indormientis, ſegnitie atque marcore lentior fit, et quaſi reſoluitur; id quod cuilibet, qui variis temporibus manum carpo admouere, et arteriarum, ſe attollentium, vel ſubeuntium, ictus tactu cognoſcere, velit, erit exploratum. Defecta vero per ignauiam naturali, quae nobis inſita eſt, vi, illud corpori accidit, quod a peſtilentiſſima illa animi aegritudine, moerore. Quemadmodum enim in lugentibus illae actiones, ſine quibus vita retineri nequit, cordis, pulmonum, atque cerebelli, ſe multum remittunt, ſic hoc etiam in aliis, deſidioſiſſimo otio marceſcentibus, fieri, lentiores et ſe ſubmittentes arteriae ſignificant. Dum autem illae vitales actiones deficiunt, naturales etiam multum comprimuntur. In ventriculo cibus non recte concoquitur, exteriturque, nec ſucci, qui ad corpus alendum neceſſarii ſunt, in viſceribus conficiuntur, nec in membrorum partes digeruntur. Ea etiam humida, quae vel ſubigi haud potuerunt, vel, quae olim bona, frequenti circuitu tandem inertia et acria facta, ne noceant, eiici debent, nec recte ab vtilibus ſecernuntur, nec per ſua loca expelluntur, quare cruditas contrahitur, et ex vario humidorum vitio

graues pernicialesque morbi naſcuntur. Etiam SANCTORIVS obſeruauit, nimia animi quiete, quam pigritiam vocare malim, exſpirationem ex corpore magis prohiberi, quam, ſi corpus haud, vel parum, exerceatur. (17) Non vero humida ſolum in corpore, quod inerti ſocordia torpet, corrumpuntur, ſed ſolida etiam, ex quibus omnes corporis partes ad vſus neceſſarios factae ſunt, plurimum debilitantur; prae caeteris nerui, qui, ex cerebro atque cerebello tracti, et profecti, in omne corpus ducuntur. Nam, id quod

17) *In Med. ſtatica Sect. V. Aphor. XV.* De huius rei veritate dubitare videtur celeb. GORTERVS. Probat enim, ſtudio ſeueriori corpus debilitari, et vix non omnes literis deditos, niſi corpus ſimul exerceant, tenui eſſe valetudine, varioque morbo affligi, plures autem eorum, qui ſe ad nullum prorſus ſtudium negotiumque applicant, et deſidioſiſſimam vitam viuunt, modo corpus moueant, recte valere. Igitur ſaepe neceſſarium eſſe, vt medentes vrbanos infirmosque homines, quos literarum ſtudia et alia, vel domeſtica, vel ciuilia, officia tenent, a negotioſa actione retrahant, et ad otium, atque cum hoc ad moderatam corporis exercitationem, compellant. Vid. eius *Comment. in* SANCTORIVM, qui adiectus eſt eius *Libro de Inſenſibili Perſpiratione. p. 489.* Haec omnia de nimia mentis agitatione, quam nocentiſſimam eſſe infra probabo, recte dicuntur. Haud enim inficior, plures, qui, vel propter negotii inopiam, vel propter deſidiam, in otio viuunt, corpore eſſe vegeto atque valente. Sed vero tales, quamuis ſe nullis rerum ciuilium, vel domeſticarum, procurationibus implicari patiantur, tamen alia ratione illa vitia, quae ex deſidia naſcuntur, diſcutere ſolent. Otium enim conuiuiis, commeſſationibusque, iucundis et inuitabilibus ſermonibus, amoribus etiam, et aleae, caeterisque, luſionibus, terunt, quibus ingenium acuitur, atque exercetur. Res itaque, quibus alii ſe grauioribus et quotidianis occupationibus relaxare ſolent, his pro labore ſunt, qui ſaepe etiam omnem curam et cogitationem his ludicris intentam habent. Qui vero indocti, incultique, ſoli ventri atque ſomno dediti, omnem mentem obruunt, hac inertiſſima ſegnitie, niſi alios morbos, certe ſaginam, contrahunt, vt nimia pinguitudine laborent. In hos autem illa CELSI *Lib. II. Cap. 2.* conueniunt: *Si plenior aliquis, et ſpecioſior, et coloratior, factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet.* Nec non *Aphoriſmus* HIPPOCRATIS *Sect. II. Aph. 44.* Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν. *Qui natura ſunt valde craſſi, breuiori vita fruuntur, quam graciles.* Corporis enim obeſitas, ſi non morbus eſt, eſt certe morborum frequentior, et nonnunquam ſubitae etiam mortis, cauſa. Confer *Doctiſſimi Viri Comment. in illum* HIPPOCRATIS *Aphor. in* eius *Medicina Hippocratica Lib. II. p. 208.* Anatomen pueri, nimia pinguetudine extincti, vide in KERCKRINGII *Obſ. Anat. Obſ. LXIV. p. 134.* Viri, *in Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ao. II. Obſ. 88. p. 161.* Confer LANCISIVM *de Mortibus ſubitaneis Lib. I. Cap. 19. p. 22. Operum.*

quod in artubus fieri nouimus, qui concitato aſſiduoque motu multaque exercitatione firmantur, et tandem ad inſolitum et admirabile robur perducuntur, id quoque in aliis, internisque, corporis ſedibus fieri, haud dubitauerim. Exilia enim, et, quae omnem ſenſum effugiunt, itinera, per quae tenuiſſimos elaboratiſſimosque ſuccos perlabi oportet, paulo incitatiori motu magis aperiuntur, atque ita aptantur, vt humida ſine mora, et aequabiliter, permanare poſſint. Dum vero per haec itinera humor paulo incitatiori motu promouetur, fibrae, ex quibus ea compoſita ſunt, aliquantum comprimuntur, denſantur, duranturque, ita, vt, corroboratis his receptaculis, tandem totius corporis firmitas, vigorque, adaugeatur. Si vero ſuccorum per ſuas fiſtulas tranſitus tardior eſt, id quod in corpore hominis deſidis ignauique fieri ex iam dictis clarum eſſe opinor, fibrae quaſi diluuntur, infirmanturque, et corpus iners fit, rarum, reſolutum, obeſum, ac pondere moleſtum. Omni vero corpori, quod in immodicum pingueſcit, multum naturalis roboris decedit, dum arteriae neruique ab extuberante adipe comprimuntur, arctanturque, id quod omnes ſentiunt, qui, olim graciles, iam ex opimo corporis habitu moleſtiam habent. Verum igitur eſt, quod CICERO ([18]) ſcripſit, otium atque ſolitudinem afferre languorem.

§. VII. Atque nec aliud omittendum eſt, quod negotioſae actionis, etiam illius, quae ſola mentis agitatione abſoluitur, ſalubritatem plane et perſpicue oſtendit. Animaduertimus enim, eos, qui, omnibus gerendis negotiis orbati, vitam ſine occupatione deſidem viuunt, animum tandem ita contrahere, et quaſi demittere, vt meticuloſi fiant, et de omni, vel leuiori, quam in corpore ſentiunt, commotiuncula ſolliciti, adeo, vt vix non omni tempore, rerum, praeſentium aegritudine, futurarum metu, miſere, et magis, quam praeſentiſſimis calamitatibus, angantur, crucienturque. Vitam tales agunt plenam querelarum, quibus animum fere totum occupatum habent, et quibus etiam aliorum,

18) *De officiis Lib. III. Cap. I.*

praeſertim Medicorum, aures quotidie obtundunt. Cum enim omni caeteroquin cura atque labore vacui ſint, protinus in id, quod obuium eſt, et quod in ſe ſentiunt, cogitationem conferunt, ex omni mutatione ſibi magnam ſollicitudinem ſtruentes, ita, vt vel minimum dolorem intolerabilem, et quamuis, quae forte incidere ſolet, morbi tentatiunculam ancipitem habeant, atque formidoloſam. Hac vero ſollicita omnium rerum notatione, et anxia futurorum praemeditatione, omnem veri morbi acceſſionem mox ab initio ita intendere et exaſperare ſolent, vt ſaepe ex eo, nec praeſtantioribus adhibitis auxiliis, emergere poſſint. Contra, atque ab hominibus occupatis fieri ſolet, qui, ſuis negotiis diſtenti, minoribus, quibus tentantur, motiunculis parum afficiuntur, et qui actuoſa ſua, quam per laborem conſecuti ſunt, virtute illam nobis inſitam, in corpore motus neceſſarios cientem, vim, quam naturae nomine appellamus, ita intendunt, augentque, vt vel huius ſolius virtute non raro peſtiferi et ancipites morbi auertantur, propulſenturque. Ex his vero omnibus, quae de otio atque labore propoſuimus, clarum confectumque eſſe arbitror id, quod CELSVS (19) habet, etiam ad animi exercitationem pertinere: *Ignauia corpus hebetat, labor firmat. Illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.*

§. VIII. His autem, tum corporis, tum animi, exercitationibus nihilominus, vt modus conſtituatur, neceſſe eſt, cum, nec nimius, nec intempeſtiuus, labor vtilis ſit, ſed non raro pernicioſus. Hoc vero de corporis exercitationibus certum eſt, cum quandoque iis violentis atque immodicis corpora etiam vegeta ita fuerint conuulſa, atque quaſſata, vt mors ſubita ac praecipitata fuerit ſecuta. Dum enim nimio motu ſucci illi diſſipantur, exhauriunturque, qui, in cerebro in ſic dictos ſpiritus verſi, per neruos in omne corpus ad praeſtandum ſenſum motumque diuiduntur, his defectis, nerui, et inter hos ii etiam, qui ad cor atque pulmones pertinent, reſoluuntur. Hoc ſi incidit, et ſi haec viſce-

19) *Lib. I. Cap. I.*

viſcera, quorum actione omnis humor per arterias diſtribuitur, conquieſcunt, ictu quaſi fulminis perit omnis mouendi atque ſentiendi facultas, et, refrigerato, extinctoque, naturali calore, fit cita et praeceps naturae omnis diſſolutio. Sic aliquando, milites abreptos fuiſſe, accepimus, qui, dum variis exercitiis ad praelia et labores praepararentur, inter haec belli meditamenta ſubito reſoluti vltimum ſpiritum ediderunt. His ea congruunt, quae de hominibus, qui, perfrigida hyeme, calceamentis ferratis induti, ſuper glaciem huc et illuc curſitant, nobis reliquit BOERHAAVIVS, (20) qui etiam teſtatur, tales nonnunquam inter rapidos illos curſus mortuos concidiſſe. Negandum tamen non eſt, multum ad hanc repentinam extinctionem conferre potuiſſe corporis congenitam imbecillitatem, noxam in aliqua interiori ſede, mollem educationem, conſuetudinem, nimium, vel calorem, vel frigus, famem, aliaque. Illud enim ſemper in eiusmodi caſibus pro cauſa apprehenditur, quod plurimum contuliſſe videtur.

§. VIIII. Haud quidem adeo frequenter hominibus ſe nimis vehementer exercentibus exitium adeo in propinquo eſt, vt e veſtigio quaſi tollantur. Crebrius morbis opprimuntur, qui, etiamſi non tam cito finiantur, haud minora pericula oſtendunt. Immoderato enim motu humida corporis mutari, atque corrumpi, nemo negabit, qui nimium in corpore animali calorem a vehementi eorum, ſanguinis praecipue, agitatione atque attritu oriri, concedit. (21) Sanguinem enim, lympham, aliaque, quae per arterias venasque mouentur, humida, calore cogi, atque denſari, in febribus, quae cum inflammatione ſunt, oculis cernitur. Videmus enim, ſanguinem, qui, ante inflammationem ex hominis recte valentis vena miſſus, bonus fuerat, modice craſſus, non glutinoſus, febre ita mutari, vt omnia prioribus contraria habeat. Nam eidem homini, qui iam graui inflammatione, ex ictu, vel vul-

20) Vide *Commeut. in Inſtit. a Celeberrimo* HALLERO *edita ad §. 133. Vol. III. p. 620.*

21) Vide, inter alios, GEORGII MARTINII *Librum de Similibus Animalibus et de Auimalium calore, Londini, MDCCXL.*

vulnere, orta, laborat, si iterum sanguinem detrahas, eum crassiorem, glutinosioremque, videbis, et cui, loco illius pellucidi humoris, qui naturaliter sanguini innatat, coagulum superinductum est vnguinosum, crassum, tenacitate membranae non dissimile. Haec vero, quae iis eueniunt, quos febris feruorem ingentem habens extorret, etiam accidere solent illis, qui immodica exercitatione atque alia ratione calorem augent, et quasi febrem accendunt. Humida autem, si calore densata sunt, itinera valde exilia, per quae illa perlabi oportet, subsistendo claudunt, ex qua re, si hoc rubicundo sanguini accidit, inflammatio nascitur. Nam obseruatione cognitum est, hominibus vehementi labore concalescentibus frequentes esse pleuritides, aliasque inflammationes, maxime, si illi post concitatiorem motum se subitae tradunt quieti, si corpori aestuanti admittunt frigus, vel, si frigidam potionem auide hauriunt.

§. X. Quamuis vero ex his occasionibus non semper periculosior inflammatio cum impetu erumpat, alia tamen sunt vitia, quae corporis humida ex nimia exercitatione contrahere possunt. Multus enim elicitur his, qui se incitatius exercent, sudor. Nam.

tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit, sudor fluit vndique riuis. (22)

Sudor vero bene valentibus vtilis non est, qui corpus omne, quod integrum est, infirmat, quamuis is, vbi corporis habitum mutari atque inutilem corruptumque, cum his vero etiam mobilem, et coctum, humorem euocari expedit, salubriter moueatur. Ob hanc causam sudor iis conducit, qui, liberalius coenati, horis matutinis nimium cibum in lectulo digerunt, atque crapulam exhalant. Summa etiam sudoris necessitas est in illis ipsis febribus, cum inflammatione, in quibus, sanguinem, caeteraque corporis humida, cogi, retulimus. Nam tandem illi densati coactique humores certo

22) VIRGILIVS *Aeneidos Lib. V. v. 199.*

certo tempore eodem calore reſoluuntur, atque deliqueſcunt, qui, cum corrupti, ex corpore eiiciendi, ſint, et cum non omnes expiratione Sanctoriana per minutiſſimos cutis meatus exire poſſint, per alia loca, pectus, renes, aluum, potiſſimum autem per glandulas illas, ſub cute ſitas, quas, quia milii ſemen repraeſentant, miliares vocant, moto ſudore excernuntur. Si vero ſudore, qui intempeſtiue ex corpore integro fluit, ſucci boni dilutioresque exhauriuntur, diſſipanturque, tandem, ſi illi vehementiores fluidorum motus atque attritus non finiuntur, ex iis craſſiora, quae terram atque oleum continent, ſibi coagmentantur, quae noua mala parere poſſunt. Nam haec, inter ſe vnita, ſi vlterius perniciori motu agitantur, circumpellunturque, tandem iterum attenuata, peſtilentiſſimam acrimoniam, quae tenerrimam corporis compagem rodit, contrahere poſſunt, plurium morborum cauſam; quam rem, ſi iam multis exequi vellemus, nimium a propoſito deflecteremus.

§. XI. Neque minus detrimenti ex nimia corporis commotione faciunt partes ſolidae. Praeterquam enim, quod illae ex humidis componuntur, alunturque, ſanguis vehementer commotus atque valida cordis vi proiectus non raro receptacula rumpit, vel exilia itinera ita diſtendit, vt magnum et periculoſum eius fiat profluuium. Etiam, ſi hoc non incidit, is in minores et aliis tenerioribus ſuccis accommodatas arterias transfunditur, quas ſubſiſtendo claudit, et inflammationes cum febre concitat. Haec autem, cum varium exitum habeat, vt eam modo reſolutio, modo pus, modo gangraena, modo ſcirrhus, ſequatur, raro ſine omni periculo eſt. Id vero, quod in arteriis incidit, quae proxime ex iis educuntur, per quas rubicundus ſanguis, qui inter caetera humida preſſior craſſiorque eſt, permanat, etiam euenire videtur in aliis longe minoribus arteriis, teneriorem ſuccum continentibus. Nam, ſi haec valde exilia itinera praecluduntur, a retenta materia oriri videntur illi dolores, quos fatigati, et, qui contra conſuetudinem corpus nimis vehementer exercuerunt, ſen-

tiunt, quos rheumaticis ſimillimos eſſe nouimus. Illi etiam longe grauiores fiunt, multumque exaſperantur, ſi nimium laborem protinus excipit quies, minuuntur leuanturque, ſi homo pedetentim a vehementi exercitatione ſe remittit, vel poſt eam apotherapia, veluti ambulatione, frictione, balneo, vtitur. (23) Praeter haec omnia, quemadmodum modica exercitatione molliores corporis fibrae multum firmantur, ita nimio motu atque calore illae tandem adeo rigeſcunt, vt pereat flexilis illa mollitia, ad ſenſum motumque, imo ad vitam, neceſſaria. Quare etiam homines exercitatos, ſi iis ex aliis occaſionibus in aliqua interiori parte inflammationes naſcuntur, maius periculum circumſtare iam ab HIPPOCRATE animaduerſum legimus. (24)

§. XII. Non deſunt exempla eorum, qui, ex nimio corporis motu atque exercitatione incaleſcentes, in grauiores funeſtosque morbos incurrerunt. Ex magno numero liceat adducere Silenum HIPPOCRATIS, (25) quem anno aetatis viceſimo ἐκ κόπων καὶ ποτῶν καὶ γυμνασίων ἀκαίρων πῦρ ἔλαβεν, *ex laſſitudinibus, potationibus, ac intempeſtiuis exercitationibus febris corripuit*, atque vndecima die praecipitauit. Commemorabile etiam eſt, quod in SMETIO (26) de formoſa foemina Antuerpiana legimus, quae, cum in opiparo epulo genio indulſiſſet, poſt id autem tripudio, animo defecta concidit, iterum autem excitata, de magnis in abdomine doloribus conqueſta, exſpirauit. In huius abdomine magna vis cruoris reperta oſtendit, a velociori ſanguinis motu ruptum fuiſſe quoddam eius receptaculum. Alius homo, triginta quatuor annorum, qui etiam rudi atque incompoſito corporis motu iocabundus duras duxerat choreas, mox magnos abdominis dolores ſenſit. His increſcentibus, attrectatu cognouerunt medentes,

23) De Apotherapia, quam inter et poſt exercitationes vehementiores adhibuerunt Veteres, vide GALENVM *de Valetudine tuenda Lib. III.*

24) *In Coac. Praenot. Sect. II. 137. T. I. Edit.* LIND. *p. 560.* Τῶν δὲ σωμάτων τὰ γεγυμνασμένα καὶ πυκνὰ θᾶσσον ὑπὸ τῶν πλευριτικῶν καὶ περιπνευμονικῶν ἀπόλλυνται τῶν ἀγυμνάστων.

25) *Epidem. Lib. I. Sect. 3. T. I. p. 673.*

dentes, tumorem inter peritonaeum atque abdominis muſculos penitius conditum eſſe, quem, ad ſuppurationem ſpectare, ex aliis notis deprehenderunt. Igitur eorum conſilio, impoſitis cataplaſmatibus, concurrens materia ad maturitatem perducta, atque inciſa ſuppuratione, effuſa fuit, qua curatione homo ex grauiſſimo morbo emerſit, et conualuit. (27) Prae caeteris foeminae caueant metuantque has immodicas exercitationes, citatioresque ſaltationes, tempore, quo catamenia fluunt, quorum profluuium, ſi repente ſupprimitur, eas variis grauiſſimisque morbis obnoxias reddere poteſt. (28) Maiori tamen in periculo ſunt foeminae, quibus ex his commotionibus immoderatum catameniorum profluuium oritur, et ſanguis cum impetu ruit. Puella octodecim annorum ex rapidis inter choreas motibus ita fuit debilitata, vt tertio die vitam cum ſanguine profuderit, qui etiam poſt obitum ex refrigerato corpore erupit. (29) Grauidas, prae caeteris infirmas, quales plerumque foeminae vrbanae ſunt, ex ſimilibus exercitationibus abortum facere, fere quotidianum eſt. (30) Praeſidi plures, et iuuenes, et viri, innotuerunt, qui inter ſaltatorios orbes, et illos ex imis pulmonibus redditos receptosque anhelitus, ſanguinem exſpuerunt, qui, ſi ex interioribus pulmonibus procedit, huic raro atque ſpongiae aſſimili viſceri magnum periculum futurae exulcerationis affert. Is nunc etiam ipſum dolet acerbiſſimum luctum ſplendidiſſimae et multarum imaginum in Saxonia familiae, in quem ab aliquo tempore vocata fuit obitu Iuuenis, tum formae dignitate, tum omnis virtutis ornamento, conſpicui.

26) *Miſcell. Med. Lib. X. p. 525.*

27) *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. I. Obſ. 82.*

28) Auide inter ſaltantium choreas ingeſta potione frigida, protinus ſuppreſſa fuerunt menſtrua. Vide *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. III. Obſ. XI. p. 49.*

29) Vide PAVLLINI *Obſ. Med. Phyſ. in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VI. Append. Obſ. I.*

30) Abortum ex tripudio notauit *la* MOTTE *Traité des Accouchemens L. II. Obſ. 138. p. 255.* Saltationem inter abortus cauſas retulit HIPPOCRATES *de Morbis Mulierum Lib. I. Sect. II. T. II. p. 443.* τὸ πηδᾶν nec non τὴν ταλαιπωρίαν. Nimium laborem *c. l. p. 144.* Hoc vltimum vocabulum eo loco non animi aegritudinem, ſed nimium laborem, ſignificare videtur. Confer *Oeconomiam* FOESII.

Huic enim, cum inter ſolemnia nuptialia honeſtasque ſaltationes percaluiſſet, et breui poſt curſim pluribus gradibus in tertiam aedium contignationem adſcendiſſet, etiam ſanguis cum tuſſi ex ore profluit ſatis multus. Iter meditatus, rem occultauit, et omne auxilii genus neglexit, nec ſanguinem ſibi detrahi prioribus diebus paſſus, breui poſt multum tuſſiit, pus etiam, atque id ſub finem ſanguinolentum, exſcreauit, tandemque tabidus periit. Ad alias etiam ſedes fertur ſanguis, et ex dilatatis, vel diſruptis, vaſis erumpit. In cerebro hoc ſi incidit, apoplexia concitatur, et homo, vel attonitus rapitur, vel illi cum magna imbecillitate neruorum reſolutio manet. (31) Si vero ſanguis ad renes cadit, is lotio admixtus excernitur, quod rufum aquae, in qua caro recens lota fuit, ſimile procedit. Vbi autem in veſicam contractus fuit ſanguis, is in ea cogitur atque non ſine maximis nixibus, cruciatibusque, quaſi lumbricos repraeſentans, interdum exprimitur. (32) Vitium autem, quo ſanguis ad renes veſicamque cadit, et, cum vrina excernitur, concitatur, augeturque, ſi homo infirmus, ſuper viarum aſperitates, curru, vel etiam equo, vectus concutitur.

§. XIII. Immoderatius excurreret haec ſcriptio, ſi iam pluribus exequi vellemus, in quibusnam caſibus morbisque nimia exercitatio pernicioſa ſit. Si tamen pauca, et ea breuiter tantummodo, perſtringenda ſunt, vitare illam oportet omnes, qui infirmi ſunt, tenues, et qui aliquam corporis partem, praecipue pulmonem, imbecillum habent. Proximum enim eſt, vt ſanguis, qui infirmorum pulmonum, enneruatorum et quieſcentium muſculorum actione ſatis denſari non potuit, atque ob id rarus eſt, ac reſolutus, ſi immodicis exercitationibus repente et nimium agitatur, ex aliqua parte prorumpat, et eos, quos modo diximus, aliosque, morbos faciat. Iam dudum enim medentium prudentiores animaduerterunt, non neceſſe eſſe, vt ii, quibus tuſſicula ſanguis

31) Vide Exemplum *in Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ao. III. p. 50.*

32) Vide HILDANVM *Cent. VI. Obſ. 46.*

ſanguis ex pulmonibus extunditur, aut vomitu ex ventriculo eiicitur, aut cum periculo ex naribus fluit, vel immodice ex genitalibus et haemorrhoidalibus venis funditur, bonorum ſuccorum redundantia, plethora, laborent. Non raro enim illa profluuia incidunt, ſi ſanguis tenuis, nimisque dilutus, eſt, vel cum his interdum etiam acris, et qui minora receptacula rodit. Quare omnes, quibus in tenui imbecilloque corpore ſanguis eiusmodi eſt, multos labores vitare oportet. Nec hoc alii, robuſtioresque, ferre poſſunt, qui inedia ſoluti ſunt, vel, quibus fames futura eſt. Laborem enim inani corpori plus nocere, quam impleto, olim HIPPOCRATES, (33) CELSVSque, (34) prodiderunt. Nec vtilis eſt labor poſt nimiam ſatietatem, poſt quam, vt, quicquid aſſumtum fuit, melius concoquatur, nihil agendum. *Qui mane nondum concoxerunt, et crudum ructant, debent conquieſcere, atque ſe nulli exercitationi credere.* (35) Multo magis ex nimio labore periclitantur ii, qui in loco graui ſunt, quam obſeruationem in peſtilentia neceſſariam, in qua omnis fatigatio vitanda eſt, CELSVS (36) habet. Nec ſine periculo exercitationes valde laborioſae vehementesque ſummo hieme frigidaque tempeſtate ſuſcipiuntur. Qui enim contra conſuetudinem incitatiori curſu laboribusque exercitati gelidum frigus valido de pectore anhelant, iis morbi imminent acuti, qui pectus cum inflammatione infeſtant, pleuritis, atque peripneumonia. Oportet praeterea omnem laborem naturae corporis aptari, quam rem multis executus eſt HIPPOCRATES. Qui enim graciles fieri volunt, eos iubet, vt citius ambulent, ieiuni laborent, et cibos ex labore anhelantes aſſumant, qui vero tenues pingueſcere optant, iis auctor eſt, vt deambulatione tardiori vtantur, nullum laborem ieiuni ſubeant, atque prioribus omnia contraria faciant: ſuperaddit plura alia ſalutaria praecepta de exercitationibus ad anni tempora, tempeſtates-

 que,

33) HIPPOCRATES *Sect. II. Aphor. 16.* Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονεῖν.

34) *Lib. I. Cap. II.*

35) CELSVS *eod. l.*

36) *L. I. C. 10.* Conf. IOH. BAPT. LANCISIVS *de Noxiis Paludum Effluuiis Lib. II. Epidem. III. Cap. 2. p. 210. in Operibus.*

que, victum, locorum salubritatem, atque grauitatem, corporisque habitum, accommodandis. (37) Nec omittendum esse sentio laboriosam exercitationem, quae ad imbecilliorum et literatorum corpora roboranda adeo proficit, si immoderata fuerint, teneras asperioribus studiis formandas mentes obtundere. *Stulta omnino*, si SENECAE verbis vti licet, *et minime conueniens literato viro occupatio est exercendi, lacertos dilatandi, ceruicem ac latera firmandi. Multa enim incommoda sequuntur huic deditos curae. Nam exercitationes, quarum labor spiritus exhaurit, hominem inhabilem intentioni ac studiis acrioribus reddit.* (38) Qui igitur literarum cupidi sunt, eos oportet corpus non immodicis exercitationibus frangere, sed facilibus et moderatis, quae, nec ingenii aciem praestringunt, nec, nisi modicum temporis, absumunt, recreare.

§. XIIII. Multo magis illi ab exercitationibus abstineant, qui morbis impliciti sunt, quos illae exasperare possunt. Calculosi, et, quibus ex diuersis abdominis sedibus, laxato peritonaeo, omentum, intestinumque, deuolutum est, vel, quibus anus procidit, aut vterus prouolutus est, metuere debent, et cauere omnem vehementem motum. Aduersus citam aluum Medici exercitationem aegris, dum ieiuni sunt, imperant, (39) quam etiam profuisse noui-

37) Vide *Libros de Salubri Diaeta T. I. p. 626. et de Diaeta T. I. p. 179.*

38) Epist. XV. quam Epistolam legant iuuenes, qui, dum in Academiis saepe nimio gymnastices amore tenentur, literarum artiumque studia negligunt, mentisque aciem obtundunt. Non paucis horum ad votum dies actus est, si bene desudauerunt, et, si in locum eius, quod effluxit, multum potionis regesserunt. Forte etiam nonnullis, qui artem faciunt, haud displicebunt ea, quae habet literatissimus Vir HOMOBONVS PISO *in Dissert. de Offensionibus Medici Operosi*, quae adiecta est *aliis Dissertationibus de Regimine Magnorum Auxiliorum in Curationibus Morborum p. 378.* Is dubitat, num iis, qui nimis multos aegros, defatigati aestuantesque, animo haud praeparato, quotidie inuisunt, possint hoc suo munere recte defungi, atque singula, quae ad morbos, horumque differentias, causas, atque symptomata, nec non ad apta auxilia inuenienda, attinent, studiosius examinare. Existimat enim, oportere tales, qui vnamquamque rem in aegris, suae curae commissis, ponderare nequeunt, *ex praeceptis saepe ea amplecti, quae sedulitatem non exigunt.* CELSVS *Lib. III. Cap. 4. p. 120.* quem confer.

39) CELSVS *Lib. I. Cap. 6.*

nouimus. Sed eam minime ferre poteſt aluus fuſa, per quam crebrius cruda, cruenta, purulentaque, et quae peioris, quam ex conſuetudine, odoris ſunt, deſcendunt, quem morbum, quamuis eius ſedes non ſemper in iecinore ſit, veteres hepaticum appellauerunt. (40) Etiamſi vero hic morbus, id quod HIPPOCRATES (41) oſtendit, quandoque ex neglecto labore in iis oriatur, qui olim, labori dediti, iam, omni exercitatione neglecta, otio torpent, is tamen non parum ex corporis agitatione, qua omnia vlcera exaſperantur, ingraueſcit, ita, vt aegri longe citius intabeſcant, et conſumantur. Vix autem in vllo valetudinis genere vehementior exercitatio tantum nocere poteſt, quam, ſi in pulmonibus vomica haeret, vel, ſi malum vlcus, quod illas exeſt, ſerpit. Pulmones enim, dum ſpiritum ſine intermiſſione hauriunt, adſpirantes ſe contrahunt, reſpiritu dilatant, et nunquam quieſcunt, quare anhelitu, qui laboribus mouetur, longe vehementius agitantur, quatiunturque. Hoc autem motu ſanguis citatur, vt plus malae materiae concurrat, et, vt vomica citius rumpatur, vlcus vero exaſperetur, quod celerius ſerpendo penetrandoque tandem omne hoc viſcus cui ſingularis raritas ac mollitudo eſt, vorat, atque homini praepropera celeritate omnem ſpiritum aufert.

§. XV. Imo laborem vehementemque motum non ſolum eos vitare oportet, qui in aliqua interiori parte vomicam, ſuppurationem, vel vlcus, habent, ſed etiam eos, quibus haec, in qua exteriori ſede ſunt, cum illa, niſi quies ſeruetur, facilem curationem haud recipiant. Id praecipue deprehenditur, ſi vlcera infeſtant crura, quae quandoque etiam in boni habitus hominibus, et, quamuis extrinſecus ex vulnere fuerint orta, admodum difficulter ſaneſcunt. Qui enim in his cutem vel leuiter exulceratam habent, eos, tanto magis, ſi vetus res eſt, non ſolum quieſcere oportet,

40) Vide GORRAEVM. ALEXANDRO TRALLIANO vocatur hic morbus δυσεντερία ὑπατική *Lib. VII. Cap. 22. p. 133.*

41) *De Natura humana §. 23. T. I. p. 277.*

tet, ſed etiam extentis feminibus et cruribus iacere, donec ex toto plaga claudatur. Hoc pluribus aegrorum, qui moroſi atque difficiles ſunt, vel intolerabile videtur, vel minus neceſſarium. Dum vero hi in lectulo perſeuerare nolunt, et interea minus periti chirurgi, qui vlcera acrioribus tentant, maiorem vim adhibent, noua accedit inflammatio, ex qua vlcera continuantur. Haec tandem, vbi vetuſtas accedit, ita ſerpunt, vt nullam, vel difficillimam, curationem, adhibitis etiam omnibus, quae e re ſunt, auxiliis, nec quiete neglecta, recipiant, quae primis temporibus lectulo, abſtinentia, atque imponendo lenia remedia, ſine mora ſanari potuiſſent. HIPPOCRATES illud haud ignorauit, qui diſertis verbis quietis neceſſitatem oſtendit, dum ſcribit: *Stare autem vlceri minime conducit, praeſertim, ſi quis in crure vlcus habeat, imo neque ſedere, neque ambulare. Otium vero atque quies maxime conferunt.* (42) Miſeranda ob id conditio foeminarum eſt, quas, ſi mammam cancer occupat, laborioſo brachiorum motu ſibi ſuisque victum ac veſtitum parare oportet. Nam hac agitatione carcinoma, quod, vel adhuc ſub cute eſt, vel, iam accedente vlcere, ruptum fuit, plurimum intenditur, vt prius citius aperiatur, vtrumque autem magis ſerpat, et altius deſcendat, quo miſerae foeminae celerius in exitium praecipitantur. (43) Nulla enim vis adhibenda eſt vitio, cui nunquam medicamenta profuerunt, et quod, ſaepe etiam exciſum, poſt inductam cicatricem, reuertitur. Cum enim omne auxilium, quo illud agitatur, cauſam feſtinantis mortis adferre poſſit, morbus, ſeruata quiete, atque curioſiori victus ratione, adhibitis minime acribus, ſed quaſi blandientibus, trahi poteſt, vt miſerae etiam interdum ad ſenectutem perueniant.

§. XVI.

42) Περὶ ἑλκῶν *T. II. p. 665.* Ἑτάνου δὲ ἐν τῷ ἕλκει ἥκιστα ξυμφέρει. καὶ μᾶλλον ἢν ἐν τῷ σκέλει ἔχῃ τὸ ἕλκος. ἀλλ' οὐδὲ καθῆσθαι οὐδὲ πορεύεσθαι. ἡσυχίη δὲ καὶ ἀτρεμίη ξυμφέρει μάλιστα.

43) Vide doctiſſima *Commentaria* Celeberrimi Viri GERARDI V. SWIETEN in HERMANNI BOERHAAVII *Aphoriſmos ad §. 507. p. 897. T. I. Nunquam melius eleemoſynae publicae poſſent impendi, quam alendis miſeris illis foeminis, quae, cancro tecto laborantes, manibus tamen ſibi victum comparare debent.*

§. XVI. Ossa fracta conferuere non posse, nisi conquiescant, nec vulgus ignorat. Si vero, id quod non raro incidit, ea non recta, sed aduersa, coiuerunt, breuiusque membrum, et indecorum, factum est, aegri omnem culpam in chirurgum, quandoque non merentem, coniiciunt, quasi is haec ossa, quae, fracta, sedibus suis exciderant, non recte reposuerit. Saepius enim illa a chirurgis recte inter se iuncta, atque, vt decet, fasciis ferulisque deligata, ipsius hominis, brachia cruraque iactantis, incontinentia, loco suo mouentur. Luxata etiam quietem, primis ad minimum diebus, quamdiu dolor vrget, ligamentaque nondum confirmata sunt, postulant. Longe tamen citius illa ad vsus suos promouenda esse, quam fracta, metus, facit, ne axungia, quae naturaliter in omni articulo est, per quietem coacta, auctaque, flexus articuli prohibeat.

§. XVII. Cum vero non omnis habitus corpora per omnia genera morborum, et aegrotent, et moriantur, et cum ex nonnullis motionum generibus corpora certis periculis magis opportuna fiant, intelligitur, quasdam, prae caeteris, exercitationes iis deuitandas esse, quibus ex praecedentibus morbi cuiusdam metus est. Inculcandum est nutricibus gerulisque de pueris, quibus, ex quacunque occasione, quod vel crudum lac in ventriculo coacuit, vel, quod nasciturus dens dolores mouit, imminere videtur neruorum distentio, ne nimium cunas agitent, quarum vehementiori motu efficitur, vt miserum illud morbi genus crebrius reuertatur. Qui apoplexiam timent, illis clara lectio, omnisque vocis contentio, tuta non est. Prae caeteris tales caueant, ne immodicos cantus tremulo ex gutture fundant. Nam concitata plenior tensiorque vox, illaeque delicatiores in cantu flexiones, et vocis per omnes sonos rapidi cursus, efficiunt, vt sanguis cieatur, et eius maior vis in caput contrahatur, id quod vel tumidus rubensque vultus eminentesque oculi contabundorum ostendunt. Vix necesse est, addere, nec eos in profundenda voce pulmones sine periculo intendere, quibus in his iam noxa est, vel, quibus

illi pectoris morbi, quos ſupra comprehendimus, metuendi ſunt. His etiam alienum eſt, armis, pila, pila eburnea, ſerra, qua ligna ſecantur, alioue quo genere, quo ſuperior corporis pars mouetur, exerceri. Equo ſediſſe pluribus, et iis etiam, quos tabes male habet, proficuum eſt, in orbem vero equitare, vt in equeſtri diſciplina fieri ſolet, vix potuerunt, qui vertiginem capitis patiuntur, quos offuſa oculis caligine aliquando in terram delatos noui. Idem accidere poteſt, ſi tales in aliis exercitationibus, veluti in tripudio, ſe ita vertunt, vt quaſi in orbem rotentur. Vertigine etiam corripiuntur, qui contra conſuetudinem curru nauique vehuntur, quos ea res non raro ſtomachum exonerare cogit. Equitare podagricis alienum eſſe, CELSVS (44) auctor eſt. Id quod nec iis conuenit, quibus crura pedesque ex variis occaſionibus intumuerunt, vel quod aqua inter cutim inſtat, vel quod venae a re quadam compreſſae ſunt, vel quod illis partibus imbecillitas ab aliis cauſis relicta eſt. Haud vero neceſſe eſſe videtur, vt iam valetudines ſingularum laborantium partium, et exercitationes, quae his nocere poſſunt, exequar, quo in argumento iam olim clarum ſcriptorem, PAVLVM ZACCHIAM, (45) verſatum eſſe inuenio. Vehementer tamen doleo, me eius librum, qui forte raro inuenitur, legere non potuiſſe, et cum his meis conferre, quam ob rem etiam ignoro, num de ſolius corporis quiete, ad morborum curationem neceſſaria, ſcripſerit, num etiam illam animi tranquillitatem comprehenderit, qua illi, qui negotiis vacui ſunt, fruuntur.

§. XVIII. Iam nobis enim de hac dicere reſtat, atque, progrediendo ad alterum genus negotioſae actionis, oſtendere, etiam mentis agitationem valetudinis cauſa ſaepe eſſe circumcidendam. Per eam intelligimus omnem animi contentionem, quae in vario curſu viuendi, in rei publicae, aliarumque, et domeſticarum etiam, rerum, procurationibus ſuſcipitur. Inter eos vero, quos hoc

44) *Lib. IV. Cap. 24.*

45) *De Quiete ſeruanda in curandis morbis, Romae,* V. LINDENIVM.

hoc genus laboris plurimum offendit, primi ſunt literati, ſtudiis doctrinisque dediti, qui ſe his quandoque ita inuoluunt, adduntque, vt omnem humanum ciuilemque cultum, omnemque corporis curam, penitus negligant, et ſibi hac ſua immoderata intemperantia, et mentis, et corporis, valetudines concitent. Qui enim in bibliotheca, libris ſuis circumfuſi, ſedent, et ſuam inexhauſtam legendi auiditatem explere et ſatiare nequeunt, tandem animum ita mutant, vt fiant luciſugi, ἀπανθρώποι, difficiles, moroſi, cerebroſi, et qui, doctrina ſua inflati, tumentesque, ſeſe inſolentius efferre, omnesque caeteros deſpicere, haud verentur. Haec eſt illa literatorum, vel, vt vocare ſolent, paedagogorum, acerbitas, illaque odioſa negligentia, quae quandoque in omnibus eorum factis et dictis deprehenditur, in veſtitu etiam, corporis motu, atque ſtatu, oculis cernitur. Hos irrident homines venuſti, dicaces, et vrbani, qui omne ſtudium in nitido ſplendidoque amictu, et elegantiorum morum imitatione, ponunt, qui, dum moliuntur, dum comuntur, dum ſe ſeruo committunt, vt poſſit

odoratos poſitu variare capillos,

graui opere defunguntur. Eo totum mane, et ſic meliorem vitae partem, conficiunt, qui nec alia ſeueriori diſciplina ingenium exercent, quam neniarum amatoriarum cantibus, fabularum Mileſiarum lectiunculis. De horum leuitate noſtrum non eſt dicere, et, qui de animi morbis, qui in literarum cupidos cadunt, plura legere cupiunt, adeant doctiſſimum medicum, DAN. GEO. MORHOFIVM. (46) Nulli tamen eorum, qui in acriori doctrinarum ſtudio verſantur, animum magis intendere ſolent, quam Geometrae, qui, id quod olim CICERO (47) de Archimede ſcripſit, mentem rationibus agitandis exquirendisque cum oblectatione ſolertiae alunt. Occupatiſſimi etiam ſunt ſummorum Principum adminiſtri, Viri, qui, publicarum rerum procurationibus accommo-

 dati,

46) *In Oratione de Intemperantia in ſtudiis, et Eruditorum, qui ex ea oriuntur, morbis.*

47) *Tuſculanar. Diſput. Lib. V. C. 23*

dati, regna atque prouincias consiliis regunt, nec non omnes magistratus, qui in republica tuenda defendendaque suas curas defigunt: Horum labore nihil fere aerumnosius est, quod is, et frequenti hominum interpellatione interrumpitur, et saepe sollicitudinis de propria et aliorum salute aculeis exasperatur. Res etiam negotiosa est, acceptam pecuniam in rationes inducere, numarias rationes conficere, reddere, accipere, vel, id quod argentariorum est, pecunias conuertere, illasque leuioribus vsuris mutuari, grauiori foenore collocare, quo etiam omnis copiosa multaque emendi vendendique mercatura referenda est. Nam, eos, qui in his rebus, aliisque, versantur, omnes animi neruos roburque intendere, nemini dubium esse opinor. Sed de eo forte ambigitur, num aleae, latrunculorum, caeterique laborioſi, ludi, quos plures ludere consueuerunt, negotiosae actioni adnumerari debeant. Magnum vero in his lusionibus laborem esse, magnamque mentis agitationem, et, hanc quoque sequi lassitudinem, tum obseruatio, tum illa ipsa attentio, ostendit, quam cum cogitatione et vigilantia ab aleatoribus, aliisque lusoribus, adhiberi videmus, qui consimilibus ludis operam dare, illosque saepe ad multam noctem protrahere, consueuerunt.

§. XVIIII. Nemo autem a me exigat, vt iam omne morborum genus, quod ii, qui eiusmodi laboribus premuntur, concipere solent, exponam. Supra retuli, animo intento sanguinem, et cum hoc omnia corporis nostri humida, cieri, et hoc quemuis ex arteriarum ictibus intelligere posse. Sed vero hic sanguinis concitatior motus non illud est, quod maxime metuitur. Exhauriuntur etiam intenta cogitatione illi tenerrimi succi, a quibus in corpore omnem sensum, omnemque vitalem, naturalem, et animalem, imo et humanam, actionem dependere superius dictum fuit. Quare etiam, tum totius corporis, tum nonnullarum partium, imbecillitates nascuntur in hominibus, qui per totam vitam literarum studiis assident. Plures enim viros eruditione claros ex hac intemperantia omnem valetudinem amisisse, si eorum vi-

vitas legimus, inuenimus. Vnicum iam adduco, PETRVM VARIGNONIVM, magnum Academiae Parisiensis Geometram, qui, cum natura robustus esset, valensque, has maximas corporis vires assiduo labore et lucubratione adeo labefactauit, vt in morbum, et magnum vitae discrimen, incurreret, ex quo ante sextum mensem se emergere haud potuit. Cum vero tandem maior morbi impetus leuatus esset, eum tamen adeo tenuit, tum animi, tum corporis, languor, vt post tertium demum annum se potuerit colligere, atque vires suas recipere. Haec a FONTANELLIO (48) nobis relicta sunt, qui cum VARIGNONIO familiariter vixerat, cui hic etiam fassius est, se non raro, durante febris impetu, vanas imagines accepisse, et, cum algebraici characteres animo impressi essent, sibi visam fuisse syluam et in hac arbores, folia habentes, his chacteribus signata. De hoc magno viro illud omnem fidem superat, eum mathematicas disciplinas, quamuis ab iis in summum periculum ac vitae sanaeque mentis discrimen fuerit adductus, adeo adamasse, vt, cum medentes eum ab omni studio omnique cogitatione prohibuissent, clanculum libros suos legerit, hosque, aliquo forte superueniente, abscondiderit.

§. XX Cum vero, qualis ille morbus fuerit, nobis non ita perspicuum sit, aliis obseruationibus discimus, ex nimia animi contentione caput potissimum fieri infirmum, morbosque gigni, qui in cerebro, et ex hoc eductis neruis, consistunt. Vertiginem itaque, oculorum caliginem, omniumque sensuum hebetudinem, patiuntur molestis operosisque negotiis implicati, qui etiam non raro, mentis nubilo turbine acti, cum membrorum neruorumque distentione prolabuntur. Vertiginem caducam vocant medici, quae, si frequentius repetit, tandem in veram epilepsiam degenerat. Inter alios Praeses duos ornatissimos viros nouit, qui, cum hunc morbum, nec ex cibi vinique abundantia, nec ex libidinis intemperantia, sed ex nimii intentique laboris fatigatione, contraxissent, tandem, circumcisa inquieta cogitatione, assumto pau-

48) *In Hist. Acad. Reg. MDCCXXII. p. 194.*

co cibo, ſine glutinoſis, ſine pinguibus, ſine inſtantibus, et epotis medicatis fontibus, conualuerunt. Senſus etiam in capite collocatos immoderata animi intentione hebeſcere, multa obſeruatione comprobatum eſt. Prae caeteris, quoniam contentioſa animi actio legendi ſcribendique ſtudio plerumque continetur, iis, qui hoc abutuntur, oculi caligare incipiunt. Hoc enim fit non ſolum propter neruorum opticorum imbecillitatem, a quibus videndi facultas proficiſcitur, ſed interdum etiam a ligamenti ciliaris agitatione, ſi illud conuellitur. Naſcitur enim hoc valetudinis genus, quod hyſtericas, hypochondriacos, et neruorum diſtentione laborantes, occupare quandoque conſueuit, quod ἀμβλυωπίαν nominant. Eiusmodi hominibus interdum res, quae oculis obverſantur, huc illuc ſine ratione, et ita, mouentur, vt oculi conſpectum praeſtare nequeant, quae imbecillitas non aliis, quam communibus, praeſidiis, aduerſus priorem morbum valentibus, eliditur. Dum etiam oculorum acies in res, quae propiores ſunt, ſine intermiſſione intenditur, oculus muſculis ſuis valde coarctatur, et ab horum illiusque ligamenti actione premitur κρυσταλλοείδης lens, tunica tenuiſſima, quam ἀραχνοειδῆ nominant, incluſa. Lens vero ita preſſa lumen amittit, et excaecatis in ea illis itineribus, per quae naturaliter limpidus humor fertur, contrahitur, et opaca redditur, quae, dum ſe interiori potentiae opponit, adfert illud ſuffuſionis, vel cataractae, genus, quod recentiores verum nominant, et ab altera ſpecie, quae ab inflammata illa tunica proficiſcitur, diſcernunt. (49)

§. XXI. Etiam, qui corporum ſuorum robora ſtudiis et inquieta cogitatione minuerunt, grauius audire incipiunt, quorum aures,

49) Vide Praeſidis Programma *de Motu ligamenti ciliaris in oculo, Anno MDCCXXXVIII.* ſcriptum, et confer WILLIAM PORTERFIELD'S *Eſſay concerning the motion of our Eyes, in the Medical Eſſays Vol. III. Obſ. XII. p. 160. Vol. IV. Obſ. XIV. p. 124.* De Cataracta IOH. TAYLOR'S *Treatiſe on the Diſeaſes of the Cryſtalline Humour of a human Eye p. 18.* Conf. VALSALVAE *Diſſ. Anat. II.* et Celeberrimi MORGAGNI, quibus in eas commentatus eſt, *Epiſtolas*, praecipue *Epiſt. XVIII.*

aures, dum intra ſe ipſae ſonant, externum ſonum recte accipere nequeunt. Haec res vero interdum, periculum et morbum, ipſumque comitialem, venturum eſſe, oſtendit. Vt vero iam de tactionum, odorationum, ſaporumque, ſenſu nihil dicam, nimis negotioſa vita mentis praecipue facultates franguntur, infirmanturque. Menti enim accidere videtur id, quod ſuperius de corpore oſtendi. Quemadmodum enim hoc moderata exercitatione firmare, nouoque robore augeri, nimio autem motu laedi, tenuarique, ſolet, adeo, vt, rigidioribus factis fibris, id ad motus neceſſarios praeſtandos, nec ſatis agile ſit, nec ſatis validum, ſic mens etiam, quae cogitatione, qua omnes eius facultates comprehenduntur, quaſi alitur, ſuſtentaturque, hac, ſi illa nimis acriter nullaque facta intermiſſione in ſtudiis ſcientiae cognitionisque verſatur, tandem ita obtunditur, vt omnes illae eius facultates perturbentur, atque interdum prorſus intercidere, videantur. Apud optimos auctores, qui morborum hiſtorias reliquerunt, legimus, quandoque eos, qui literas non diſcere, ſed quaſi vorare, conſueuerunt, tandem ex hoc nimio illarum ſtudio inſaniiſſe, adeo, vt aſperioribus etiam coercitionibus corrigendi fuerint. (50) Alios, qui, cum memoria multa comprehendiſſent, tandem cepit omnium rerum obliuio. (51) Sic MARCELLVS MALPIGHIVS, Vir non magni ſolum ingenii, ſed ſummi etiam laboris, ſummaeque induſtriae, vergente aetate, variis morborum generibus oppreſſus, ſub finem etiam, reſolutis neruis, attonitus, fuit. Cum vero, et motus, et mens, rediiſſent, bonus tamen vir dilata tantum morte

50) Vide hiſtoriam iuuenis nobilis, qui, cum in ſtudiis nimis aſſiduus noctes etiam inſomnes traduxiſſet, deſipere coepit, tandem vero, in rabiem efferatus, ſe adeo truculenter geſſit, vt aliquot homines vulnerauerit, alium vero, itineris comitem, gladio confoderit, in WEPPERI *Obſeruatt. de Affectibus Capitis Obſ.* 8r. Vide etiam LANZONI *Conſult. Med. in Operum T. II. Conſult. XXIX.* Conf. GEORGII FRANCK DE FRANCKENAV *Orat. de ſtudiorum noxa, in Satyris Medicis p. 549.*

51) Vide eundem WEPFERVM *de viro in rationibus exigendis occupatiſſimo Obſ. XCVIII. p. 363.* De alio, qui, varia etiam magnaque negotia habens, protinus poſt aſſumtum cibum ad labores redire conſueuerat. *Obſ. CII. p. 396.*

morte per quatuor menſes miſerum ſpiritum traxit, omni fere memoria et ratione amiſſa, donec tandem iterum, ſecuta acceſſione, ereptus fuit. (52)

§. XXII. Ventriculo autem quaſi quoddam conſortium cum capite eſſe, nemo ignorat, qui vnquam ex vino, vel cruditate, grauiorem cephalalgiam paſſus eſt. E contra ii, quibus caluaria percuſſa eſt, bilem vomunt, quae res maius periculum, atque, os fractum eſſe, plerumque ſignificat. Ob id etiam, cum nullum viſcus in corpore neruoſius eſſe videatur ventriculo, is ex omnibus cauſis, quibus nerui infirmantur, languet, ac tandem reſoluitur. Sunt enim vulgatiſſima et peſſima ſtomachi vitia, quibus plures laborant, literarum ſtudiis, ciuilibus officiis, aliisque negotiis, diſtenti. Nam in eo, vel inflatio eſt, vel pituita, vel cibus, coacuit, aut computruit, quod vltimum acidi et amari ructus cum dolore et grauitate praecordiorum ſignificant. Aliorum ſtomachus reſolutus cibum non continet, ita, vt is aſſumptus protinus vomitu reiiciatur. Ex quibus cuilibet apparet, eos, qui moleſtis et aſſiduis occupationibus tenentur, prohibenturque, quo minus tempus aliquod curationi corporis ſui ſeruare poſſint, oportere cibo vti valde modico, ex materia imbecilliſſima, et ventriculo idonea, potione autem dilutiori, et naturae corporis accommodata, atque cum his ſubinde abſtinentiam interponere. Et de viris, in quorum naturis ingeniisque acris fuit acies, et excellens quaedam praeſtantia, proditum legimus, eos hanc animi virtutem abſtinentia, aquae potu, et cibo, ad ſuſtinendum, non alendum, corpus idoneo, tueri ſolitos fuiſſe. Summus Geometra, ISAACVS NEWTONVS, ſubinde per aliquot dies animum ad veri inueſtigationem ita conuertit, vt ſe quaſi in arduarum ſcientiarum meditationes immergeret. Eo autem tempore ad manus habuit, in ſaccello panem, in lagenula aquam, quibus naturalia cibi potionisque deſideria, ſi illorum aculeos ſenſit, leniit, nunquam vero expleuit, ſatiauitque. Et famoſus ille atque in Arithmeticis exercitatiſſimus LAAWIVS,

52) Vide laudati WEPFERI *Hiſtorias Apoplecticorum, Hiſt. CI. p. 666.*

LAAWIVS, qui, antequam fictis ſuis Americanis negotiationibus Galliam, et vix non omnem Europam, in fraudem deduceret, argentoque emungeret, ludo operam dedit, eoque ſibi magnos vberesque quaeſtus conſtituit, accepimus enim, eum vario ludorum genere non tantum promptum fuiſſe, et experientem, ſed etiam verſutum, atque ſubtilem. Quo vero hanc ingenii celeritatem cuſtodiret, per integros annos vixit exiguo cibo, pane, qui per diem pondo libram non exceſſit, et dimidio pulli, cum his dilutius bibit, et vix non ſemper ſimplicem aquam, veritus, ne pleniori cibo et valentiori potione ingenii illam, qua pollebat, aciem obtunderet. (53) Secus faciunt plures literatorum, qui id, quod ſibi literarum ſtudio detrahunt, cibo potuque reſtituendum eſſe, exiſtimant, igitur nimium ſe implent, parum concoquunt, cruditates, et ex his varios morbos, contrahunt.

§. XXIII. Tanto magis haec animi contentio pernicioſa eſt, quod eorum, qui vitae ſuae curſum in ea conficiunt, opera plerumque ſedentaria eſt. Nam hoc corporis poſitu ipſe ventriculus eaque viſcera premuntur, in quibus ſucci ad mutandum concoquendumque cibum neceſſarii ſecernuntur, quare etiam ob id cruditas in ventriculo contrahitur. A crudo et minus confecto ſucco, ſi is ad omne corpus perlabitur, acres valetudines, et vix non omnia morborum longinquorum genera, cacochymiam, cachexiam, hypochondriacum malum, melancholiam, calculum, arthritidem, podagram, oriri, rerum noſtrarum vel minus periti haud ignorant. Imo, ſi a communibus vulgatiſſimisque ad propria quaedam deſcendere volumus, aliis etiam offenſis obnoxius fit ſtomachus. In hominibus enim, qui incuruato corpore dies noctesque ſeſſitant, interdum, praecipue in iunioribus, increſcente adhuc corpore, preſſa cartilago ξιφοειδης in partem interiorem incli-

53) Vide CHEYNE's *Natural Method of cureing the Diſeaſes of the Body, and the Diſorders of the mind depending on the Body Part. II. Chap. II. p. 81.*

clinatur, qua ventriculi os ſuperius, καρδία, vrgetur. Hoc maxime incidit, ſi ventriculus cibo plenus eſt; et tunc ſequitur dolor, nauſea, et frequens vomitus, imo nonnunquam corpus, quia ſic preſſus ventriculus cibi tenax non eſt, ali deſinit, et tabe conſumitur. (54) Id, quod vero de ventriculo, eum ex cogitatione imbecillum fieri, propoſuimus, etiam excellentiſſimi in arte ſalutari viri animaduerterunt: ARETAEVS, vbi ſtomachi vitia, eorumque cauſas, perſequitur, oſtendit, atram etiam bilem ab eo infirmo oriri poſſe. Is vero homines, qui ex nimio literarum ſtudio hoc morbi genus contraxerunt, graphice delineat. (55) Nec minus commemorabilia ſunt, quae de his prodidit GEORGIVS BAGLIVVS. (56)

§. XXIIII. Qui itaque valere et ſeneſcere cupiunt, eos oportet vtrumque vitare, et iners deſesque otium, et continentem ac quaſi catenatum laborem, cui animus ſine remiſſione intendendus eſt. Quemadmodum enim corpora, ſi qua longa valetudine tenentur, coeli locorumque mutatione curantur, ſic animus etiam, ab aſperioribus ad leuiora ſtudia, ab arduis, tum ciuilibus, tum domeſticis, negotiis ad honeſtum otium, imo ad voluptatem, abductus, erigitur, atque recreatur, vt nouum quaſi robur conſequatur. Veriſſima enim ſunt, quae Poeta habet: (57)

Otia corpus alunt; animus quoque paſcitur illis.
Immodicus contra carpit vtrumque labor.

Et,

54) Vide BAPTISTAE CODRONCHII *libellum de Morbo nouo, prolapſu mucronatae cartilaginis, qui Bononiae Anno MDCIII. cum alio prodiit, cui titulus: de Morbis, qui Imolae Anno MDCII. vagati ſunt, in quo potiſſimum de lumbricis tractatur.*

55) *De Morborum diuturnorum cauſis Lib. II. Cap. VI.* Confer *Comment.* PETRI PETITI.

56) *Praxeos Med. Lib. I. Cap. XIV. §. 3. p. 149. Studiis operam dantes, iisdemque paulo acriter incumbentes, ex ventriculo quoque laborare primo incipiunt, ſenſim vero ex ſanguinis maſſa, et partibus ſolidis. Neque mirum, nam, cum ob has nimium acres, et moleſtas cogitationes magna ſpirituum copia diſſipetur in vtrisque, ventriculus iisdem depauperatus, loco boni chyli, gluten acidum, viſcidum, et indigeſtum generat, et ex eodem talis pariter fit ſanguis, vnde demum tot mala.*

57) OVIDIVS *de Ponto Lib. I. Ep. IV. 21.*

Et, quibus forte magis placet ſententioſa dictio Philoſophi, quam euntes mollius verſiculi Poetae, illi legant, quae de hoc argumento nobis reliquit SENECA, (58) qui etiam oſtendit, magnos olim viros ſibi certis diebus menſtruis ferias dediſſe, quosdam nullum non diem inter otia et curas diuiſiſſe, et rurſus alios non niſi aliquid leuioris operae in poſtmeridianas horas diſtuliſſe. Prae caeteris adducit POLLIONEM ASINIVM, magnum Oratorem, quem nulla res vltra decimam horam retinere potuit, cum nec epiſtolas poſt illam horam legeret, ne quid nouae curae naſceretur. Etiam aliorum Philoſophorum libri pleni ſunt laudum, quibus animi relaxatio et honeſtum moderatumque otium extollitur. Habuerunt veteres, vt hoc otio frui poſſent, ſuos receſſus, villas potiſſimum propter coeli ſalubritatem locorumque amoenitatem commendatiores, in quas ſe ex vrbe, et ſic ex turba in ſolitudinem, otiumque, receperunt. (59(Nam in his fatigatum infirmatumque corpus accommodata exercitatione congruoque victu curauerunt, feſſum negotiis animum remiſſione leuioribusque lectiunculis recreauerunt, omiſſa ereptaque literarum et philoſophiae ſtudia renouantes, aliaque delectationis ſtudia, ludum, iocum, conuiuia, adhibentes. De ſummis enim viris proditum legimus, eos ſe quandoque ad minora, imo puerilia, demiſiſſe, vt vultos ſeueros exuerent, et illam aſperitatem, quam grauiorum negotiorum adminiſtratione contraxerant, mitigarent. Hercules cum puerulis luſiſſe dicitur. Nec SOCRATI pudori fuit, cum filio Lamprocle, adhuc infante, arundine equitare, (60) id quod etiam ab Ageſilao factum eſſe legimus. (61) Q. Scaeuola, Pontifex Maximus, apud

58) *De Tranquillitate Animi C. XV.*

59) Vide de his *Diſſert.* CHRISTOPHORI GOTHOFREDI BARTHII *de Seceſſibus veterum ad mentem* C. PLINII CAECILII SECVNDI, et aliam SIMONIS PAVLI HILSCHERI, Profeſſoris Medici Ienenſis, *de Vita in Seceſſibus valetudinis cauſa quandoque agenda exemplo priſci Romani noſtrique aeui occaſ. loci Pliniani Lib. V. Epiſt. V. Ienae, MDCCXXV.*

60) Vide AELIANI *Hiſt. Var. Lib. XII. Cap. XV.* VALER. MAXIMVM *L. VIII. Cap. VIII.*

61) Vide PLVTARCHVM *in Vitis T. III. p. 392.* et VALER. MAXIMVM *l. c.*

Romanos, vir grauis, et, tum in iuribus ciuium tuendis, tum caeremoniis Deorum ordinandis, aſſiduus, varii generis ludis operam dediſſe dicitur, ita, vt in rebus ſeriis Scaeuolam, in ſcurrilibus hominem, ageret. (62) Et de Scipione ac Laelio, qui inter ſe amicitia et conſuetudine ſemper coniunctiſſimi fuerunt, CICERO reliquit, eos, cum ex vrbe, tanquam ex vinculis, euolauiſſent, et ruſticarentur, repueraſcere eſſe ſolitos, ita, vt etiam in littoribus conchas ac calculos legere, et ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere, conſueuerint. (63) Nihil enim, tum ad animi, tum ad corporis, vigorem recuperandum, ad tuendam bonam valetudinem, imo ad profligandum varium morborum genus, aptius videtur, quam illi, qui inter aequales honeſtosque viros mouentur, ioci, riſusque. Minime exiſtimandum eſt, nos probare illam nonnullorum frigidam inſulſamque dicacitatem, quam nunquam non, etiam inter ſeria negotia, quae in ludum iocumque vertere non dubitant, adhibent. Nec fere poſſumus, qui vrbanitatis famam per laſciuiam petunt, atque, vt verborum turpitudine, rerum obſcoenitate, riſum moueant, enituntur. Intolerabiles etiam ſunt, qui ridiculum ex ſociorum moribus, verbisque, quae aucupantur, ducunt, hosque iniquo dente mordent, et probris contumelioſiſſimisque conuiciis proſcindunt. Sed optamus nobis amicos humanos, vrbanosque, ingenioſos, acutos, qui ita iocantur, vt, faceto lepore affluentes, in dictis plus ſalis, quam fellis, habeant, qui hanc ſemper moderationem adhibent, vt rerum ſacrarum reuerentiae, Principum et Magiſtratuum autoritati, nihil detrahant, vt honeſtorum hominum famae, familiarium et conuiuarum amicitiae, parcant, et qui in omnibus cauent, ne aliquid inurbani, vel ignominioſi, proferant. Cum eiusmodi honeſtis iucundisque viris eſſe, cum iis liberaliter viuere, interdum, et tempeſtiue, confectis aliis neceſſariis rebus, conuiuari, eosque non maioribus cyathis, ſed minutis, et rorantibus, poculis, inuitare,

62) VALER. MAXIMVS *l. c.*

63) *De Oratore Lib. II. Cap. VI. T. I. p. 126.*

re, cum iis ridere, imo interdum quaſi deſipere, non ſolum dulce eſt, ſed etiam, tum animo, tum corpori, ſalutare. Exiſtimamus enim, ſi illa, quam neceſſariam eſſe dixi, moderatio adhibeatur, et decorum cuique perſonae, quam natura resque publica nobis impoſuit, conſentaneum ſeruetur, etiam quandoque viri ſapientis eſſe deſipere, et illud ANACREONTIS (64) θέλω θέλω μανῆναι cantillare. Nolint vero ex his, quae retulimus, ſuis vitiis patrocinium quaerere alii, qui ſe conuiuiorum illecebris et aliarum cupiditatum lenociniis nimium dederunt, commeſſationibus compotationibusque meliorem temporis partem traducunt, corpus onerant, vires exhauriunt, mentemque obtundunt. Fatemur, nec horum placere luxuriam, nec aliorum immoderatam animi in laetitiam effuſionem, qua, dum alii ſubrident, in cachinnos ita effunduntur, vt ampliores etiam aedes iis perſonent. Sed, vt, haec morum doctoribus relinquentes, nos in iis contineamus, quae ad hominum valetudinem aliquid conferunt, quibus etiam honeſtam moderatamque voluptatem accenſendam eſſe diximus, nec deſunt medici, qui eam praeceperunt. Iam ſaepe nobis laudatus CELSVS iis, (65) qui arquato morbo, vel ictero, laborant, auctor eſt, vt *vtantur exercitatione, fricatione, et, ſi hiems fuerit, balneo; ſi aeſtas, frigidis natationibus: lecto etiam, et conclaui cultiore, vſu, loco, ludis, laſciuia, aliis, per quae mens exhilaretur*, etc. addit enim, ob haec morbum dictum fuiſſe regium. Et ARETAEVS τὴν θυμηδίαν praecipit vertiginoſis. (66) Alios plures breuitatis ſtudio omittimus.

§. XXV. Inprimis autem acris attentaque cogitatio certis temporibus vitanda eſt, quibus ea longe magis, quam caeteris, hominem poteſt offendere. Attendenti ad ea, quae ſupra retulimus, non difficile erit, cognoſcere, poſt cibum etiam mediocrem, tanto magis pleniorem, animi contentionem alienam eſſe, cum omnis ſtudio ſuſcepta cogitatio prohibeat, quin id, quod aſ-

64) *Carm. XIII. 11.*
65) CELSVS *Lib. III. Cap. XXIV.*
66) *De Curat. Morbor. chronic. Lib. I. Cap. III.*

ſumptum fuit, recte in ventriculo extenuetur, concoquaturque. Igitur, tanquam nocentiſſimas, repudiamus illas veſpertinas, poſt abundantem coenam, lucubrationes, quibus matutinam, et hieme etiam antelucanam, induſtriam longe praeferendam eſſe exiſtimamus. Qui etiam caeteroquin ſine cibi abundantia ea, quae quieti et refectioni data ſunt, tempora in acrem laborem conuertunt, corpus grauiter laedunt, atque illud infirmum, variisque morbis obnoxium, reddunt, quare cauendum eſt omnibus, qui grauioribus negotiis perfunguntur, ne ſibi ſomnum eripi ſinant. Somno enim, quo optimi in corpore ſucci ſubiguntur, perficiunturque, illud, quod literarum ſtudium detrahit, reſtituendum eſt, quare non ſolum ſomnus requiritur placidus, ſed etiam cuilibet corpori ſufficiens, atque talis, quo omnes, tum animi, tum corporis vires reſtitui poſſunt. Vix autem illi recte dormiunt, qui, antequam ſe ſomno committunt, mentem inquieta cogitatione vehementer agitauerunt. Tales enim, vel reliquam noctem inſomnem ducunt, crebrius expergiſcuntur, iterum ſoporantur, ea, quae vigilantes egerant, legerantque, ſomniant, quo ſopore ſemiſomno nunquam ſatis reficiuntur. Etiam poſt corporis exercitationem paulo vehementiorem per aliquod tempus quieſcendum eſt, et non protinus ad intermiſſa ſtudia reuertendum. Cum enim quauis corporis exercitatione ſanguinis motus citari ſoleat, id quod arteriarum, frequentius et minoribus interuallis motarum, ictus oſtendunt, illa ipſa humidorum agitatio cerebrum afficit, et prohibet, quo minus cogitationem recte colligere, et nos in ea continere, poſſimus.

§. XXVI. Magis etiam haec obſeruatio neceſſaria videtur iis, qui, liberis operam daturi, venereis voluptatibus vtuntur. Praeterquam enim, quod omnes, qui vitae ſuae curſum in effuſa animi contentione ſine intermiſſione conficiunt, parum ad eas incitantur, etiam vtrumque metuendum eſt, ne in his, voluptatis vſu, etiam moderato, corporis robur minuatur, et ne ab optimo, qui vero nimis in literarum, aliarumque rerum, ſtudio occupa-

tus

tus eſt, genitore procreata ſoboles deterior ſit. Iam veteres obſeruationem habuerunt, magnorum, et praecipue omni variaque doctrina abundantium, virorum filios frequentius a paterna virtute ita degenerare, vt ex longe aliis nati videantur. A parentibus enim, quibus cum magna ingenii celeritate acre eſt limatumque iudicium, non raro genitos videmus filios ſtupidos, bardos, et ad omnem doctrinam hebetes, et obtuſos. Cuius rei cauſam inter Sapientiae Profeſſores Princeps STAGIRITES ſubieciſſe videtur, qui ratione ſcrutatur, cur proles caeterorum animantium magis, quam hominis, ſuis parentibus ſimilem habeat naturam? (67) Cum his conferri poſſunt, quae magni huius Philoſophi Magiſter, PLATO, iis praecepit, qui genialem torum ſternunt, et ex noua nupta liberos bona indole praeditos ſuſcipere optant. (68) Etiam, ſi partes corporis, quas ad procreandum concipiendumque in corpore machinata eſt natura, paulo attentius conſideramus, duo potiſſimum in iis deprehendimus, quae haec, quae diximus, dilucidiora facere videntur. Primum eſt, illum genitalem a reliquo ſanguine ſecretum ſuccum elaboratiſſimum perfectiſſimumque eſſe, adeo, vt protinus, ſi eius non ita multi iactura facta eſt, corpus viribus magis debilitetur, quam, ſi eadem ſanguinis portio vicies effuſa fuerit. (69) Illud etiam humidum, dum aliis in corpore ſuccis admiſcetur, ei nouum magnumque robur impertitur, id quod ex illis mutationibus, quae pubeſcentibus incidunt, et ex aliis, quibus ſpadones a caeteris viris differunt, manifeſtum eſt. Cum autem vtrumque, et venerea res, et inſidentes animo ex acri contentione cogitationes, uires minuant, frangantque, facile intelligitur, haec inter ſe repugnare, et hominem grauioribus laboribus implicitum, vel iis iam defeſſum, ad propagationem ſobolem-

67) ARISTOTELES *Sect. X. Problem. XI. T. II. p. 724.* Διὰ τί τοῖς ἄλλοις ζώοις τὰ ἔκγονα μᾶλλον τὰς φύσεις ὁμοιοῦται, ἢ ὅτι ὁ μὲν ἄνθρωπος πολλαχῶς διατίθεται τὴν ψυχὴν κατὰ τὴν ὁμιλίαν; καθὼς δ' ἂν ὅ, τε πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ διατεθῶσιν, οὕτω ποικίλλεται καὶ τὰ τικτόμενα. τὰ δὲ ἄλλα ζῶα, τὰ μὲν πλῆσα πρὸς ἀυτὸ τοῦτό ἐστιν.

68) Vide *Lib. VI. de Republica.*

69) Vide WARTHON *de Glandulis Cap. XXIX. p. 302.*

lemque parum esse idoneum. (70) Alterum autem in musculis est, quorum in reliquo corpore plures sua sponte interioribus et continuis motibus agitantur; dum fibrae se alternis vicibus adstringunt, relaxantque, magna cum constantia ad vitae vsque finem, quos motus sistendi nobis nulla potestas est. Alii autem musculi, ex nostra voluntate, magna vi atque celeritate ad variam actionem cientur, dum nos mouemus, manibus, quas natura aptas ministrasque homini dedit, multa et artificiosissima opera efficimus, dum sensus dirigimus, intendimusque, vocem ex pulmonibus profusam lingua fingimus, quae omnes, ad vitae, tum necessitatem, tum oblectationem, necessariae, motiones ex nostra voluntate fiunt, incitantur, tardantur, sistunturque. Sed vero tertium genus musculorum in illis vtriusque sexus partibus inuenitur, qui etiam motu suo, sed, nec illo spontaneo, perpetuoque, nec illo, qui ex hominis voluntate procedit, sed alio, agitantur, et qui, nec voluntati, nec rationi, obediunt. Concitantur enim illo naturali, quem exsuperans genitura subdit, alioque vario, stimulo, maxime phantasia, et insidentibus in animo libidinum imaginibus. (71) Ex quibus omnibus conficitur, probaturque, quoniam ad commiscendorum corporum libidinem vanarum in cerebro depictarum imaginum impulsio plus potest, quam ratio, atque consilium, omnem negotiosam actionem, quae rationem, mentem, consilium, cogitationem, requirit, a rebus venereis esse alienam. (72)

§. XXVII.

70) Eandem rem ingeniosissimus Poeta OVIDIVS *in Remed. Amoris v. 130.* eleganter exprimit:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus
Contemtaeque iacent, et sine luce, faces,
Quam platanus vino gaudet, quam populus vnda;
Et quam limosa canna palustris humo:
Tam Venus otia amat.

71) Qui de admirandis imaginationis in his rebus viribus plura desiderant, inueniunt quaedam commemorabilia, non sine festiuitate et facetiis scripta in MICHAELIS MONTANI *Tentaminibus* (*Essais de* MONTAGNE) *Lib. I. Cap. XX. p. 142.*

72) Ob id vetustissimus poeta HESIODVS *in Oper. et diebus v. 735.* vetat

ἀπὸ δυσφήμοιο τάφυ ἀπονοσήσαντα
Σπερμαίνειν γενεὴν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

reuer-

§. XXVII. Reſtat, vt nunc pauca addamus, in quibus morbis, ſi illis medendum eſt, inquietam cogitationem omnemque fatigationem prae caeteris fugere oporteat. Cum vero ea vires conuellantur, ſine quibus praeſtantiſſima auxilia parum proficiunt, illam in plurimis curationibus malam eſſe, intelligitur. Prae caeteris nocet in omni morborum genere, quod vel ex hac animi contentione natum fuit, vel quod aliunde ortum, cerebrum partesque neruoſas infeſtat. Generatim enim omnes, quibus caput infirmum eſt, ſiue hoc vitium ex literarum ſtudio, aliisque laboribus, vigiliisque, ſiue ex cruditatibus, quae ventriculum et hypochondria occupant, contraxerint, ſibi temperare debent, et cauere, ne animum nimis intendant, curisque ſollicitent: id quod CELSVS (73) etiam iubet his verbis: *Cui caput infirmum eſt, ſcribere, legere, voce contendere, opus non eſt, vtique poſt coenam: poſt quam nec cogitatio ſatis tuta eſt.* Si autem in capite grauior dolor eſt, aut, ſi acris humor in nares cum capitis grauitate corporisque laſſitudine deſtillat, nulla animi contentio bona eſt, peſſima vero poſt cibum, poſt quem CELSVS (74) ſcribere et legere vetat. Etiam CAROLVS PISO, (75) Vir eximius, qui medendi rationem potiſſimum a veterum obſeruationibus traxit, monet, vt omnes, qui cephalalgia ex bilis abundantia laborant, *quiete vtantur maxima, ſomnoque largiori, vt adſit animi tranquillitas et hilaritas, fuga irae, curarum, moeroris, ſtudiorum, amorum.* Inter capitis morbos etiam vertigo eſt, quae non raro in comitialem morbum, aliquando in apoplexiam, degenerat. Nihilominus, quaecunque etiam cauſa has valetudines excitauerit, obſeruatio docet, eas multum ingraueſcere, ſi aegri, ſiue iis ipſum caput infirmum

reuerſum a feralibus epulis liberis operam dare, ſed iubet id facere redeuntem a Deorum conuiuiis, vel ab epulis poſt peracta ſacrificia. De ſtupidis filiis, ex doctis et prudentibus genitis, vide GASP. AREIES *Elyſium Campum Quaeſt. LXXVII. p. 606.*

73) *Lib. I. Cap. IV.*

74) *Lib. I. Cap. V.*

75) *De Morbis internis Lib. I. Cap. VI. p. 35.*

firmum ſit, ſiue ventriculus et hypochondria laborent, animum literarum ſtudio, vel quauis negotioſa actione, immoderatius intendunt. Nam ex iis, quae ſupra retulimus, clarum eſt, animi fatigatione ſtomachum affici, atque reſolui. Dum vero cibi, etiam faciles, non recte concoquuntur, cruditas manet, ex qua plura, tum ſtomachi et hypochondriorum, tum alia, quae in toto corpore, eiusque humidis, conſiſtunt, vitia naſcuntur. Hoc probare videtur Grammaticus iuuenis, quem GALENVS adducit. (76) Hic, ventriculum cruditate vitioſum habens, quoties vehementer doceret, aut cogitaret, aut diutius inediam toleraret, aut iraſceretur, comitiali morbo correptus fuit. Vertiginem autem omnem intenta cogitatione exaſperari, alii plures confirmant, et inter hos etiam PLINIVS, (77) qui ſcribit: *magnam cogitationem viſum obcoecare, abducto intus viſu.* Viſus enim intus abducitur, vel oculi caligant ex neruorum imbecillitate. PLINIVM enim ita interpretari oportet, id quod ea, quae mox ſequuntur, probant: *Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante.* (78) Ergo de comitiali morbo, quaecunque cauſa eum fecerit, illud perpetuum ſemperque neceſſarium eſſe exiſtimamus, vt ii, qui in eum delapſi ſunt, ex CELSI (79) conſilio *prae caeteris fugiant laſſitudinem, ſolicitudines, negotiaque omnia.*

§. XXVIII. De aliis capitis, oculorum etiam, vitiis; cum iam quaedam ſuperius relata fuerint, iam nihil addimus. De pectoris morbis, catarrho, haemoptoe, phthiſi etiam, illud repetendum eſt, eos ſaepe ex imbecillitate totius corporis, et vbi ſolida relaxata, humida non recte ſubacta, ſunt, oriri, quare nec his aegris negotioſa actio bona eſt. Non animo, ſed corpore, his parum et ita laborandum eſt, vt accommodata huius imbecillitati exercitatio, vectio, geſtatio, adhibeatur. Etiam huius rei praeceptum

76) *De Locis affectis Lib. V. Cap. VI. T. VII. Edit.* CHART. *pag. 492.*

77) *Hiſt. Nat. Lib. XI. Sect. 54. T. I. Edit.* HARD. *p. 618.*

78) Vide GVILIELMI BALLONII *Conſil. medicin. Lib. III. Conſ. I. in Annotationibus p. 222*

79) *Lib. III. Cap. XXIII.*

ptum nobis a CELSO (80) relictum eſt, qui, dum de vera phthiſi agit, monet, *abſtinendum eſſe a negotiis, omnibusque rebus, quae ſolicitare animum poſſint, ſomnoque indulgendum.* Quod fere iisdem verbis etiam iis, quibus humor in pulmones deſtillat, imperat. (81)

§. XXVIIII. Superuacuum foret, ſi iam, et poſt ea, quae ſuperius relata ſiunt, illa morborum genera, quae ſtomachum infeſtant, multis exequi, et de ſingulis oſtendere, vellemus, quantum in iis noceat animi contentio. Nec in febribus ea ſine noxa eſt, quae omnem coctionem, tum illam naturalem cibi potionisque, tum alteram, qua materia, quae morbum facit, vitae actionibus ſubigitur, digeriturque, perturbat, impeditque. Et, quoniam a cruda materia, in corpus diducta, in manibus pedibusque articulorum dolores naſcuntur, iique, ſi iam eorum conſuetudo facta eſt, et frequentiores, et longiores, fiunt, et quoniam ex eadem materia in renibus, aliisque ſedibus corporis, calculi concreſcunt, intelligitur, quantum vita, curis negotiisque agitata, ad haec morborum genera, tum creanda, tum augenda, in corporibus infirmis valeat.

§. XXX. Etiam diuerſa genera curationem, quibus morbi, vel imminentes auertuntur, vel, ſi iam tenent, expelluntur, requirunt, vt quies ſeruetur. Si enim aduerſus hos alui purgatione, vomitu, ſanguinis detractione, abſtinentia, aliisque auxiliis, pugnamus, quibus ipſum corpus exinanitur, verenda omnino ex animi contentione imbecillitas eſt. Illud vero ſemper et vbique ſeruari oportet, vt aegri vires ſubinde inſpiciat medicus, quas in omnibus curationibus ſupereſſe neceſſe eſt. Nouimus enim id, quod CELSVS etiam animaduertit, (82) *infirmitatem omnibus morbis obnoxiam eſſe.* Tales itaque curationes raro feliciter cedunt, niſi ii, quos, vel domeſtica, vel ciuilia, officia tenent, ſibi a gra-

80) *Lib. III. Cap. XXII.*
81) *Lib. IV. Cap. IV.*
82) *Lib. I. Cap. III.*

uioribus operoſisque negotiis temperare poſſint. Hoc magno ſuo incommodo ii experiuntur, qui aduerſus longas valetudines, quibus conflictantur, praeſidium a medicatis fontibus quaerunt. Si enim illorum aquas potant, ſe vero a conſuetis laboribus haud retrahunt, peſſime valetudini ſuae conſulunt. Tantum enim abeſt, vt, quamuis etiam omnia reliqua, quae nocere poſſunt, fugiant, ſaluberrimarum aquarum potione morbis, quibus oppreſſi ſunt, releuentur, vt potius, dum earum vſu vires magis conuelluntur, corpus nouis difficultatibus obnoxium fiat. Aliquoties experientia in his ipſis curationibus docuit, eas optime reſpondiſſe, quamdiu homines, morbi grauitatem metuentes, et de propria ſalute ſoliciti, dicto audientes fuerunt, et ſibi in omnibus, etiam in labore, temperauerunt. Sed iidem homines, poſtquam a priori morbo fere conualuerant, altero anno iterum illis aquis ad confirmandam valetudinem vſi, minus belle habuerunt, et vltra citraque querimoniam iactauerunt, rem non feliciter ceſſiſſe, et praepoſtero conſilio aquas potas fuiſſe. Compertum vero fuit, tales, poſtquam cum mala morbi materia etiam maior, mortisque, metus abſterſus eſſet, ſecuriores arbitrio ſuo vixiſſe, praecipue a quotidianis auſterisque laboribus minime feriatos eſſe, ſed, quamuis multum moniti fuerint, ſe, aquarum potionibus oneratos, illis incaute ſtulteque commiſiſſe. Quam ſaepiſſime enim a moroſis aegris, proprio errori patrocinium quaerentibus, culpa in praeſtantiſſima auxilia coniicitur. Perſuaſiſſimum habemus, omnes fruſtra ſanitatem moliri, qui animo, haud relaxato, ſed conſuetis et grauioribus negotiis, vel literarum ſtudiis, intento, ſe illis aquis ingurgitant, cum in his vtroque, et cogitatione, ex illis potionibus corporis robur minuatur. Quid? quod eiusmodi occupatiſſimis hominibus, qui, dum ſe his aquis eluunt, a ſtudiis, negotiisque feriantur, plus proficit impetrata quies, quam illud, caeteroquin efficaciſſimum, et ad deſperatiores etiam morbos depellendos nobis diuinitus datum, remedium. Sola enim quies tales interdum, ſine omni alio remedio, reficit, et a grauioribus

ribus morbis, qui, vel imminent, vel corpus iam occupant, liberat. (83)

§. XXXI. Haec, quae in morborum curationibus conſiderari oportet, nos ad aliam obſeruationem ducunt, quam in omnibus, etiam rebus, cum diligentia gerendis, deſiderat conſuetudo. Huius enim tanta vis eſt, vt, CELSO (84) teſte, omne, *quod contra eam eſt, noceat, ſiue molle fuerit, ſiue durum.* In ſenibus illud deprehenditur, qui, quoniam ſe interdum repente a rerum, vel publicarum, vel priuatarum, adminiſtratione retrahunt, tum animum, tum corpus, vehementer affligunt, et illum acerbis aegritudinibus impeditum, hoc grauioribus longisque morbis, infirmum reddunt. Ignaua enim et ſomniculoſa ſenectus animum contrahit, moroſa fit, ac querula, et quae alios, quibus ſe odioſam eſſe putat, metuit. Senectus vero operoſa, et pro viribus ſemper aliquid moliens, ſe exercitando, tum animi, tum corporis, vires tuetur, et ita leuatur, vt etiam honeſtis, quamuis modicis, voluptatibus delectari poſſit. Quare iis, qui per omnem vitae curſum multae in rebus gerendis induſtriae, magnique laboris, fuerunt, ſubita quies, et ab omnibus rebus vacatio, raro vtilis eſt. Vergente tamen aetate, conſeneſcentibus viribus, vt corpori ſubueniamus, circumcidenda eſt negotioſa actio, ſed ita, vt nobis ſemper permaneat ſtudium et induſtria, praecipue in rebus, quae non viribus, aut velocitate, corporis, ſed conſilio et ſcientia, geruntur.

§. XXXII. Cum rarum ſit, foeminarum vrbanarum vires animi contentione laboreque ita exhauriri, vt aliquis imbecillitatis aduerſaeque valetudinis metus eſſe poſſit, nihil de grauidis lactantibusque addimus. Nam his, cum proprium, et, cum hoc, aliud, corpus alendum ſit, prae caeteris neceſſe eſt, omnem cibum potionemque in ventriculo recte concoqui, atque per omne

83) Vide Exempla in RIEDLINI *Lineis Medicis Anno MDCIC. p. 788.*

84) *Lib. I. Cap. III.*

corpus digeri, cibi autem confectionem intenta cogitatione impediri, ex iis, quae ſupra retulimus, clarum eſt. Videant rerum illarum intelligentiores, quantum nitidis, delicate molliterque viuentibus, foeminis noceat, ſi doctis laborioſisque chartis, (85) et, quae cum his fiunt, luſionibus magna cum mentis contentione impalleſcunt. In educandis vero inſtituendisque pueris etiam vitandum eſſe exiſtimamus, ne a tenera aetate nimium exigatur. Concedimus quidem, oportere pueros a prima infantia aliquid, quantulumcunque hoc ſit, diſcere, ita, vt nullum tempus, quo, tum ad literas, tum ad mores, proficere poſſint, perdatur. Sed luſus ſit, non ſeuerior diſciplina, nec plena opera et animi per omnem diem contentio ab aetate depoſcenda eſt, quae, nec magnum continuumque laborem pati, nec plurium, arduarumque, rerum intellectum capere, poteſt. Qui, vt Satyrici verbis vtar, pueris adhuc naſcentibus eloquentiam induunt, illos, et ſaepe cum iis ſeipſos, aliorum riſui exponunt, qui vero nimis dura ſeueritate per omnem diem ſine intermiſſione puſiones ad ſtudia in diuerſum tendentia compellunt, et haec nullis humanitatis iucunditatisque condimentis mitigant, teneros animos fatigant, et illud obtinent, vt pueri optimas diſciplinas, antequam eas comprehendunt, oderint. Sed, ſi nobis conſideranda ſunt, quae ad valetudinem pertinent, nimio perpetuoque ſtudio et animi et corporis vires ita in tenera aetate eneruantur, franguntur que, vt pueri, ingenio hebetato, ſtupidi fiant, ac torpidi, corpore labefactato, imbecilli, atque debiles, imo, vt non raro omnem valetudinis proſperitatem amittant.

§. XXXIII. Feriari etiam oportet conualeſcentes, qui non, niſi pedetentim, ſe iterum ad intermiſſa negotia debent conferre, cum etiam inclinatis morbis labor alienus, quies animique remiſſio, cum honeſta oblectatione, aptiſſima, ſit. Id quod etiam apud CELSVM inuenitur, qui his, vt citius confirmentur, circumcidendam eſſe omnem negotioſam actionem, docet. Haec verba huic com-

85) Sit venia verbis CATVLLI, cui vero illa aliud ſignificant.

commentationi occaſionem dederunt, cui, antequam finem facimus, vnicum addimus, de hoc argumento praeclare ſcripſiſſe doctiſſimum Medicum, THOMAM BARTHOLINVM, (86) ex quo multa bona diſcere poſſunt ii, qui, in ſtudiis librisque legendis nimis aſſidui, ſe in totius corporis, capitis maxime et oculorum, infirmitates iniicere conſueuerunt. Optamus, nobis, omnibusque bonis, vt, honeſte liberaliterque viuentes, nunquam deſidioſo inertique otio diffluamus, ſed, vt vitae noſtrae curſum in quotidianis laboribus animique contentione conficiamus, vt vero etiam, his defuncti, tantum ſemper habeamus requietis, quantum, et corporis curatio, et animi relaxatio, poſtulant. Nam honeſtum tale otium, cum recta conſcientia, et optabili illa αὐτάρκεια ad vitae iucunditatem, ad corporis valetudinem, ad mentis etiam integritatem, plurimum valere, explicatum exploratumque eſſe exiſtimamus.

86) *De Libris legendis Diſſ. VI. p. 128.*

DIS-

DISSERTATIO X.

DE HYDROCELE

PVBLICE PROPOSITA

D. III. SEPTEMBR. cIↃ IↃccxxxxV.

RESPONDENTE

M. IOHANNE BENIAMIN BOEHMER.

---

§. I.

Consuetudini, quae certissima loquendi magistra est, seruientes, Hydroceles nomine significamus illud tumoris genus, quod ex humore nascitur, in tunicas, quibus in viris testes eorumque vasa conteguntur, contracto. Nolumus veterem legem sermonis abolere, quamuis in ipso verbo quaedam sit ambiguitas. Generatim enim et vniuerse de omnibus illis vitiis, quibus commune apud Graecos τῆς κήλης, apud Latinos herniae, et apud nostrates eines Bruches, nomen est, dicendum; illa magis propriis et significantioribus vocabulis nominari potuisse, quam iis, quibus vulgo vtimur, cum haec, vel obscura sint, vel translata, et quae incertum intellectum facere, atque discentes erroribus implicare, possunt. Graeci κῆλας dixerunt omnes tumorum species, quae in scroto oriuntur. (1) Herniae vocabulo idem enunciauerunt Romani, quod ab initio accommoda-

1) GALENVS *Definit. med. in Edit.* CHARTER. *T. II. p.* 275. *n.* 423. in scroto septem habet tumorum genera: Ὄγκοι ἐν ὀχέῳ ἐννέα συνίσαντες· ὑδροκήλη, ἐντεροκήλη, ὑδρεντεροκήλη, κιρσοκήλη, πωροκήλη, ἐπιπλοκήλη, ἐντερεπιπλοκήλη, ἐντεροπωροκήλη, ὑδροκιρσοκήλη. Postquam vero omnium horum vitiorum ex ositionem dedit, addit etiam *p.* 276. *n.* 432. aliam, τῆς κήλης in genere. Κήλη ἐστὶν ὄγκος περιεκτικός τινος τῶν προειρημένων· πᾶς γὰρ ὄγκος ἐν ὀχέῳ κήλη λέγεται. Sed vero idem verbum etiam ad tumores, qui in aliis sedibus nascuntur, translatum fuit. Nam, vt nihil dicam de bubonocele, cuius sedes non in scroto, sed in inguine, est, etiam veteribus, PAVLO

L. VI.

modatum fuiſſe videtur iis potiſſimum vitiis, in quibus, laxata, vel rupta, interiori abdominis membrana, quam peritonaeum vocant, omentum atque inteſtina pondere in inguina, et ipſum etiam ſcrotum, deuoluuntur. (2) Poſtmodum autem hoc vocabulum

L. VI. C. 38. p. 86. Edit. Ald. CELSO *L. VII. c. 13.* cognita fuit βρογχοκήλη, ſeu tumor, qui inter cutim et aſperam arteriam in collo increſcit. Apud ALEXANDRVM MONRO, Celeberrimum Virum, *in Tent. Med Edinburgenſibus Vol. V. Obſ. 21. p. 324.* inuenio ſpermatocelen, quo verbo tumorem in vaſe deferente, epididymidibus atque teſticulo ſignificat, qui oritur, ſi ſpermatis excretio ab illo tuberculo, quod verumontanum appellant anatomici, prohibetur. Praeter haec omnia nemo ignorat, et foeminis μηροκήλην atque βυβωνοκήλην oriri, quae vltima, ſi in inferiores partes nititur, non τὸ ὄχεον, ſed τὰ γυναίκεια diducit. De etymo huius vocabuli autores plura adferunt, quae vix probabilia videntur. EVSTATHIVS *ad Odyſſeam L. XI. v. 333. p. 1689. n. 44.* putat, illud originem ducere a verbo κηλέω, permulceo, delineo ἀντιφράσεως, ſeu, vt contrarium dicatur ei, quod intelligi debet. Autor *Etymologici Magni* illud deducit ἀπὸ τοῦ κάλου, quod ſignificat lignum. Addit enim, tumores illos, ſi maiores ſint, duros et ligneos fieri. SVIDAS autem recte interpretatur τὸν κηλήτην, hernioſum, per τὸν κεχαλασμένον τὰ ἐντός, cui aliquid intus relaxatum eſt.

2) Herniam ἀπὸ τοῦ ἔρνεος, quod germen, vel ramum, ſignificat, deducunt. Scribunt enim, inteſtinum, ſi in ſcrotum deſcendat, quaſi ramum efficere. Haec interpretatio eſt IOSEPHI SCALIGERI *in Comment. in Catalecta* VIRGILII. Vide *Edit.* MASVICII *p. 1292.* et CLAVD. SALMASIVS *in Epiſtola ad* BEVEROVICIVM. Vide SALMASII *Epiſtolas ab* ANT. CLVENTIO *editas, L. I. Ep. 56. p. 126.* conf. VOSSII *Etymologicum p. 429.* Alii, inter quos inuenio SERVIVM *in* VIRGILIVM *Aeneid. L. VII. ad v. 684.* oſtendunt, hernas Sabinorum lingua fuiſſe ſaxa, et hernicum, quicquid eſt durum, quare VIRGILIO *c. l.* hernea ſaxa. Tumores autem in ſcroto hernias vocari a duritie, cum eorum durities cum magnitudine increſcat, docet ROBERTVS STEPHANVS *in Theſauro Latinae Linguae.* Recentiores Chirurgi tumorem in caluaria, vbi, fracto, deficienteque, vel mollito, diductoque, oſſe, cerebrum ſub cute extuberat, herniam cerebri vocant. Vide LE DRAN *Obſerv. de Chirurg. Obſ. I.* PETIT *des Maladies des Os T II. p. 381. Les Memoires de l'Academie de Chirurgie Vol I p. 269.* Cum hernia conuenit aliud, Latinis vſitatum, vocabulum, *Ramex.* Si CELSVM legas *Lib. VII. Cap. 17. et Cap. 22.* is eo ſignificauit illud vitium, vbi venae, quae a teſtibus in abdomen adſcendunt, intumeſcunt, et quaſi glomeratae cernuntur, quod Graeci κιρσοκήλην appellant. Sed vero *Cap. XXIV.* loquitur de ramice inguinis, per quem bubonocelen denotaſſe videtur, quamuis verba, et ipſa, quam proponit, curatio obſcura ſint. Sed vero etiam haec propria ſignificatio mutata fuiſſe videtur, vt etiam illud vocabulum commune fuerit omnibus in ſcroto et inguine tumoribus, vel herniis. Vide IVVENALIS *Satyram X. v. 205.* Cum vero in ramice

bulum ad alios iſtarum partium tumores translatum fuit, vel, quod hi ſua nomina et propria vocabula non haberent, vel, quod medentibus diſcrimina non ſatis cognita eſſent; quam rem CELSVS, vbi de hydrocele ſcripſit, indicare videtur. (3) Hac occaſione omittere non poſſumus, herniae vocabulum illis temporibus minus verecundum fuiſſe, et, vt CELSVS loquitur, indecorum. (4) Cui rei non aliam, magisque probabilem, rationem inuenimus, quam, quod haec corporis vitia plerumque in partibus ſint, quas inuitiſſimus quisque alteri oſtendit, et quas, qui inter veteres verecundius locuti ſunt, verenda appellauerunt. Igitur etiam homines, qui his morbis laborarunt, ab omni tempore, neſcio quam ignominiam metuentes, eos ſolicitius occuluerunt. (5) Germanorum

proprie ſic dicto, ſeu in cirſocele, venae varicoſae ſint, forte etiam venae, in aliis corporis ſedibus dilatatae, ita appellatae fuerunt. Nam ita interpretatus eſt HIERONYMVS MERCVRIALIS locum PLAVTI *in Mercatore Act. I. Sc. I. v. 27. Tua cauſa rupi ramices, iamdudum ſputo ſanguinem. Variar. Lection. Lib. I. Cap. XX. p. 55.* Confer SCALIGERVM et SALMASIVM *l. ſ. c.*

3) *Lib. VII. Cap. XVIII.*

4) *l. c.*

5) Plebeiorum petulantia ſaepe etiam magnis viris apud veteres corporis vitia exprobrauit. *Iulius Caeſar caluitii deformitatem iniquiſſime tulit, quam ſaepe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus eſt.* V. SVETONIVS *Cap. 45.* Conf. *Cap. 50. Vitam Domitiani Cap. 20.* et in Sacro Codice *Lib. II. Reg. Cap. I.* Contumelia haec vnde orta ſit, vide in MARCELLO DONATO *in* SVETONII *Othonem.* in IANI GRVTERI *Theſauro Crit. T. VI. p. 260.* Sic etiam dedecori fuit, tumorem habere in ſcroto, quare herniioſos carminibus ſuis proſcindere ſoliti ſunt Poetae. IVVENALIS *c. l.* MARTIALIS *Lib. III. Epigr. XXIV. et Lib. XII. Epigr. LXXXV.* Atque in DIONIS *Hiſtor. Roman. Lib. LXXIII. p. 831.* legimus, inter alia conuicia, quibus milites mortuum Imperatorem Commodum perſecuti ſunt, eos illum etiam appellaſſe κηλήτην, hernioſum. Commodo enim tale *vitium inter inguina prominuiſſe, ita, vt eius tumorem per ſericas veſtes populus Romanus agnoſcere potuerit,* ex AELIO LAMPRIDIO *in eius Vita Cap. XIII. in Hiſtoriae Auguſtae Scriptoribus T. I. p. 509.* Hanc rem nos primus docuit THOMAS REINESIVS *Var. Lect. L. II. C. XVIII. p. 295.* Vana illa opinio de horum vitiorum ignominia etiam ad noſtra vsque tempora traducta eſt, quae inſita penitus et vetuſta ex plurium, maxime foeminarum, animis euelli hactenus nondum potuit. Norunt medentes, inſanam illam δυσωπίαν foeminarum, quae has valetudines, etiam ſuperueniente inflammatione, ingruenteque ileo morbo, ſaepe ita celant, occultantque, vt ad miſeram mortem praecipitentur, cum, prolapſis inteſtinis, iisque gangraena affectis, intra paucas horas plerumque exſpirent. Haec tamen corporis vitia omni turpitudinisſuſpicione carent, cum, nec ex vini atque

norum vocabulum, der Bruch, Britannorum nomem, *Rupture*, vel *Burſten-Belly*, tractum eſſe videtur ab illa falſa opinione, quae olim fere in omnium medentium animis inſederat, inueteraueratque, illam ſupra commemoratam interiorem abdominis tunicam, ſeu peritonaeum, in iis, quorum inteſtina atque epiploon in inguina et ſcrotum deſcendunt, non dilatari, ſed ſemper rumpi, id quod perraro fieri iam ex inciſis cadaueribus compertum eſt. Imo, ſi verum ſine ambitione ſeruandum eſt, in aliis quoque, quae ad herniarum notitiam attinent, erratum fuit. (6) Nam etiam inter recentiores pauci veram illarum naturam formamque recte comprehenderunt, ſed, GALENI, et aliorum anatomicorum, qui hunc ſecuti ſunt, erroribus decepti, ſibi perſuaſerunt, peritonaeum duplicem ea ſede, qua vaſa ſpermatica ad teſtes deſcendunt, tunicam habere, quare de herniis plura incerta falſaque atque fallentia prodiderunt. Verum poſtquam IOHANNES SWAMMERDAMIVS, (7) FRID. RVYSCHIVS, (8) atque IVSTVS SCHRADERVS, (9) et, poſt hos, recentiores, IACOBVS DOVGLASSIVS, (10) IACOBVS CRESCENTIVS GARENGEOTVS, (11) et, qui forte primus inter hos poſteriores nominandus erat, IACOBVS BENIGNVS WINSLOVIVS, (12) peritoneum

libidinis, nec ex alia immoderata, intemperantia, oriantur. Et dolendum eſt, huic pudori non ſolum iuniores plebeiasque foeminas, ſed etiam vrbanas, imo in altiori dignitatis gradu collocatas matronas, quandoque obſequi.

6) Vid. ALEXANDER MONRO *in the Medical Eſſays Vol. V. P. I. Obſ.* 20. *p.* 270.

7) *in Notis, quibus Prodromus* IOHVAN HORNE *de Vteri fabrica illuſtratur, p.* 17. SWAMMERDAMIVM propter hoc inuentum laudat HERMANNVS BOERHAAVE *in Vita eius*, quam *Bibliis Naturae, ſ. Hiſtoriae Inſectorum*, praemiſit.

8) *Obſ. Anat. Chirurg. Obſ. 98. p. 125.*

9) *In Obſeruat. Anat. Med. Dec. II. Obſ. V. p. 207. fig. 8.*

10) *In the Deſcription of the Peritonaeum, London, 1730.* qui libellus et ab ELIA FRID. HEISTERO, digniſſimo CeleberrimiParentis filio, immatura morte nobis erepto, et a IOSHVA NELSONO in Latinum ſermonem fuit translatus.

11) *Dans la Splanchnologie Cap. VI.* cuius nouam Editionem *Anno huius ſeculi XLII.* dedit.

12) *Dans ſon Expoſition Anatomique, Traité du Bas Ventre §. 24. et §. 31.* Veterum ſententiam, alio dato ſignificatu, defen-

ritonaeum et huius contextum cellulosum, explosis iis, quae de duplici tunica vulgo circumferuntur, accuratius descripserunt, obscura et inuoluta herniarum notitia iam aperta est et perspicua.

§. II. Sed vero, vt ad herniae vocabulum redeamus, supra diximus, hoc ad alios significatus traductum fuisse. Iam vero nonnulli, vt ambiguitatem soluerent, omne herniarum genus distinguere, et in veras nothasque diuidere consueuerunt. (13) Per veras intelligunt illa vitia, in quibus laxatum aliqua parte, perraro ruptum, est peritonaeum, et vbi epiploon et intestinum, atque vel ex his vnum, vel vnum alteri iunctum, prouoluta sunt, id quod in variis abdominis sedibus, (14) in vmbilico, (15) et circa vmbilicum, (16) supra illa loca, vbi ex abdomine, in viris spermati-

defendere voluit laudatus HEISTERVS *c. l. p. 100.* et eius Parens *in Diss. de Hydrocele* §. 12. Conf. PETRI SENAC *Comment. in Compendium Anat.* HEISTERI, et, qui rem dilucidius exponit, LIEVTAVD *dans les Essays Anatomiques, Sect. IV. Artic. III. p. 259.* Alios autores, qui, iam ante hos, peritonaeum duplex esse, negauerunt, adducit Vir doctissimus, nobisque amicissimus, IVSTVS GODOFR. GVNZIVS *in Obseruat. Anat. chirurg. de Herniis Cap. VII. p. 19.*

13) Vid. inter alios plures ALEXANDER MONRO *c. l. pag. 298.* Minus probare hanc diuisionem videtur Celeberr. HEISTERVS *in Diss. de Hydrocele* § 5.

14) Praecipue illis sedibus, vbi musculorum abdominis transuersorum fibrae aliquantum inter se diductae sunt, quae loca sola adipe implentur. Vocant hoc vitium herniam ventralem. Frequentius ex vulneribus musculorum abdominis, tum iis, quibus etiam peritonaeum diffectum, tum aliis, in quibus illud, discissis musculis, integrum relictum fuit, nascuntur. Vide GARENGEOT *Traité des Operations T. I. p. 234 et 367.* SHARPS *Treatise on the Operations of Surgery Chap. VIII. p. 30.* et *Les Memoires de l'Academie de Chirurgie Vol. I. p. 307.* quo loco GARENGEOT ostendit, aponeurosin musculorum abdominis, quam lineam albam vocamus, valde, et adeo, tenuem esse, vt varia occasione, tum supra, tum infra, vmbilicum facile relaxetur: Ob id in ea hernias quandoque maiores oriri, quarum nonnullas, etiam mole insignes, obseruasse dicitur DE LA PEYRONIE *Chirurgus Regius c. l. pag. 701.*

15) Infantibus hoc genus herniarum incidit, si ipse ille annulus tendineus, per quem vasa vmbilicalia peritonaeo tecta ex abdomine procedunt, laxatur, ampliaturque. Sed in adultis, longe crebrius, non vmbilicus, et eius annulus, sed illa aponeurosis, quae circa vmbilicum admodum tenuis est, diducitur, quae laxata ab intestinis et epiploo attollitur. Vid. GARENGEOT *l. c.*

16) Vide de hernia, quae non in vmbilico, sed ad latus vmbilici, nascitur,

Mi-

matica, (17) in foeminis alia minora, vaſa, quae vulgo ligamenta vteri rotunda, improprio nomine, appellantur, nec non in alia ſede, per quam in vtroque ſexu cruralia vaſa (18) educuntur, incidere ſolet. Peritonaeum etiam ſuper illa maiora foramina, quae ouatam figuram habent, et in coxarum oſſibus ſunt, (19) nec non ſu-

MICHAELEM LVDOVICVM RENEAVME *Traité des Hernies p. 92.* Confer *Les Memoires de l'Academie de Chirurgie c. l. p. 700.*

17) Tumor, ſi modicus, et adhuc in inguine, eſt, dicitur βυβωνοκήλη. Si vero ab hoc in virorum ſcrotum deſcendit, et hoc diducit, dicitur ὀχεοκήλη. In foeminis, quibus hoc genus herniae non ita frequens eſſe videtur, ex eadem cauſa, ſi tumor maior fit, et inteſtina pondere in inferiora nituntur, intenditur, atque attollitur pudendi labrum. Nullum autem in his huic vitio peculiare nomen eſt.

18) Ligamentum FALLOPII *Obſ. Anat. p. 91.* vel POVPARTII vid. *Hiſt. Acad. Reg. Sc. MDCCV. p. 64.* vocant coalitum aponeuroſium vel tendinum diſpanſorum, qui ea ſede, accedentibus forte aliis fibris, paulo validior eſt. Hae aponeuroſes ad muſculum obliquum externum abdominis, et ad faſciam latam femoris pertinere videntur. Ligamentum eſſe, negant COWPERVS *in Myotomia p. 2. Tab. XIV.* et MORGAGNVS *Aduerſar. III. Animadu. I.* Illud autem verum ligamentum eſſe, defendunt Viri Clariſſimi IOSIAS WEITBRECHT *in Syndeſmologia Sect. IV. §. 13. p. 133.* et GVNZIVS *l. c. Cap. VI. p. 17.* Sub hoc ligamento peruio ex abdomine deſcendunt tendines muſculorum pſoas, et iliaci interni, et ſuper hos vaſa cruralia, arteria, vena, neruusque, cruralis anterior. Herniae genus, quod hac ſede naſcitur, μηροκήλη, vel herniam cruralem, vulgo vulgo etiam, quia tumor in ſummo femore aſſurgit, femoralem, appellant. Illud genus primus obſcure indicaſſe videtur PAVLVS BARBETTE *in Chirurgia Cap. VII. p. 74.* Poſt hunc vero illud deſcripſit PHILIPPVS VERHEYEN *in Anat. Tract. II. Cap. VII. p. 50.* Vide etiam I. FREIND *in the Hiſtory of Phyſick P. I p. 167.* Dilucidius hanc herniam deſcripſit GARENGEOT *dans le Traité des Operations T. I. p. 239.* Conf. etiam DE LA FAYE *dans les Remarques ſur le Cours des Operations par* M. DIONIS *p. 339.* GOELICKE *Diſſert. de Hernia femorali, Frf. Anno MDCCXL.* Obſeruatione cognitum eſt, hoc genus foeminis frequentiſſimum eſſe, non ita facile viros ei obnoxios fieri. Raro enim foeminae vera bubonocele laborant.

19) Hanc herniam nonnullis obſeruationibus illuſtrauit, et eius etiam curationem deſcripſit, GARENGEOT *in Comm. Acad. Chirurg. T. I. p. 709.* Foramen ouale in oſſe coxae habet validam membranam, vel ligamentum, quod, in ſuprema parte peruium, transmittit arteriam, venamque, ac neruum cruralem poſteriorem, vel obduratorem. Vid. de Neruo WINSLOW *Expoſ. Anat. de Nerfs §. 293.* Arteriae v. *c. l. de Arteriis §. 252.* et venae, *de Venis §. 178.* ab hypogaſtricis ortae, et ex pelui per hoc foramen eductae, per nonnullos femoris muſculos diuiduntur. Vaſorum illorum iter obliquum, in ſumma ora huius foraminis, oſſi impreſſum, conſpicitur. Ad

per muliebria (20) laxari, dilatarique, et tumores, vel hernias, in interiori ſupremi femoris parte, in muliebri pudendo, vel ſic dicta vagina, oriri, ex recentiorum obſeruationibus diſcimus. Herniis etiam adnumerari poteſt, ſi abdominis viſcera, praecipue ventriculus, et colon, ſub vehementiſſimis doloribus per eos, qui in ſepto transuerſo naturaliter ſunt, hiatus, vel etiam per ei illata vulnera, in pectus compelluntur, quae, dum hic immorantur, dolores et funeſtam inflammationem accipiunt. (21) Imo non ſola inteſtina cum epiploo herniis ſubeſſe ſolent, ſed nonnunquam alia etiam viſcera, veluti ventriculus, (22) lien, iecur, (23) vterusque grauidus,

latus horum vaſorum per illud ligamenti oſtium, ſi homo ſub aliquo pondere nititur, vel, ſi lapſu, ſaltuue, eius abdomen valde concutitur, inteſtinum atque omentum aliquanto deuoluuntur, ita, vt etiam ſuprema et interior femoris pars intumeſcat. Ex iis, quae GARENGEOT, aliique, animaduerterunt, cognoſcitur, et huic vitio foeminas frequentius obnoxias eſſe, eo tamen interdum etiam laborare viros. Oſtenditque GARENGEOT, hoc herniae genus vtramque medendi rationem admittere, et eam, qua, quae deſcenderunt, integra cute, retro compelluntur, iniectaque faſcia cum pila continentur, et alteram, qua tumor prius ſcalpello aperitur, et poſt, quae deuoluta ſunt, reponuntur. Feliciter ceſſit curatio in foemina, in qua et extenta cutis, et ipſum peritonaeum diductum, laxatumque, (ſaccum herniae vocant,) inciſum, et epiploi portio praeciſa, fuit.

20) Herniam in vagina deſcribit in *iisdem Commentariis p. 707.* citatus autor, quam, peſſo in vaginam demiſſo, et tumori ſubiecto, curauit.

21) Vide morbi hiſtoriam *in Transact. Anglicanis No. 351. p. 580.* et *in earum Compendio T. V. p. 266.* vbi poſt vehementiſſimos dolores inteſtinorum, quales in chordapſo CELSI *Lib. IV. Cap. XIII.* deſcribuntur, finito per mortem tormento, coli aliqua, omenti vero et pancreatis maior, pars in pectus prouoluta fuit inuenta. Viam repererant haec imi ventris viſcera per illum hiatum, qui inter duos ſepti transuerſi muſculos medius eſt, et per quem intercoſtalis neruus deſcendit. Vid. de hoc caſu *Comment. in Actis Med. Berolinenſ. Decad. II. Vol. IV. p. 8.* Conf. IOH. BAPT. PANTONI *Obſeruat. Med. et Anat. Obſ. XXIII. in Opuſculis p. 144.* vbi per illud oſtium, per quod ſtomachus ad ventriculum fertur, hic cum parte omenti in pectus irrepſerat.

22) Vid. IOHANNES RVDOLPHVS CAMERARIVS *in Sylloge Memorabilium Medicinae Cent. X. Hiſt. 14. p. 742.* quae hernia ex vehementi vomitu, per emeticum concitato, nata fuit. Conf. RENEAVME *c. l. p. 87.* His, quas adducit, alias morborum hiſtorias addit GARENGEOT *c. l.*

23) Vid. RVYSCHIVS *Aduerſ. Anat. Dec. II. Obſ. IX. p. 21.* Herniarum, quibus hepar incluſum fuit, exempla adducit GVNZIVS *ex Ephem. N. C. c. l. Cap. II.*

dus, (24) iisdem includuntur, quae vitia omnia veris herniis adnumerantur. His etiam nomina a partibus, quae iisdem ſubeſſe ſolent, imponuntur, quare ἐντεροκήλη et ἐπιπλοκήλη vocantur, ſi peritonaeum quacunque in ſede, vel ab inteſtino, vel omento, quae in exteriores inferioresque partes nituntur, diſtenditur. Peculiarem notationem deſiderat cyſtocele, ſeu veſicae hernia, quae oriri interdum dicitur, ſi hoc lotii receptaculum valde diſtentum laxatumque, cum ſpermaticis vaſis, per muſculorum abdominis oſtium, ſeu ſic dictum annulum, deuoluitur. Nam nemo anatomes peritus ignorat, peritonaeum veſicam haud comprehendere, ſed eius aliquam, et ſupremam tantum, partem, contegere, quare in hoc herniae genere verum peritonaeum laxari, vel diſrumpi, neceſſe non eſt, ſed illud, ſi ſola veſica per illud oſtium deſcendit, integrum eſſe poteſt. Interdum tamen, et, vt videtur, frequentius veſica in hoc oſtium vna cum inteſtinis laxatoque peritonaeo irrumpit, ita, vt cyſtocele ſit cum bubonocele. (25) Nothas autem hernias appellant, ſi virorum genitalia ex aliis, variisque, occaſionibus intumeſcunt, quibus vitiis κιρσοκήλη, (26) σαρκοκήλη, (27) πνευ-

24) Vide herniae hiſtoriam, quae poſt percuſſum abdomen in foemina grauida orta fuit, in MICH. DOERINGII *Epiſtola ad* GVIL. FABRICIVM, HILDANVM, *de Hernia vterina, in Operibus* HILD. *p. 893.* Sectus fuit tumor, et partus ex eo extractus. Conf. RVYSCHIVM *c. l.* Hernias tales ex ſectione caeſarea relinqui, fatetur ROVSSET *dans la Hyſterotomotokie, a Paris, MDLXXXI. p. 42. 92.* qui adfert exemplum *p. 21.* Et prolixe magis *in libro ab eodem Anno MDXC. edito*, cui titulus. Ὑστεροτοκοτοκίας, *h. e. Caeſarei Partus Aſſertio hiſtoriologica p. 55.* Plures autorum obſeru. vide in Celeberr. GVNZII *Obſ. Anat. de herniis C. II.*

25) De hernia ex veſicae vulnere cuſato prope huius cicatricem relicta vide RVYSCH. *Obſeru. Anatom. Chirurg. Obſ. LXXV.* et aliam, vbi, dilatata veſica in ſcrotum cum bubonocele deſcendit, *l. c. Obſ. XCVIII.* Conf. *Eiusd. Aduerſ. Anatom. Decad. II. Obſ. 9. p. 23.* Alias obſeruationes propoſuit MERY *Chirurgus, in Comment A. R. Sc. Anno MDCCXIII. p. 146.* conf. IOH. SALTZMANNI *Diſſ. de Veſicae vrinariae hernia, Argentorati, Anno MDCCXXXII.* De Peritonaeo et ſitu veſicae confer. GVNZIVS *c. l. p. 11.*

26) Dicitur CELSO Ramex, cum venae intumeſcunt, quae, intortae conglomerataeque inguen, et ſuperiorem partem ſcroti, implent.

27) Hoc nomine varia vitia comprehenduntur. Nam ipſe teſticulus ex inflammatione intumeſcit, qui, ſi haec repri-

πνευματοκήλη, (28) αἱματοκήλη, (29) et quoque, de quo nobis iam ſermo eſt, ὑδροκήλη, adnumerantur. Hi vltimi generis tumores, dum increſcunt, adſcendere verſus inguina videntur, verae autem herniae deſcendendo in viris verſus teſtes augeſcunt. Quoniam autem vtriusque generis vitia raro ſola ſunt, ſed ſaepe eorum bina, pluraque, in eodem homine reperiuntur, vt, laxato in inguine peritonaeo, tum inteſtinum, tum omentum, ſubſit, inuenta ſunt ab autoribus nomina, ex prioribus compoſita, quae illa vitiorum genera ſignificant. Talis enim aeger, quem modo deſcripſi, ἐντεροεπιπλοκήλη laborare dicitur.

§. III. Ὑδροκήλη, quam alii ὑγροκήλην, (30) et herniam aquoſam, vocant, etiam non vnius generis eſt, quod, quo facilius explicemus, prius ipſarum partium velamentorum, inprimis, quibus vterque teſticulus contegitur, natura paucis proponenda eſt. Arteria ſpermatica, vtrinque ex aorta ſub renalibus (31) educta, ſub peri-

primentibus diſſipatur, durus manet. Scirrhus nonnunquam in carcinoma degenerat. Non ſoli teſticulo hoc accidit, ſed etiam vaſis, a quibus is dependet, quae etiam indureſcunt. Interdum etiam his, et ipſi teſticulo, caro inter tunicas increſcit vitioſa. Vid. CELSVS *Lib. VII. Cap. XVIII.*

28) Si aër in contextum celluloſum tunicae vaginalis, vel ipſius ſcroti, contrahitur. Eſt Ἐμφυσήματος genus, quod per ſe, et ſine alio morbo, oppido rarum videtur. Vid. HEISTERI *Chirurg. P. II. Sect. V. Cap. 127. p. 855.* Alia ſpecies eſt, ſi in enterocele multus ſpiritus inteſtinum euolutum diſtendit, quae vero vix recte πνευματοκήλης nomine vocatur.

29) Αἱματοκήλη, ſi ex illato ictu, vulnere, vel alia occaſione, ſanguis in ſcrotum defluxit. Hanc nonnunquam poſt inciſam hydrocelem oriri, infra dicetur. Veteres, GALENVS *c. l.* et PAVLVS *L. VI. Cap. 63. p. 91. Edit. Aldinae,* addiderunt τὴν πωροκήλην, ἀπὸ τοῦ πώρου, quod vocabulum callum ſignificat, quae πωροκήλη ex interpretatione IVLII POLLVCIS *in Onomaſtico Lib. IV. Sect. 203. p. 472.* eſt πώρωμα περὶ τὸ ὄσχεον ἐξ ἀποσήματος, callus circa ſcrotum ex abſceſſu. Autor *Introductionis, quae* GALENO *adſcribitur, Cap. XVIIII. T. II. Edit.* CHARTER. *p. 397.* addit etiam στεατοκήλην, a Graeco στέαρ, ſeuum, vnde στέατωμα

30) POLLVX *l. c.* ὑγροκήλη περὶ θατέρῳ τῶν διδύμων ὑδατώδης συλλογή, μεταξὺ τοῦ δευτέρου καὶ τετάρτου ὑμένος. Vnde in GALENO *Definit. Med. in Edit. Ald. Tom. IV. pag. 16.* ὑγροκιρσοκήλη legitur. Sed *in* GEMVSAEI *Edit. Baſil. MDXXXVIII.* per errorem ὑγοκιρσοκήλη, *in* CHARTERII vero *Editione T. II. p. 275. n. 428.* ὑδροκιρσοκήλη inuenitur.

31) Hoc tamen haud perpetuum eſt. Nam aliquando tres repertae fuerunt ſpermaticae arteriae, aliquando etiam ex ſuperiori aorta, ex renalibus, imo etiam ex

peritonaeo, illi huius celluloſo contextui innexa, ad ima dirigitur, et per oſtium, quod in tendine muſculi obliqui externi eſt, annulum vulgo vocant, in duos, vel tres, ramos (32) diuiſa, ad teſticulum, et, quae huic annexa eſt, epididymidem, fertur. Arteriis iunctae ſunt venae, quae a teſticulis, horumque velamentis, incipiunt, et per modo dictum muſculi obliqui oſtium aſſurgunt. Non vero eadem ratione finiuntur, qua arteriae incipiunt, ſed dexterior ad venam cauam ſub renali, ſiniſterior ad renalem, procedit, quibus maioribus venis illae minores inſeruntur. (33) Venae autem in longe plures diuiſae, vehementerque implicitae atque inter ſe apertae, vt ſanguis ex vna in alteram permanare poſſit, quaſi reticulum conſtituunt, quod anatomici *corpus pyramidale*, vel *pampiniforme*, vocant. Vix non omnibus hucusque perſuaſum fuit, arterias venasque hac ſede alia lege, quam in caeteris corporis ſedibus, inter ſe committi, et maiores arterias cum venis ita connexas eſſe, vt ſanguinis non minima, et potiſſimum eius craſſior, pars ex arteriis mox in capaciores venas transfundatur. Sunt tamen ex recentioribus ſcriptoribus, qui hoc, quod vix non omnibus perſuaſum fuit, a nemine explorate perceptum cognitumque fuiſſe oſtendunt, et hunc inter maiora vaſa nexum, vel, vt vocant, anaſtomoſin dubiam reddunt. (34) Venas ſpermaticas ſanguinem

ex aliis, arteriis fuerunt eductae. Vide Celeberr. HALLERVM *in Notis ad* BOERHAAVII *Praelectiones T. V. P. I. ad §. 641.*

32) LIEVTAVD *Eſſais anatomiques Sect. IV. Art. XVIIII. p. 331.*

33) Nec tamen et hoc ſemper ſe ita habet. Vide HALLERVM *c. l. p. 277.*

34) Anaſtomoſes has delineaſſe videtur EVSTACHIVS *in Tabulis Anat. XII. et XIII.* quem tamen defendit GEORGIVS MARTIN *in the Medical Eſſays Vol. V. Obſ. XVIII. p. 227.* Eas, veluti manifeſtas, delineauit CROMWELLVS MORTIMER *in the Tranſactions No. 415. p. 373. in the Abridgment Vol. VII. p. 553. Tab. XXIV.* Sed ex maioribus arteriis in maiores venas, nullum tranſitum nullamque anaſtomoſin eſſe, WINSLOVIVS *Expoſit. anat. T. IV. §. 479.* et GEO. MARTIN *c. l.* oſtenderunt, quorum vltimus addit, arterias exiles ex lateribus eductas inhaereſcere et implicari venis, huncque nexum minus cautos anatomicos decepiſſe. Vide etiam HALLERVM *c. l. p. 279.*

guinem ab iisdem partibus, ad quas hic per arterias perlabitur, reducere, nemini obscurum est. De illo autem ostio, vel sic dicto annulo, iam ex accuratioribus obseruationibus nouimus, eum non triplicem esse, atque ita compositum, vt singuli musculi, transuersus, atque duo obliqui, suum ostium, vel annulum, habeant, sed esse fissuram oblongam, ora tendinea aliquantum pleniori circumdatam, in obliqui externi aponeurosi, cui a vicinis partibus aliae fibrae accedunt. (35) Arteriae, vbi ad ipsum testem peruenerunt, illam albidam neruosamque tunicam, quam a colore *albugineam* vocant, et quae intimum testiculi velamentum est, penetrant, et in illa exilia singulari artificio conglomerata vascula, ex quibus testiculus compositus est, et in quibus genitalis succus conficitur, diuiduntur. Semen autem in his exilissimis itineribus praeparatum in epididymidis paulo patentioribus fistulis perfectum, his tandem coëuntibus, per capacius iter, quod *vas deferens* nominant, sursum fertur, et, vel vrethrae, vt protinus excernatur, vel vesiculis seminalibus, huius humidi receptaculis, infunditur. Scire enim oportet, spermaticis vasis, a quibus testiculi dependent, iunctum esse hunc seminis ductum. Accedunt lymphatica vasa et nerui, quorum potiores ex plexu renali descendunt, quibus alii ex lumbaribus accedunt, qui vltimi vero non tam per ipsum testiculum, quam per eius et vasorum spermaticorum velamenta, diuiduntur. (36)

§. IIII. Sed veniendum est ad haec velamenta, vel tunicas, quibus testiculi atque spermatica vasa continentur. Iam de illa interiori, quam albugineam vocamus, diximus, eam albidam esse, validam, atque neruosam, propter quem neruorum numerum in illa,

35) Vide figuram in COWPERI *Myotomia Tab. XIV. lit. C. Tab. XV. lit. KK.* et vasorum spermaticorum descensum in ALBINI *Tabulis de Musculis Tab. I. lit. X. Tab. III. lit. β.* HALLERVS, aliique, illud ostium in sola aponeurosi obliqui externi esse contendunt, et negant, aliquid conferre tendinem obliqui interni *c. l. p. 260.* Conf. Cl. GVNZIVS *l. c. C. VI. p. 18.* qui, transuersi fibras nonnullas ad obliqui externi ostium pertinere, ostendit.

36) Vide ex his WINSLOVIVM *Expos. anat. T. IV. §. 587.*

illa, si testis ictu, vel quauis iniuria, laeditur, acerbissimus dolor exoritur. Haec tunica solum testem comprehendit, cum caeterae tunicae etiam vasa spermatica contineant. Ex his enim illa, quae Graecis ἐλυτροειδὴς dicta, (37) nostris vaginalis appellatur, prae caeteris consideranda est, cum morbi, de quo scribere instituimus, propria sedes sit. Superuacaneum foret, illa repetere, quae supra de peritonaeo, et huius contextu celluloso, proposuimus. Illud tamen sedulo tenendum, vasa illa, quae per ostium, quod in aponeurosi musculi obliqui esse diximus, descendunt, illo contextu celluloso, quem peritonaeum extrinsecus habet, non tam circumdari atque includi, quam ei implicari, vt illo medio inter se iungantur. Hoc igitur inuoluerum, quod sibi vasa spermatica adsciscunt, et secum ex abdomine ferunt, minus proprie tunica vaginalis dicitur, quae tandem super testiculi supremam partem, vbi ei epididymis adnexa est, finitur. Habet tamen inferior etiam testiculus similem, sed teneriorem, contextum celluloſum, inter cremasterem et albugineam tunicam medium, qui, si eum a superiori contextu, et sic dicta vaginali vasorum spermaticorum tunica procedere existimandum est, ab hac, septo quasi medio, quod supremo testiculo et epididymidi inhaeresci t, dirimitur, adeo, vt, nisi hoc septum ruptum exesumque sit, flatus a superiori ad inferiorem contextum celluloſum non perueniat. (38) Ex cellulis pluribus vtrumque hoc velamentum constat, quod, si a quacunque causa grauatur, vel, si venae, quae per illud discurrunt, aliquantum premuntur, occallescit, vt etiam in plures validioresque tunicas diuidi possit: id quod in pluribus tumorum herniarumque generibus fieri deprehenditur. Atque id ipsum, accedente GALENI autoritate, (39) et, quod olim anatomici plura brutorum,

37) Vid. CELSVS *Lib. VII. C. XVIII.* a Graeco ἔλυτρον, velamentum.

38) Vid. CHESELDENS *Anatomy of the Human Body Edit. VI. Lib. IV. Cap. I. p. 260.* Rem paulo aliter exponit WINSLOVIVS *in Expos. Anat. T IV. §. 515.* Vide figuram, in qua vaginalis tunica flatu distenta est, in IOHANNIS IACOBI RAV *Resp. ad* FRID. RVYSCH. *Tab. II. fig. 2.*

39) *Lib. I. de Semine Cap. XV. T. III.* CHARTERII *p. 202.* Τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε τέ-

τμη-

quam hominum, corpora inciderent, illum errorem peperiſſe videtur, vt vix non omnes ſibi perſuaſerint, cum vaſorum ſpermaticorum funiculo veri peritonaei appendicem, et quaſi vaginam atque proceſſum, vaſa ſpermatica comprehendentem, naturaliter per illud muſculi obliqui oſtium deſcendere, atque hunc naturalem proceſſum in veris herniis, quae in his ſedibus fiunt, ab inteſtino, omentoque, in inferiora nitentibus, diduci, atque ampliari, vel etiam rumpi. (40) Nec hunc errorem ſupra laudatus SCHRADERVS depoſuerat, qui cum BIDLOO huius ficti commentitique proceſſus, qui in recte valentium hominum vero peritonaeo nunquam reperitur, imaginem delineauit. (41)

§. V. Supereſt tunica ſic dicta ἐρυθροειδὴς, quae tertium teſticuli velamentum conſtituit. Rectius tamen eam muſculis adnumerant, et κρεμαςῆρα vocant, anatomici. Muſculum eſſe, et carnoſae, ex quibus componitur, fibrae, eiusque actio, oſtendunt. De eius origine non prorſus conſentiunt anatomici. Illud exploratum eſt, eum incipere a fibris, quae a muſculo abdominis obliquo interno, atque transuerſo, excedunt. (42) Sunt, qui nexum cum obliquo externo et illo FALLOPII ligamento deprehenderunt. (43) Eo ſuperior, et non niſi anterior, vaſorum ſpermaticorum pars contegitur, poſt autem, dum muſculus deſcendit, is teſtes, omnemque contextum celluloſum, vel, vt vocant, tunicam vaginalem, comprehendit. Muſculus hic, ſi fibrae motu ſuo cientur, premit, et quaſi permulcet, teſticulos, atque in iis humidi genitalis, tum confectionem, tum excretionem, iuuat. Peruul-

τρητὸν τὸ περιτόναιον ἑκατέρωθεν ἀξιολόγῳ τρήματι, καὶ πόρος ἀπ' αὐτοῦ γίνεται μέγιστος, ἐς τοὺς ὄρχεις καθήκων. Peritonaeum vtrinque memorabili foramine perforatum eſt, et meatus ab ipſo ſit maximus ad teſtes deſcendens.

40) Vid. MONRO *c. l. p. 256.*

41) Vid. *c. l.* et BIDLOO *Anat. Tab. XXXII. fig. 3. et 4.*

42) Vid. ALBINVS *de Muſculis Lib. III. Cap. 80. p. 294.*

43) Vid. IDEM, et prae caeteris WINSLOVIVS *Expoſit. Anat. T. IV. P. I. §. 520.* qui vero nihil de ortu a transuerſo addit. Conf. HALLERVS *c. l. p. 296.* Varia ſecandi ratio, vti fieri ſolet, his originum diſcrepantiis occaſionem dediſſe videtur. Vid. MONRO *c. l.* LIEVTAVD addit fibras ex aponeuroſi recti eductas *c. l. pag. 334.* Conf. Cl. GVNZIVS *c. l. Cap. VI. p. 17.*

uulgatum et nemini ignotum eſt, hominibus vegetis, qui confirmata robuſtaque aetate, incorruptaque valetudine, ſunt, hunc muſculum cum exteriori cute adduci, et eo teſticulos quaſi adſtringi, decrepita autem aetate, et, ſi corpus labore, morboue, infirmatum, aliisque occaſionibus eneruatum, eſt, pendulis ſubtus teſticulis, laxari.

§. VI. Huic autem muſculo extrinſecus alius contextus celluloſus, isque validior, innatus eſt, quo vterque teſticulus contegitur. Vix non omnes, qui rem anatomicam, inter veteres, atque inter recentiores, illuſtrauerunt, hic valentiorem tunicam ſibi inueniſſe viſi ſunt, quam Graeci δαρτὸν vocauerunt. Illam, quae propter arteriarum venarumque numerum rubicundior eſt, carnoſum eſſe exiſtimarunt, eamque comparauerunt illi tunicae, quae in brutis, late ſuper adipem fuſa, panniculus carnoſus dicitur. Plurimorum igitur, non proletariorum, ſcriptorum opinio fuit, δαρτὸν eſſe muſculum, inter dùplicem contextum celluloſum medium, eumque ſubiectos teſticulos, eorumque propria velamenta, ipſumque muſculum cremaſterem, non comprehendere tantum, ſed etiam adſtringere, atque comprimere. (44) Sed vero hanc rem a recentiſſimis ſcriptoribus, a claro doctoque inter Gallos Chirurgo, LIEVTAVD, (45) et Celeberrimo Viro ALEXANDRO MONRO, (46) in dubitationem adductam inuenimus, qui malunt, omnem hanc, quae ſub ſcroti integumento, ſeu cute, eſt, tunicam non aliud eſſe, quam paulo validiorem contextum celluloſum. Oſtendunt enim, anatomicos ideo in opinionem, hic veram carnem muſculumque eſſe, adductos fuiſſe, quod ille valentior contextus venoſior ſit, et ob vaſorum per eum diſcurrentium numerum admodum rubeat. (47) Δαρτὸς autem, cuiuscunque natu-

44) Muſculum cutaneum eum appellat WINSLOVIVS *c. l. §. 498.*

45) *c. l.*

46) *c. l. p. 267.*

47) Vid. Iudicium, quod de panniculo carnoſo ſub cute hominis tulit CAROLVS STEPHANVS *in Diſſect. Partium Corporis humani Lib. II. Cap. II. p. 164.* Oſtendit enim, hunc ſic dictum panniculum carnoſum non, niſi in ſenibus

naturae ſit, etiam inter teſticulos aſſurgit, eosque diſcernit, de quo ſepto inter RVYSCHIVM et RAVIVM, magnos in anatome viros, fuit plena contentionis controuerſia. (48) Vbi interius hoc ſeptum eſt, extrinſecus in ſumma cute ῥαφὴ conſpicitur, quae non ſolum in ſcroto eſt, ſed etiam per genitale membrum, et retrorſum per peritonaeum, excurrit. Si illud, quod περὶ τὸν δαρτὸν a recentioribus proditum eſſe diximus, eum nihil praeter contextum celluloſum eſſe, verum eſt, facile erit lites illas componere. A veritate enim propior ſemper viſa eſt RAVIO ſententia, qui ſeptum hoc duplex, et cuique teſticulo proprium velamentum eſſe, voluit, quamuis ſuam opinionem acri obſtinatoque animo defenderit RVYSCHIVS. Etiam celluloſus contextus, ſi is non multum adipis habet, vt non omnia eius loculamenta ſatis diſtenta ſint, ad membranae ſimilitudinem propius accedit. Tanto enim magis, qui hoc velamentum, euulſis teſticulis, aëre ſiccatum oſtendunt, ſibi aliisque fallaciter imponunt, cum haec partes corporis humani condiendi aſſeruandique ratio aptior ſit ad verum conſtitutum alienandum, quam ad eum, ſi reconditus eſt, et obſcurior, patefaciendum, illuſtrandumque. (49) His vero exploratis, ſubiiciendum eſt, hunc exteriorem contextum celluloſum etiam cuti ſubeſſe, qua coles contegitur, quae obſeruatio ad dignoſcendam noſtri morbi ſedem, id quod ex infra dicendis apparere poterit, neceſſaria

bus gracilioribus, et emaciatis, vel longo morbo confectis, conſpicuum eſſe, in his enim exhauſtae pinguedinis aliquid apparere, quod carnoſae membranae ſpeciem prae ſe ferat. Hoc enim eſſe id, quod tunicam adipoſam, vel, in aliis ſedibus, tunicam, aut contextum celluloſum, vocamus, a vero propius eſt. Quamuis igitur in hoc ſcroti velamento inter cellulas plures ſint fibrae muſculoſae, et aliae, tendinis naturam habentes, erit tamen diſcrimen inter veram muſculoſam tunicam, qualis in brutis ſub cute conſpicitur, et inter δαρτόν.

48) Vide RVYSCHII *Reſponſionem ad Epiſtol. problem. I.* RAVII *Epiſt. de Inuentoribus Septi Scroti ad* RVYSCHIVM *Anno MDCXCIX.* RVYSCHII *Reſponſionem, quae legitur in Epiſt. problem. XII.* RAVII *Reſponſionem ad qualemcunque Defenſionem* FRED. RVYSCHII. RVYSCHII *Reſp. in Epiſt. probl. XIII.* Confer Cl. Viri IOH. FRID. SCHREIBERI *Vitam* RVYSCHII, *p. 45.*

49) Vide RAVII *Reſponſionem p. 14.* conf. SCHREIBERVM *c. l.*

ceſſaria eſt. Supereſt tandem cutis, eaque rugoſior, quas rugas, quaſi transuerſas, illa ῥαφὴ, de qua diximus, diſcernit. Rugae contractiores denſioresque ſunt in robuſtis rectequé valentibus, in ſenibus autem et imbecillis illae, atque omnis cutis, cum muſculo cremaſtere, laxantur, id quod iam occaſione huius muſculi retulimus. Cutim in ſcroto piloſam eſſe, et glandulis, quas anatomici, MORGAGNO autore, ſebaceas vocant, conſitam, cum id nemini obſcurum ſit, et ad illius morbi, de quo nobis dicendum, naturam parum faciat, iam mittimus atque praeterimus.

§. VII. Praeuiſis his omnibus, hydroceles, cuius plures ſpecies eſſe diximus, naturam propriamque ſedem noſſe poterimus. Sed vero, cum haec vitia, quae omnia ex humoris nimia abundantia oriuntur, hydropis generibus adnumerari debeant, illud autem per omnes hydropis ſpecies perpetuum ſit, aquam, vel in contextu aliquo adipoſo, celluloſoque, ſubſiſtere, vel in cauum quoddam, ventremque, vt anatomici loquuntur, contrahi, id etiam de hydrocele dicendum eſt. Longe tamen frequentius intumeſcit contextus celluloſus, quo teſticuli, eorumque vaſa, conteguntur. Hunc autem triplicem eſſe, ex ſupra dictis intelligi poteſt, quare etiam totidem genera tumorum naſcuntur. Siquidem prima huius morbi ſedes eſt, ille contextus celluloſus, quem ſumma cutis ſcrotumque habet, quod, ſi aqua intentum tumet, morbus hydrops ſcroti appellari, et a vera hydrocele diſtingui, conſueuit. Quoniam autem horum tumorum magna eſt conuenientia, et huius hydropis, quo ſcrotum tumet, pathologiam curationemque cum aliis explicare non erit alienum. Qui inter duplicem contextum celluloſum tunicam mediam carnoſam collocant, et hanc cum veteribus δαρτὸν vocant, illi et huius tumoris aliquod diſcrimen admittere debent, cum humor, tum in ſupremo, tum in medio illo contextu celluloſo, tum etiam in vtroque, conſiſtere poſſit. Sub hoc tumore integri ſunt teſticuli, eorumque velamenta atque vaſa. Sed vero, vbi violatum eſt illud alterum teſticulorum velamentum, quod vulgo tunicam vaginalem vocant,

vera

vera hydrocele naſcitur. Diſcreta itaque ſunt haec vitia, hydrops ſcroti et hydrocele, quod muſculus cremaſter inter ſcrotum atque vaginalem tunicam medius eſt. Sub hydroceles tamen ſpecie aliae ſunt, quae etiam non mediocres differentias recipiunt. Nam nec in hac vno loco eſt humor, quo illa velamenta diſtenduntur, quamuis rarum eſſe, et forte nunquam incidere, opiner, vt is inter ſummam mediamque tunicam, vel inter cremaſterem et vaginalem, circumfluat. Plerumque intenditur illa vaginalis tunica ſuperior, quae ſpermatica vaſa comprehendit, et circa epididymidem finitur. In hanc enim humor deſtillat, et cellulas, inter ſe apertas et peruias, implet, vt tandem totus ille contextus non ſolum tumeat, ſed etiam multum alienetur, atque occalleſcat. Sed vero, quamuis hoc crebrius in ea tunica vaginali accidat, qua, vt dixi, vaſa ſpermatica conteguntur, nihilominus etiam ille contextus celluloſus paulo tenerior, qui inter infimum teſtem atque inter cremaſterem medius eſt, vitium contrahere, et ex retenta aqua tumere, poteſt. Galli omnem hydropem in duas ſpecies diuidunt, in eam, in qua illa minora loculamenta, quae adeps habet, et quae, etiam teneriori oleo plena, inter alias variarum partium tunicas media ſunt, et quae recentiores plerumque cellulas, vel contextum aut tunicam celluloſam, vocant, ab humore intenduntur, *par infiltration*, et in eam, vbi humor, in quodam cauo, vel ſic dicto ventre, extra receptacula ſua miſſus circumfluit, *par epanchement*. (50) Vtrumque etiam in hydroceles generibus fieri, iam a CELSO animaduerſum legimus, qui ita, vbi hernias exequitur, ſcribit: (51) *Integris vero membranis interdum eam partem*, (ſcrotum) *humor diſtendit. Atque eius quoque ſpecies duae ſunt. Nam vel inter tunicas is increſcit, vel in membranis, quae ibi circa venas et arterias ſunt, vbi hae grauatae, occalluerunt.* A vero enim propius eſt, CELSVM, qui de membranis ſcribit, contextum cellu-

50) Vide GARENGEOT *Traité des Operations T. I. Cap. VI. p. 386.* LEDRAN *Traité des Operations p. 173.*

51) CELSVS *Lib. VII. Cap. XVIII.*

celluloſum, vel tunicam vaginalem, ſignificaſſe. Humor enim non ſolum illis loculamentis inhaeret, ſed etiam ex iis ruptis exeſisque quandoque efferri videtur, vt inter membranas circumfluat, illasque in tumorem attollat. Interdum vero ille inter ſupremam tunicam vaginalem, qua vaſa ſpermatica comprehenduntur, ſubſiſtit, interdum vero in inferiores partes nititur, et per illud ſeptum perrumpit, quod, inter ſuperiorem tunicam vaginalem, et alteram, quo teſticulus comprehenditur, medium, et ipſi teſticulo ac epididymidi innexum, eſſe, ſupra retulimus. (52) Praeter haec aliud vitium eſt, et, vt videtur, frequentius, vbi vnum ex ſupra commemoratis loculamentis, ab incluſa aqua, paulatim diſtenditur, vt humor, quaſi tunica ſua, magis et magis occalleſcente, includatur. Illud ſi in viſceribus, in quibus hoc frequens eſt, incidit, oriuntur tubercula, quae, quod aquoſum humorem continent, hydatides appellantur. In adipe, atque aliis interioribus ſedibus, interdum his ſimiles tumores deprehenduntur, qui, quod in iis humor, accedente vetuſtate, callo circumdatus, et quaſi quodam velamento incluſus, eſt, parum ab illis tuberculis differunt, quae ganglia, melicerides, atheromata, et ſteatomata, appellantur. Nam haec tumorum genera non alia re inter ſe diſcrepant, quam materia, quae iis ſubeſt, quae, vel, concreta atque dura, renititur, vel, liquidior, ſubtus circumfluit. At vero ab illa tunica, qua veluti περὶ τῆς κύστεως, humor includitur, tumores illi recentioribus cyſtici vocantur, qui ob id hoc etiam hydroceles genus *cyſticum* appellare haud dubitauerunt. (53) Horum tuberculorum,

52) Vide hiſtoriam, quam habet GARENGEOT *Traité des Operations T. I. Cap. VI. Art. 3. Obſ. 27. p. 451.* Liquor ex inciſo tumore effuſus fuit corruptus. Vitium ex gonorrhoea maligna celerius ſuppreſſa natum fuerat.

53) De hoc hydropis genere in aliis ſedibus prolixe egit LE DRAN *l. c. p. 162.* item de huius generis hydrocele *p. 178 ſqq.* Hydroceles autem genus, in quo aqua velamento ſuo, vel tunica, incluſa eſt, iam cognouit PAVLVS AEGINETA *Lib. VI. Cap. 62. p. 90. Edit. Ald.* vbi agit de Hydrocele. Πολλάκις δὲ ἐν ἰδίῳ χιτῶνι περιέχεται τὸ ὑγρὸν, καὶ καλοῦσι οἱ χειρουργοὶ τοῦτο τὸ πάθος ἐν ἐπιγενίτῳ *Saepe in propria tunica continetur humor, et chirurgi vocant hunc morbum in ſupernaſcente*

lorum, quorum in hydrocele interdum vnum eſt, interdum bina, (54) atque etiam plura, (55) ſedes vel in tunica vaginali, qua ſpermatica vaſa continentur, vel in illo velamento, eſt, quo ipſe teſticulus comprehenditur, et quidem, vt videtur, in parte magis interiori. Raro enim hi tumores a confluente humore extrinſecus ſub ipſo cremaſtere naſci videntur. (56)

§. VIII. Hae autem verae hydroceles ſpecies eſſe videntur, quas omnes accuratius expoſuit Celeberrimus Vir ALEXANDER MONRO. (57) Aliquam tamen animaduerſionem deſiderant quaedam alia illarum partium vitia, in quibus etiam humoris nimia abundantia eſſe conſueuit. Horum primum eſſe ſolet, vbi inteſtinum in ſcrotum deſcendit, et aqua in relaxati peritonaei appendicem, vel, vt vocant, ſaccum, contrahitur. Crebrius hoc fit, ſi illa appendix non ſimul cum inteſtino et epiploo repellitur, ſed inguini immoratur. Nam, dum vinctura admouetur, haec appendix, cuius tunica naturaliter roſcida eſt, pilae ſubiicitur, qua, faſciae, corio, vel ferreo annulo, adſuta, ad reprimendas hernias vtimur. Membrana vero ſic valenter preſſa offenditur, atque tandem occalleſcit, vt minora itinera intercludantur, quae humorem, ex affecta tunica copioſius exſudantem, reſorbent. (58) Imo interdum

te ſcil. tunica. Sic interpretatur PAVLVM GORRAEVS *in Definit.* ſub ὑδροκήλη. Ab hoc illud accepiſſe videtur ALBVCASIS, *qui Lib. II. Cap. LXII.* ſcribit: *Hernia aquoſa nihil aliud eſt, niſi collectio humiditatis in Siphac albo, quod eſt ſub cute teſticuli continente ouum, et nominatur Siphac. Et quandoque eſt in panniculo proprio, quem praeparauit ſibi natura in parte oui, ita, vt videatur ouum aliud.*

54) Vid. GARENGEOT *c. l. Obſ. 28. p. 463.*

55) Vide ſingularem de hac re obſeruationem in LE DRAN *Traitè des Operations p. 178.*

56) Vid. SHARP's *Treatiſe on the Operations of Surgery Cap. IX. p. 46. Edit. II.*

57) *in the Medical Eſſays l. c. Vol. V. Obſ. XXI. p. 299.*

58) Vide obſeruationem, vbi in talem peritonaei appendicem, vel ſaccum capaciorem, in quem etiam omentum deuolutum erat, magna vis humoris, ſex libras exſuperans, fuit contracta, a MONRO *c. l.* propoſitam *p. 314.* Humor euocatus eſt, demiſſo in tumorem exili breuique ferramento, illi, quo aqua ex abdomine emittitur, ſimili, quod fiſtula, vel ſic dicta cannula, inſtructum fuit. Multum deſidente tumore, ſolum omentum in appendice, vel ſacco, fuit relictum.

terdum accidere ſolet, vt illius appendicis tergora, nimis valenter preſſa, ſumma ſua parte inter ſe iuncta glutinentur, quare in eam contractus humor nullum exitum habere, neque in abdomen reuerti, poteſt. (59) Alterum autem vitii genus in ipſo teſticulo oritur, qui, ſi induruit, atque, id quod in ſarcocele fieri ſupra retulimus, ſcirrho laborat, plenior fit, atque tumet. Non raro enim in hunc multum limpidi, quandoque etiam mali, corruptique, humoris contrahitur, praecipue, ſi teſticulus, vitio intus orto, intumuit.

§. VIIII. Ante omnia vero quaeritur, quae ſint horum vitiorum origines, cauſaeque, in quibus inquirendis ſedulo conſiderari oportet diſcrimina, quae illa tumorum genera recipiunt, et quae ſupra executi ſumus. Ne vero ſcroti hydropem praetermittamus, quippe quod tumoris genus frequentiſſimum eſſe ſolet, ei, et omni oedemati, commune eſt, vt, vel a vitiatis humidis, vel ab affectis praecluſisque itineribus, per quae illa feruntur, naſcatur. Viſcidum enim in humidis, quod oriri ſolet, vbi corpus mali habitus eſt, ſubſiſtendo claudit, tum itinera, per quae illa naturaliter perlabuntur, tum etiam inuiſibilia tunicarum foramina, per quae ſucci, in tenuiſſimum halitum reſoluti, et exſpirant, et iterum reſorbentur. Quibus excoecatis, humida, vel in ipſa maiora receptacula confluunt, vel viam in ſpongioſi adipoſique contextus cellulas reperiunt, huncque diſtendunt. Atque ſic paulatim tumores naſcuntur, id quod etiam accidit, ſi integris humidis via per venas non ſatis, ſed ita, aperta eſt, vt per has ſanguis quidem, aſt non ſine mora, atque impeditione, permanare poſſit. Compertum eſt, quoduis membrum intumeſcere, et oedemate laborare, ſi eius venae aliquantum, atque ita, premuntur, vt in eo

59) Vide ſectionem cadaueris in SAVIARD *Obſeru. XXII. p. 120.* et ſingularem hiſtoriam a LE DRAN relictam. Hydrocele fuit ex tribus ſpeciebus compoſita. In vno enim aegro inuenit, appendicem peritonaci, vel ſaccum, aqua repletum, et ſuperius clauſum, praeterea cyſticum, ſeu velamento ſuo incluſum tumorem in tunica vaginali, et tandem alium tumorem in illa tunica celluloſa, quae cingit teſticulum. *Obſ. de Chirurgie T. II. Obſ. 75. p. 155.*

vitalis humorum motus langueſcat. Nam, ſi venae prorſus premuntur, adſtringunturque, vt vitalis motus omnino ſiſtatur, membrum gangraenae opportunum fieri, nemo ignorat. Oedemate autem pedum vexantur praegnantes, expletis fere ad pariendum menſibus, quod grauidus vterus venas iliacas vrget; quae omnia, et illa etiam, tacemus, quae in fractorum oſſium curationibus, ſi his ferulae non recte accommodantur, faſciaeque arctius circumdantur, eueniunt. Sed vero, vtrumque in ſcroto fieri poſſe, intelligitur. Venae enim, a pudendis internis ortae, quas ab hypogaſtricis deſcendere nouimus, per ſcrotum et eius δαρτὸν diuiduntur, (60) quae, ſi in variis tumorum generibus premuntur, ſcrotum oedemati, ſaepe etiam ſcirrho, opportunum reddunt. Plerumque tamen ſcrotum attollitur in hydropicis, iis prae caeteris, qui eo genere laborant, quod Graeci ὑπὸ τὴν σάρκα nominauerunt. Aquarum enim facilior tranſitus eſt ad illum contextum adipoſum, celluloſumque, quem ſcrotum ſub ſumma cute habere diximus. Etiam iis, quos ἀσκίτης, vel pectoris hydrops, cachexia, aliaque morborum longinquorum genera, male habet, pedes intumeſcunt, qui tumores, dum aſſurgendo ad ſumma femora inguinaque perueniunt, tandem etiam ſcrotum, eiusque contextum celluloſum, occupant, et in tumorem attollunt. Interdum tamen ſcrotum ex aliis cauſis intumeſcit, cum etiam in naſcentibus aliquando intentum tumidumque conſpiciatur. Ad hoc vero plurimum facere videtur, ſi partus in vtero aliter collocatus eſt, et modo commemoratae venae a membro quodam compreſſae fuerunt. In primis puerorum aetatulis hi tumores ſaepe ab illuuie ſordibusque naſcuntur, ſi illi non lauantur, neque lintea, quae iis ſubſternuntur, et inuolucra, vrinae et ventris proluuie, perfuſa, crebrius mutantur. Vrinae etiam difficultas, ſi in vrethra callus atque cicatrix, vel aliud quid concretum, ſe oppoſuit, vel, ſi minor aſperiorque calculus vrget, huius tumoris cauſam afferre poteſt. Dum enim vrina reddi non poteſt, illa rodit tunicas, et ſaepe in hunc cellu-

60) V. LIEVTAVD *c. l. Sect. IV. Art. XIX. p. 343.*

celluloſum contextum, vel δαρτὸν, irrumpit, atque ad penem, aliasque iuxta poſitas partes, procedit. (61)

§. X. Diſtat autem ab hydrope ſcroti, et originis, et curationis, ratione, vera hydrocele. Intumeſcit vaginalis tunica, cui ſpermatica vaſa innexa ſunt, ſi humor de abdomine in eam deſtillat. Nihil tamen ad id facere videtur ἀσκίτης, cum ex imo ventre nullus ſit humori per peritonaeum exitus. Eſt autem aliud hydropis genus, quod non raro aſcitis ſpeciem prae ſe fert, dum aqua illum contextum celluloſum intendit, qui extrinſecus peritonaeo inhaeret. Ex hoc genere, quod interdum ſolum eſt frequentius aliis ſpeciebus, praecipue illis, quas ἀσκίτην et ὑπὸ τὴν σάρκα vocamus, iunctum (62) fieri poteſt hydrocele, ſi humor ex illo contextu cellulóſo, quem peritonaeum habet, in vaginale teſticuli velamentum deſtillat. Supra enim retulimus, vaginalem tunicam ab illo contextu celluloſo incipere, atque ab eo per muſculi obliqui oſtium, vel annulum, deſcendere. (63) Longe tamen

61) Vide MONRO *c. l. p. 300.*

62) Vide huius hydropis deſcriptionem in ANT. NVCKII *Adenographia curioſa Cap. IX. p. 103. In Comm. Acad. Reg. Sc. Anno MDCCVI. p. 667.* a LITTRIO. *In Ephem. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. XXIII.* a LVCA SCHROECKIO. Plures in ea opinione ſunt, aſcite ſola laborantibus aquam ex abdomine in vaginalem tunicam defluere. Nullam autem viam eſſe, Anatome docet. Vid. etiam SHARP. *c. l. Cap. IX.* Rationem tamen non improbabilem, cur iis, quos aſcites male habet, vel, quibus ex aliis cauſis venter intumuit, interdum vera hydrocele naſcatur, adfert Doctiſſimus MONRO *c. l. p. 301.* Oſtendit enim vaginalem tunicam compreſſis venis ſpermaticis etiam, ea ratione, ac de aliis partibus dictum eſt, intumeſcere, et quaſi oedemate laborare. Premi autem venas, ab intento adductoque multum muſculo obliquo, atque ſic arctato eius oſtio, per quod vaſa deſcendunt.

63) Vide commemorabilem hydroceles hiſtoriam in FRID. HOFFMANNI *Conſultat. Sect. III. Cap. 56. p. 259.* Inciſo enim tumore, effuſaque aqua, protinus, et vix momento temporis, magna vis aquae defluxit, qua ſcrotum iterum fuit intentum. Sine dubio, cum vix alia via ſit aperta, haec aqua ex contextu celluloſo peritonaei deſcenderat. Similem fere hiſtoriam propoſuit LE DRAN *Traité des Operations p. 184.* qui, poſtquam ex hydrocele humorem, ſcroto perforato, euocauerat, non ſine admiratione deprehendit, in cellulis ſcroti humorem adeo increuiſſe, vt illud in tumorem ingentis magnitudinis attolleretur. Huius autem rei aliam cauſam ſubiecit Vir Clariſſimus. Cum enim in illo aegro alia hernia, et inteſtinum etiam deuolutum, eſſet, eumque caeteroquin aſcites male

men crebrius tunica vaginalis offenſis, quae extrinſecus incidunt, afficitur, vexaturque. Talis vero cauſa ſi praeceſſit, crebrius illud hydroceles genus naſcitur, et quod, recentiores ſcriptores ſecuti, cyſticum nominauimus, quod ex caeteris ſpeciebus frequentiſſimum eſſe exiſtimamus. Nec vero hoc, nec illud, ignorari oportet, hanc ſpeciem ſaepe medentibus opinionem facere, humorem inter ſpermatica vaſa et teſticulum atque contextum cellulosum circumfluere, cum ille tumor ab interioribus partibus propior ſit. Non ſemper tamen huius hydroceles cauſae euidentes ſunt, cum interdum aegri ipſi ignorent, qua occaſione tumor, qui a paruulo incepit, natus fuerit. (64) Id tamen crebrius ex ictu aliquo,

uale haberet, exiſtimat, aquam fuiſſe in illam peritonaei appendicem, quem Galli vulgo ſaccum appellant, contractam. Hac appendice perforata, et liquore effuſo, glutinatam quidem fuiſſe ſummam cutim, non vero protinus coire potuiſſe perforatum peritonaeum, igitur aquam de imo ventre deſcendiſſe, per huius vulnus in ſcroti cellulas, easque impleuiſſe.

64) Animaduerſione dignum eſt, quod de hydroceles origine reliquit REMBERTVS DODONAEVS Seculi XVI. autor in *Obſ. Medicinal. Cap. 38. p. 98.* et quod confirmare videtur HILDANVS *Obſeru. Chir. Cent. IV. Obſ. 66.* Scribit enim DODONAEVS, hoc vitium, vel a cauſis intus natis, vel ab offenſionibus externis, oriri. Si a cauſis latentibus fuerit profectum, multa obſeruatione exploratum eſſe, hydrocelem occupare ſemper ſiniſtrum ſcroti latus. Siniſtram vero venam ſeminalem, non ex caua, veluti dextra, ſed ab emulgente ſiniſtri renis, procedere, atque originem ſumere. Addit autor, quem vitalis humorum circulus, ab HARVAEO poſt eius tempora repertus, latuit: *Rene hoc (ſiniſtro) male affecto, nec officio ſuo probe fungente, vrinae pars, quam emulgens haec ad ſe pertraxit, cum ad veſicam per male affectum renem non poteſt deſcendere, per ſeminalem in erythroidem delabitur, et hydrocelem eo modo ingenerat.* Haec quidem a DODONAEO allata cauſa, his temporibus inepta, merito ridetur ab HEISTERO *de Hydrocele p. 17.* Hoc tamen accidere poteſt, vt, ſi ren calculis et arena laboret, vel cum his etiam vlcere iam exeſus ſit, ſanguini arena admiſceatur. Exiguus vero calculus ex vena renali pondere in venam ſpermaticam prolabi poteſt, et in ea ſanguinis refluxum turbare. Sanguinis refluxu, per venas impedito, oedema oriri, alibi probauimus. Fatendum tamen ex hac cauſa aeque intumeſcere poſſe ipſum teſtem, ac eius velamenta. Nec adeo frequens eſt, vt, qui hydrocele laborant, calculoſi ſint. Illud tamen adhibita obſeruatione proximum a vero viſum fuit longe crebrius ſuper ſiniſtrum, quam ſuper dextrum, teſticulum naſci hos tumores. Ad hoc attendere, vel probabiliorem cauſam inuenire, poterunt ii, qui in maioribus valetudinariis fere quotidianam his morborum generibus medendi occaſionem habent.

quo, et, ſi vaginalis tunica qua re vehementer premitur, vexaturque, fieri, obſeruatione compertum habemus. Etenim hoc aliquando viro accidiſſe meminimus, qui, cum in equum intractatum, nouumque, adſcenderet, femori ſcrotum teſticulumque ſubiecit, valenterque preſſit, vnde acerbiſſimus dolor, cum aliqua inflammatione, ortus fuit. His, neſcio qua ratione, ab alio percuratis, relictus fuit tumor, et vera hydrocele, quae adeo increuit, vt, cum homo meticuloſior ſcalpelli, vel acus triquetrae, operam repudiaret, humor, per ſe ruptis tunicis, effunderetur, id quod aliquoties, glutinato vulnere, et iterum increſcente humore, contigit. In iuuene, de quo infra dicetur, ſiniſtri lateris ſcrotum intumuit, poſtquam is illam ſedem, vbi ſpermatica vaſa cum ſuis velamentis ab inguine dependent, ſaepe multumque, atque etiam vehementius, preſſerat, et illud vaginale velamentum violauerat. Id vero mediante arcubaliſta factum eſt, quam huic loco, cum arcum tenderet, atque ſagittas neruo aptaret, crebrius impoſuerat. Nullum dubium eſt, variam occaſionem eſſe, qua illa interior, ſic dicta, vaginalis tunica, quibus vaſa ſpermatica innexa ſunt, poteſt offendi. Id vero etiam illi contextui celluloſo accidere poteſt, qua ipſum teſticulum comprehendi, ſupra retulimus. Nec aliam cauſam eſſe opinamur illius ſpeciei, in qua inter vaſa ſpermatica ipſumque teſtem, et inter illa celluloſa velamenta, aqua conſiſtere atque circumfluere dicitur. Nam, cum in omnibus his ſedibus atque tunicis, quas, ne inter ſe glutinentur, vdas eſſe oportet, humor tenuis limpidusque, roris inſtar, per exilia admodum itinera efferatur, isque iterum aliis fiſtulis venisque abſorbeatur, diſci poteſt, haec velamenta ab illo humore attolli, ſi hoc alterum genus fiſtularum, per quas ille reſorberi, et aliis humidis, atque ipſi tandem ſanguini, iterum affundi, debet, occoecatum eſt. Id vero, laeſa, vexataque, illa tunica, ex ictu atque inflammatione fieri, veri nobis ſimilius videtur, cum omnes membranae, et ille etiam ſpongioſus contextus, ſi vexantur, inflammanturque, facile indureſcant. Hoc ſi vni, alteriue, cellulae accidit, illa inflatur,

et ſaepe in immanem tumorem, tergoribus magis et magis occalleſcentibus, diſtenditur. Atque etiam euenire poſſe arbitramur, vt liquor, qui velamento ſuo incluſus fuerat, hoc tandem interiora verſus rupto, efferatur, et inter vnam alteramque tunicam circumfluat. Imo, ſi humor, qui ſuperiori ſcroti velamento, vel tunicae vaginali, qua vaſa ſpermatica comprehenduntur, ſubeſt, quotidie increſcit, is tandem pondere ſuo in inferiora atque in illud ſeptum nititur, quod tunica vaginalis, inter teſticulum atque vaſa medium, habere diximus. Vbi illud ſeptum diducitur, liquor viam inter teſticulum et illum teneriorem contextum celluloſum, in quo hic quaſi natat, reperit, id quod etiam incidere poteſt, ſi ille, accedente vetuſtate corruptus, ſeptum perrodit, partem inferiorem ſcroti implet, et tunicas adeo attollit, vt, nec viſu, nec tactu, ſentire poſſimus teſticulum. (65) Corrumpitur vero humor celerius, ſi ab initio ei aliquid ſanguinis fuit admixtum, et, ſi corpus mali habitus eſt. Deprehendimus etiam, nonnunquam hydrocelem relinqui poſt alias teſticulorum curationes, maxime, vbi hi a venereo morbo, retentaque mala gonorrhoeae materia, intumuerunt, et tumores calefacientibus cataplaſmatis fuerunt diſſipati. Nondum autem certo aſſeuerare poſſumus, num in his hominibus vitium a morbo proficiſcatur, et retenta mala materia, num vero a remediis, quae aduerſus inflammationem partium harum, glandulis ſimillimarum, adhiberi conſueuerunt. Etiam ii, quibus frequentior his morbis medendi datur occaſio, animaduertent, num in iis, quos venereus morbus male habet, liquor, qui ex hydrocele effunditur, ſemper alienatus, corruptusque, ſit: id quod caeteroquin ex aliis occaſionibus, maxime, ſi morbus ex ictu natus, et, vt mox ſcripſimus, aliquid ſanguinis extra vaſa miſſi humido fuit admixtum, incidere ſolet. (66)

§. XI.

65) Vid. GARENGEOT *Traité des Operations T. I. Cap. VI. Art. II. p. 455.*

66) Vid. exemplum in GARENGEOT *c. l. T. I. Cap. VI, Art. II. Obſ. 27. p. 451.* Caeteroquin humor, qui ex inciſa hydrocele emittitur, plerumque lymphae ſimilis eſt, et igne gelatur. Conf. Cel. HEISTERVS *de Hydrocele §. XVIIII.*

§. XI. Propriam vero animaduerſionem deſiderant ſigna, quae in quoque horum vitiorum genere habere poſſumus. Sunt autem, quaedam communia, quibus, ſcroti tumoribus humorem ſubeſſe, diſcitur, quaedam propria, quibus locus deprehenditur, quo ille conſiſtit. Ne vero variae ſpecies hydroceles aliis herniis confundantur, iam ſuperius ſcripſimus, veras hernias deorſum deſcendendo increſcere, hydrocelem vero, aliasque, quas ſpurias vocant, adſcendendo. Vt enim iam nihil de ſcroti hydrope commemoremus, in hydrocele, niſi illa ab aliis hydropis generibus, in toto corpore conſiſtentibus, orta fuerit, id quod raro euenire crediderim, vaſa ſpermatica in inguine ſine tumore ſunt, molliaque, et tumor non, niſi medias, vel inferiores, ſcroti partes, obſidet. Vbicunque etiam humor eſt, is, ſi digito premitur, cedit, circumfluensque id, quod non premitur, attollit. Humor, ſi limpidus eſt, (nam, eum, interdum ſanguine remiſceri, vel, putreſcendo corrumpi, ſupra retulimus) admoto lumine, tanquam in vitro, cornuue, per ſcrotum apparet. Caeteroquin tumor, qui ſine dolore eſt, ex paruulo incipit, et paulatim augetur, vt ſcrotum intentum ſe indies magis attollat. Nunquam vero tumor, etiamſi prematur, aut corpus aliter collocetur, ſe ex toto remittit, vel multum minuitur, quod in veris herniis fieri compertum eſt. Nam, ſi in oſcheocele, vel inteſtinum, vel omentum, deſcenderunt, etiam attollitur ſcrotum, ſed ratione modoque diuerſo. Oſcheocele enim plerumque ex bubonocele naſcitur, quae ex aliis cauſis repente oritur, ſi abdomen valde compreſſum, ictu grauiori violatum, concuſſumque, fuit, aut, ſi homo, retento ſpiritu, ſub aliquo pondere nixus eſt, aut, ſi is ſaltu ex eminentiori loco ſe praecipitem dedit. Tumor hic, qui ab inguine incepit, tandem, niſi vinctura adhibeatur, paulatim in ſcrotum deſcendit, dum inteſtinum atque epiploon pondere deuoluuntur. Quo vaſtius tumet ſcrotum, accepto maiori inteſtini omentique modo, eo magis etiam inguen, relaxato multum oſtio, vel annulo, impletur. Scrotum in oſcheocele tactu leue eſt, et lubri-

cum, aliquantum inaequale, quod, digito preſſum, cedit, non vero ita, atque ab incluſo humore fieri ſolet, intentum eſt. Nam in hydrocele, vbi humor valde increuit, is digito, ſicut vter repletus et arcte adſtrictus, obnititur, atque, vt loquuntur, elaſticus eſt. Oſcheocele, ſi ſupinus iacet homo, aut, ſi huc, illucue, conuerſo, aut alio quouis modo collocato, corpore tumor premitur, vel ex toto deſidit, vel, ſi pars eorum, quae exciderunt, iam cum laxato peritonaeo, et haec cum illo muſculi oſtio, cohaeret, ita minuitur, vt exiguae reliquiae maneant, dum ea, quae deuoluta erant, ad inguen compelluntur, id quod interdum, vbi inteſtina reuertuntur, cum aliquo ſonitu fit. Si vero in oſcheocele ea, quae deſcenderunt, compelli nequeunt, ſed valde ab arctiori oſtio premuntur, ea abdomini, inguinibus, ſcrotoque, acerbiſſimos dolores, inteſtinorum tormina, aliaque dira ſymptomata, quibus ſtomachus etiam afficitur, inferunt, id quod in hydrocele nunquam fieri poteſt, quae ſemper ſine dolore eſſe conſueuit. In inguine etiam, et eo loco, vbi per illud oſtium vaſa ſpermatica efferuntur, longe maior tumor eſt in oſcheocele, quam in vera hydrocele. In hac tamen is etiam locus ex humoris abundantia intumeſcere poteſt, vbi is peritonaei celluloſum contextum ſubiit, et ab hac in vaginalem tunicam defluxit. Sed longe difficilius eſt, ſarcocelen ab hydrocele diſtinguere, cum vterque tumor paulatim, a parte inferiori adſcendendo, increſcat, atque ſine dolore ſit. Nam in ſarcocele, praecipue, ſi tumori accommodata eſt faſcia, qua is leuatur, non prius dolores excitantur, quam, vbi tumor, ex quacunque occaſione excitatus, in carcinoma degenerat. Sed vero, teſticulum induratum eſſe, manu atque contrectatione experiri poſſumus. Aliter enim prementi digito renititur ὄγκος σκιῤῥώδης, lapidis inſtar durus, aliter, et vtris repleti adſtrictique in modum, tunica humore intenta. Nonnunquam in ſarcocele, quamuis plenior, duriorque, ſit teſticulus, ſpermatica vaſa, a quibus is dependet, integra ſunt, aliquando vero illa etiam dura, conglomerataque, inguen implent, et ſub cute viſu, tactuque, ſentiuntur. At

enim

enim aliud in ſarcocele diſcrimen eſt, quamuis illud oppido rarum eſſe crediderim. Interdum enim ſub illis tunicis mollis hebesque caro increſcit, id quod etiam tactu cognoſci poterit. Tumorem enim non aequalem, minime durum, lubricum, cutim vero non multum intentam, eſſe, in hoc caſu oportet. Sed vero, vbi incidit, vt in ὑδροσαρκοκήλη. et teſticulus durus ſit, et humor etiam, vel in hunc, vel in vaginalem tunicam, contractus, tumori ſubſit, indicia, quae mixta eſſe oportet, multum fallere poſſunt. Sedulo exquirenda eſt prima morbi origo, atque occaſio, eiusque incrementum, et tumor digitis contrectandus, vt is, qui curaturus eſt, veram morbi notitiam conſequatur, qui vero in his caſibus, in quibus ſigna obſcura ſunt, et ſaepe ab omni ſenſu atque intelligentia disiuncta, decipi interdum poteſt. (67)

§. XII. Sedes autem humoris ſic deprehenditur. In hydrope ſcroti, in quo, humorem ſub ſumma cute eſſe, ſcripſimus, totum ſcrotum ita intenditur, vt illa ῥαφὴ in medio maneat, quae, ſi hydrocele vnum latus occupat, in alterum detorquetur, et obliquatur. Scrotum in hydrope plurimum, et ita, diſtenditur, vt, increſcente tumore, etiam cutis penitus erugetur, tumorque albidior fiat, et aequalis. Praeter haec omnia, aquam inter ſummam cutim atque cremaſterem eſſe, notam habemus, ſi cutis, qua coles tegitur, ſimul attollitur, ita, vt hic nudari non poſſit, et vt ſaepe vrinae exiguum iter relinquatur, quod vitium Graeci φίμωσιν appellant. (68) Hoc in anaſarca, et aliis hydropis generibus, quae in toto corpore conſiſtunt, frequens eſt: aliter, atque ſolet in vera hydrocele, in qua, quo magis ſcrotum ab increſcente humore attollitur, eo magis ſuperior coles retrahitur, vt is etiam ſub tumore deliteſcat. Humorem, velamento ſuo, vel cyſtide, incluſum, in ſuprema vaginali tunica, qua ſpermatica vaſa comprehenduntur, et eius quadam cellula, coiiſſe, intelligimus, ſi ſcrotum ſuperius

67) Vid. HEISTERVS *de Hydrocele* §. *XXVII. p.* 23. confer §. *XXVI. p.* 21.

68) Quibus naturale eſt, vt glans nuda ſit, illis contrarium vitium oritur, quod παραφίμωσις dicitur.

rius, loco inter inguen et teſticulum medio, humore intentum, modo ſupra deſcripto, prementi obnititur, in inguine vero nullus, inferius non ita magnus, tumor eſt, ita, vt etiam teſticulus tactu ſentiatur, quod vltimum tamen non perpetuum eſſe arbitror. Hoc hydroceles genus frequentiſſimum eſſe, ſupra retulimus, quamuis Cl. HEISTERO illud inſolitum rarumque viſum ſit. (69) Nam, ſi humor nulla tunica incluſus circumfluit, tumor, remiſſior, prementi magis cedit. Si vero hoc genus in illo contextu celluloſo naſcitur, quo inferius teſticulus cum ſua albuginea tunica contegitur, tumet ſcroti infima pars, nec digito ſentitur teſticulus. Tandem, vbi humor ex illo peritonaei contextu celluloſo defluxit, et vaginalem tunicam impleuit, id ſcire poſſumus ex reliquo corporis habitu, et, ſi cum hydrocele totus venter intentus eſt. Inguen etiam tumore impletur, et, ſi, hoc inciſo, aqua effunditur, ea mox reuertitur, ita, vt maior eius modus irrumpat, atque etiam tumorem, priori longe maiorem, excitet, id quod ex iis, quae ſupra retulimus, intelligitur. Si, id quod interdum accidere ſolet, vitium non vna ſede (70) eſt, nec ſolum, ſed aliis iunctum, notas etiam mixtas eſſe, neceſſe eſt.

§. XIII. Sequitur, vt explicemus, quae pericula hydrocele, eiusque ſpecies, et quam etiam ſpem futurae curationis, oſtendant. Vniuerſe vero de his omnibus tumoribus dicendum, eos, qui, nullo antecedente morbo, coeperunt, nullo aperto periculo terrere. Scroti enim hydrops, in pueris ab illuuie ortus, ſi non cum alia noxa eſt, ſine negotio diſcutitur. Nec is terribilis eſt in adultis, ſi per ſe incepit, id quod aliquando a ſubito frigore, quod hominem inſuetum infeſtauerat, accidiſſe meminimus. Si vero ſcrotum ab vrina intentum eſt, quae, exulcerato itinere, viam in illud, eiusque δαρτὸν, reperit, vitium, quod ad gangraenam ſpectat, difficulter ſaneſcit. Nec ei, quod aliis hydropis generibus ſuperuenit, niſi priori morbo leuato, mederi poſſumus. Ac ne vera

69) *c. l. §. XXVIII.*

70) Vide hiſtoriam a MONRO propoſitam *c. l. p. 310.*

vera hydrocele quidem, nisi cum hydrope sit, in quo totum corpus tumet, vel, qui illum peritonaei contextum cellulosum occupat, adeo periculosa est. Nam, quamuis eius non facillima curatio sit, tamen raro superuenit inflammatio, sed humor, id quod iam retulimus, nisi, inciso tumore, euocetur, interdum, illo sponte rupto, effunditur. Vbi vitio vetustas accedit, et tumor multum augescit, ille colem fere condit, qui, retractus, geniali toro minus idoneus redditur. In hydrocele etiam id incidere solet, quod in aliis herniarum generibus deprehendimus. Scrotum inflatur, durumque fit, cuius moles, pondusque, et ex his aegro molestia, augetur. (71) Sanabilius est illud genus, quod cysticum vocamus, quam illud, vbi, iam corruptus humor vaginalis tunicae cellulas perrosit. Quid autem horum vitiorum curationes effecturae sint, et quid, tum de iis, quae medicamentis, tum de aliis, quae scalpello, fiunt, maxime de illa medendi via, qua humor ex inciso tumore effunditur, timeri, vel sperari, possit, ex propediem dicendis intelligi poterit.

§. XIIII. His enim cognitis, ad medendi rationem veniendum, quam, ab aliis aliam, propositam inuenimus. Qui illam artis salutaris partem, quae manu medetur, et cuius effectus euidentissimus est, vel ignorant, vel negligunt, in omni morborum genere, et in hydrocele etiam curanda, praesidium a solis medicamentis petunt, quibus tamen parum proficiunt. Inuenimus in veterum recentiorumque libris magnum numerum medicamentorum, tum simplicium, tum varie permixtorum, in quibus aduersus hos tumores praesidium esse, autores asseuerare haud dubitant. Sed vero, si omnia, et, prae caeteris, medicamentorum facultates, paulo diligentius perpendimus, animaduertere possumus, ex illorum autorum scriptis magis apparere, quid quisque persuaserit sibi, quam, quid euidenter compererit. Superuacaneum foret, si illas compositiones ex eorum voluminibus transcriberemus; imo nec nobis animus est, diuersas curandi vias, in quas ii proceſſe-

71) Vide HEISTERVS *c. l. §. XXXII.*

ceſſerunt, qui, efficaciorem medicinam, ad hos tumores tollendos, neceſſariam eſſe, cognouerunt, iam multis exequi. Igitur, miſſis, quae ab ingenioſiſſimis etiam Profeſſoribus excogitata fuerunt, nos in iis continebimus, quae, vel experientia in ipſis curationibus docuit, vel, quae, ab aliis propoſita, efficaciora, atque a vero propiora, videntur. Cum vero etiam de iis ſcroti tumoribus dicendum ſit, in quibus humor ſummam cutim diſtendit, quod genus ad ſcroti hydropem retulimus, ante omnia conſiderari oportet, num hic tumor ſolus ſit, num aliis hydropis generibus iunctus. Tumor enim nullam curationem recipit, qui alteri vetuſto morbo, maxime alicui hydropis generi, veluti anaſarcae, vel etiam oedemati, ſuperuenit, niſi ille prior morbus fuerit leuatus. Vbi tamen in hydropicis valde diſtenditur, non ſolum ſcrotum, ſed etiam cutis, qua coles tegitur, ita, vt tumor, praecluſo vrinae itinere, dolorem, exulcerationem, atque etiam gangraenae metum, adferat, ei ſuccurrendum eſt, et, inciſo paulo altius ſcroto, illoque contextu, quem δαρτὸν vocant, humor euocandus. Hoc, quod vſus docuit, etiam iubet SHARPIVS, (72) qui, nonnullos, quos hydrops nondum nimis occupauerat, effuſo per illa vulnera omni humore, ex toto conualuiſſe, affirmat. Recte autem monet, vtrinque, ſuper teſticulum, non exigua, ſed paulo altiori, maiorique, atque lunata, plaga incidendam eſſe cutim, atque ſic viam humori perficiendam. Id vero, quod ſuſpenſa manu ſecari oportet, minime lacerandum eſt, quare plagae faciendae ſunt ſcalpello, qui aciem habet, non hebetem, atque retuſam, ſed exactam, cum omnis plaga, retuſo telo illata, maiorem dolorem, inflammationemque, quae facile in gangraenam degenerat, excitare ſoleat. Ne haec ſuperueniat, cui nulla corporis ſedes magis opportuna eſt, quam ſcrotum, fomenta neceſſaria ſunt, quae aduerſus eam maxime poſſunt, et, quae protinus, inciſa cute, ſuperdari oportet. Addit tamen SHARPIVS, propter non vanum gangraenae timorem, in hydropicis viam humori melius, et minori

72) *c. l. Chap. VIII.*

minori periculo, perfici, inciſis ſupra talum tumentibus ſuris. In hac re CELSVM (73) ſecutus eſſe videtur, qui vero addit, *in his curationibus corpus etiam multa geſtatione concutiendum eſſe, atque vbi plagis inductae cicatrices fuerint, exercitationem eſſe adhibendam. Eas deſiderare famem, ſitim, et mille alia taedia, longamque patientiam. Hydropem facilius in ſeruis, quam in liberis, tolli, cum promptius ſuccurratur iis, qui facile coguntur, quam, quibus inutilis libertas eſt.* Alia, quae ad haec pertinent, leguntur in CELSO, quae omittimus, cum iam nobis animus non ſit, docere, quemadmodum in hydropis, in toto corpore conſiſtentis, curatione agendum ſit.

§. XV. Puerulis, qui cum tumido ſcroto in lucem editi fuerunt, nec non iis, quibus, iam natis, illud diſtenditur, vtilia ſunt fomenta, quae reprimunt, atque diſcutiunt. Aptae ad id ſunt herbae amarae, quibus, ſi tumor maiorem duritiem habet, quaedam adiici poſſunt, quae reprimunt. Haec ex vino rubro, auſtero, coquuntur, et ſuperdantur lanei mollesque panni, ex hoc decocto feruido bene expreſſi. Nec ſapo, ſi eius parum huic decocto adiicitur, alienus eſt. Si per noctem non ita frequenter, ac res poſtulat, mutari poſſunt fomenta, experiri licet ſuffimenta, ex Olibano, Maſtiche, Benzoë, Succino, quibus ſuffiri poſſunt molles laneique panni, et calidi ſuperimponi. Cutis in paruulis, imo etiam in adultis, ſaepe emplaſtrorum impatiens eſt, ſi autem illa haec ferre poteſt, emplaſtrum de Cumino non prorſus alienum eſſe, deprehendimus. Opus vero eſt faſcia, qua et panni, ſuper tumorem accommodandi, circumponendique, continentur, et ipſum etiam ſcrotum inuolutum, excipitur, quod hac ſuſtineri oportet. Illud faſciae genus, quo chirurgi vtuntur, ab vſu nomen traxit, et *ſuſpenſorium* dicitur, quod in omnibus ſcroti tumoribus, de quibus, ne increſcant, metus eſſe poteſt, non tam vtile, quam neceſſarium, eſt. Conſui illud poteſt ex panno, vel tenerioris texturae lineo, vel ſerico, eoque cerato, quod panni cerati genus in his pue-

73) *Lib. III. Cap. XXI.*

puerorum curationibus tanto magis requiritur, quod caeteroquin tumor ex faſciis, atque linamentis, lotio madentibus, grauem offenſionem accipere poteſt. Plura alia omitto, quippe quae communia, et nemini ignota, ſunt, quamuis, iis neglectis, ſaepe omnis medendi ratio fallere poſſit. Vt pauca commemoremus: pannos vino madentes, quam maxime calidos quis ferre poteſt, admoueri oportet, haud tamen feruidos, ne illis ſedibus, quibus propter teneriorem cutim exquiſitior ſenſus eſt, vis inferatur. Nocentiſſima enim ſunt, et frigus, et nimius humor. Etiam in paruulis adhibenda eſt munditia, fugiendaque eſt illa, quam reprehendimus, foediſſima illuuies, quam ſolam non raro hos morbos facere ſupra retulimus. Oportet, ſi, propter hanc, aliasque cauſas, faſciae reſoluendae, pannique tollendi, mutandique, ſunt, dum pars, quae laborat, deoperitur, ſummo ſtudio auertere aëra, qui omnibus inflammatis peſtilens eſt, ſiue fuerit calidus, ſiue frigidus. Igitur adhibendum eſt ignitabulum, et noui panni quam celerrime cum faſcia iniiciendi ſunt. Si vina nimis caro veniunt, herbae illae ex aqua coqui poſſunt, in qua viua calx extincta efferbuit. Duo vero in ſcroti curationibus, ſiue illae pueris, ſiue adultis, adhibeantur, vitanda ſunt, ne tumor occalleſcat, et, ne, adhibitis nimium mollientibus, in ſumma cute exulceratio atque gangraena naſcatur. Nam hoc vitium malis vlceribus adnumerari poteſt, cum ſerpat, atque per omne ſcrotum continuetur, quod quandoque totum corrumpitur.

§. XVI. Vbi autem ſcroto ſubeſt vrina, quae viam ex vrinae itinere exulcerato ſibi reperit, res maiorem ſedulitatem exigit. Oportet protinus ſcalpello cutim crebro concidi, vt humor euocetur, qui natura ſua acris eſt, atque, dum in membranis, maxime in cellulis ſpongioſi contextus, in quibus conſiſtit, corrumpitur, inflammationem gangraenamque mouet. Vt autem vera ſanitas ſcroto reddatur, proſpiciendum eſt vlceri, quod interdum difficilius ſaneſcit, et ſcalpelli etiam operam deſiderat. Caetera, quae ad ſcrotum attinent, prioribus fere ſimilia ſunt. Superhaberi

opor-

ri oportet fomenta, quae aduerſus gangraenam atque putredinem maxime poſſunt.

§. XVII. Sed vero, et genere vitii, et ratione curationis, ab his tumoribus diſtat hydrocele, atque diuerſae eius ſpecies, quae medicamentis haud vincuntur, ſed manus auxilium deſiderant. Emittendus enim eſt humor ex omnibus illis ſedibus, in quibus is conditus haeret, id quod optime fit, ſi tumor ſcalpello inciditur. Nam, qui illum, impoſitis adurentibus, aperiunt, iis nihilominus ſaepe ferro opus eſt, ſi medicamentum non tranſiit, vel, ſi plaga non ſatis patet. Vbi vero medicamentum altius deſcendit, offendere illud poteſt partes neruoſas, et periculoſiſſimam inflammationem, cum graui dolore, mouere. Non pauci, qui tumorem aperire volunt, ad id vtuntur ferramento illo, quo venter, ſi hydropicis aqua emittenda eſt, perforatur, quod, ſi quis adhibere velit, paulo plenius eſſe debet, quale CELSVS (74) deſcribit, vt *tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat.* Sumus vero in ea opinione, praeferendum eſſe ſcalpellum anceps, mittendo ſanguini idoneum, quod et eo plaga minori dolore fit, et illa etiam celerius ſaneſcit, quam vulnus, quod ictu illatum, laceratum, atque colliſum, eſt. Quocunque autem ferramento plaga fiat, (nam ſcalpellum nonnulli, vel ideo, quod illud anceps eſt, repudiant,) (75) curam haberi oportet, ne quam arteriam, venamque, laedamus, et ne attingamus teſticulum. Igitur is, qui tumorem incidendo curaturus eſt, digitis, tactuque, inueniat teſticulum, qui in illo primo genere hydroceles, vbi tumor ſupremam tunicam vaginalem occupat, inferiori ſcroto proxime ſubeſſe ſolet. Quantum tamen res permittit, tumor ſemper parte inferiori aperiatur, ita tamen, ne ad ipſum teſticulum ferramentum perueniat, neque hic, neque epididymis, laedatur. Nec ἡ ϛαφὴ vulnerari debet, nec illud, quod ab hac ſurſum procedit, ſeptum. Quo

74) *Lib. VII. Cap. XV.*

75) Inter hos, prae aliis, GARENGEOT *Traité des Operations l. c.*

Quo melius incidi possit tumor, chirurgus eum altera manu paulo vehementius comprehendat, leniterque premat, vt, humore in angustum, et ad latus, compulso, spermatica vasa, quae violari possunt, in tuto sint, et vt humor etiam protinus per factam plagam exeat. Emittitur vero is, vel per hanc, vel, si quis illud ferramentum adhibuerit, quo ascite laborantibus venter perforatur, per fistulam argenteam, (cannulam vocant) quam illud habet. Euocata omni aqua, etiam haec fistula recipitur, et vulnus paulum diducitur, vt, si quid humoris superfit, illud emittatur. Scroto autem subiicienda fascia est, qua, ne id saepius dicendum sit, in his curationibus semper sustinendi sunt testiculi, cum suis velamentis. Incidere tamen potest, vt, quamuis demisso sic scalpello, alioue ferramento, aliquid humoris exeat, eius adhuc multum remaneat, et tumor non prorsus desidat. Ex quo, si hoc deprehenditur, scire licet, plura tubercula, humore intenta, illis supra descriptis velamentis inhaerescere. Tum altius demittendum scalpellum est, et, vel plaga amplianda, vel, si alter tumor longe a priori abest, noua facienda, atque is etiam aperiendus, est. In his vero curationibus haud festinanter agere oportet, sed semper videre, vt omnia tuto fiant. Nam, si maior plaga, vel altera etiam facienda est, inflammatio superuenire potest, cuius et alia, quae ex sanguinis profusione circumstant, pericula, occasione alterius medendi rationis, qua hydrocele prorsus tollitur, explanabimus. Nam plerumque haec, quam proposui, nullum discrimen habet, et, effuso humore, plaga sine mora glutinatur. Cura tamen habenda est, ne, si intus aliquid sanguinis coiuerit, illud relinquatur.

§. XVIII At vero haud sanat humor sic emissus, sed, dum in affectis tunicis vitium, vnde ille coepit, remanet, is breui, et, postquam inducta vulneri cicatrix fuit, renascitur. Quare vel haec curatio frequentius, vbi humor iterum inter tunicas increuit, repetenda est, vel ingredienda est alia medendi via, qua omnis morbus tollitur. Quoniam autem in hac plura, et genera, et tempo-

ra,

ra, periculi ſunt, ad eam feſtinare nullo modo conuenit, ſed prius illam, minus arduam, experiri, qua, quamuis id non ita frequenter fiat, etiam morbus finiri interdum poteſt. Imo ſunt non pauci, inter praeſtantiores et expertiſſimos viros, qui hanc, quam expoſituri ſumus, medendi rationem, veluti nimis ancipitem, et, quae adhiberi ſine pernicie vix poſſit, repudiant, et malunt, quoties ſcrotum plenius eſt, toties tumorem incidi, atque aquam euocari. Addunt enim, morbum ſic trahi poſſe, cum is talis ſit, vt hominem non interimat, nec, quo minus is ad vltimam ſenectutem peruenire poſſit, prohibeat. (76) Si vero id ſubiiciendum eſt, quod proximum vero nobis videtur, fatemur, neque omnem hydrocelem hanc curationem admittere, neque eam omni tempore, neque in omni aetate, neque in corpore, quod ex aliis morbis infirmum, vel mali habitus, eſt, ſine metu adhiberi poſſe, ſed vero tamen illam in corpore iuuenili integro, atque periculis non adeo opportuno, ſi omnia diligenter circumſpecteque fiant, et is, qui medetur, moderatione vtatur, ſatis tutam eſſe exiſtimamus.

§. XVIIII. Eum autem, qui hydrocelem ita curaturus eſt, vt tumor haud reuertatur, duo facere oportet, aquam emittere, et vitium, vnde ea coepit, tollere. Aqua autem ex duabus cauſis defluere, et increſcere, videtur, vel ex rupto lymphae receptaculo, vel, ſi ora venularum intercluſa ſunt, quibus humor, qui naturaliter inter tunicas exſudat, abſorbetur. Vltimum frequentius fieri videtur in cellulis vtriusque tunicae vaginalis, tum illius, qua vaſa ſpermatica comprehenduntur, tum alterius, qua teſticulus cingitur, quando cellulae qua parte, ex variis occaſionibus, occalluerunt. Id vero, quod in his tunicis durum eſt, atque alienatum, reſolui poteſt, vel ferro, vel medicamentis rodentibus, adurentibusque, vel etiam moto pure. Ex diuerſis auxiliis, quibus illud, quod occalluit, aufertur, diuerſam medendi rationem duxerunt autores. Nam, qui expeditiſſimam curationem adhibere

76) Vid. SHARP *c. l.*

maluerunt, ſcalpello vſi ſunt, quo maiorem plagam fecerunt, et huius etiam oras crebrius altiusque conciderunt. Alii vero adurentia, et, prae caeteris, illam compoſitionem, quam lapidem infernalem vocamus, ſuper integram ſcroti cutem iniecerunt, vt per inuſtum vlcus humorem euocarent, quod vlcus, impoſitis medicamentis, pus alentibus, circumpurgatum, tandem, poſt multam ſuppurationem, (77) ad cicatricem perduxerunt. Inter eos etiam, qui optimum promptiſſimumque auxilium in moto pure eſſe cognouerunt, nonnulli id moliti ſunt lino torto xylino, mediante acu per ſcrotum traiecto. Linum autem, quod ſic ſcroto atque teſticulorum tunicis inſidet, et cui medicamentum, ad id idoneum, inducitur, quotidie trahendum eſt, ita, vt ſemper pars ſuperior, quae pura eſt, vlcus ſubeat. *Setaceum* vocant recentiores, quod, in his, aliisque, ſedibus ſic aptatum, vulnera, vlceraque, mordet, magnasque ſuppurationes mouet. Sunt etiam, qui oras plagae patentioris ſcalpello concidere, vel, admoto mercurio praecipitato, adurere, iubent. (78) Nec illam pus citandi rationem omittere poſſumus, quam ab ALEXANDRO MONRO (79) nuper propoſitam inuenimus. Recte is monet, aliis auxiliis, ſi, vel adurentia admoueantur, vel orae vlceris conciduntur, ſaepe grauiorem moueri inflammationem, cui non ita facile opitulari poſſit chirurgus. Igitur adhibendum eſſe aliquid, quo puris aliquanto amplius concitetur; oportere autem, vt id tale ſit, quod, ſi res id poſtulet, protinus poſſit tolli. Iubet igitur illud ferramentum, per quod hydropicis aqua ex ventre effunditur, in tumorem demittere, et, euocato humore, eius argenteam fiſtulam in plaga relinquere. Sic enim fore, addit, vt, paulo maiori excitata inflammatione, pus copioſius ex plaga feratur, atque etiam, vt inflammatio, ſi immodica viſa fuerit, et ex ea metus oriatur, protinus recepta fiſtula, poſſit leuari. §. XX.

77) Hanc medendi rationem prae caeteris contra alios, GARENGEOTVM, SHARPIVM, DE LA FAYE, qui in DIONIS Librum commentatus eſt, tanquam omni fere metu atque periculo tutam extollit Celeb. HEISTERVS *l. c. §. XLIII.*

78) Vid. RVYSCH. *Aduerſ. Anat. Decad. II. p.* 22, conf. HEISTERVS *c. l.*

79) *c. l. p. 308.*

§. XX. Ex his autem curandi rationibus, quas optimi, et recentiſſimi, autores propoſuerunt, intelligi poteſt, omne praeſidium in tollenda penitus hydrocele petendum eſſe a ſuppuratione, qua et illud, quod alienatum eſt, atque occalluit, digeritur, atque ſic tandem efficitur, vt illa velamenta, quae teſticulum et vaſa, ad eum pertinentia, circumdant, vaginales nimirum tunicae, tam cum teſticulo, quam cum cremaſtere, in vnum coaleſcant, et, ſaneſcente eo, quod vitiatum erat, glutinentur. Quod ſi vero a ſuppuratione omnis ſalus in his curationibus ſperanda, et, ſi nihil magis timendum eſt, quam immodica inflammatio, id, quod ex prioribus apparere cuilibet poteſt, ſcire licet, pus mouendum eſſe, ita, vt hoc inflammatione, quantum res permittit, fiat minima. Nam aliquem huius modum ad omnem ſuppurationem neceſſarium eſſe, nemo rerum noſtrarum peritus ignorat. Inuenienda igitur ſunt auxilia, quae, quaſi blandiendo, illam mouent, vt non ſolum maior modus optimi puris ex plaga, per quam aqua emiſſa fuit, exeat, ſed etiam, vt in aliis ſedibus, ab hac remotioribus, in quibus aliquid alienatum eſt, ex coëunte humore, tubercula ad ſuppurationem ſpectantia naſcuntur.

§. XXI. Quibus vero auxiliis hoc fieri poſſit, ſcire facile erit, ſi iam ea, quae Praeſes in his rebus expertus eſt, retulerimus. Inoffenſae firmaeque valetudinis iuueni, viginti circiter annos nato, intumuit ſiniſtri ſcroti pars ſuper teſticulum. Praeſidem conſuluit, qui, indiciis ſupra expoſitis, cognouit, eſſe hydrocelem. In ſcroto tumor grandis fuit, in inguine vero, vbi ſpermatica vaſa per illud oſtium feruntur, nullus. Cauſam huius valetudinis inueſtiganti nulla probabilior reperta fuit ea, quam ſupra adduximus. Arcum intendens arcubaliſtae, hanc inguini impoſuerat, et absque dubio illud vaginale velamentum offenderat. Ei, qui ex alia vrbe, et peregrinus, erat, conſilium dedit Praeſes de aperiendo tumore, emittendaque aqua, praedixit vero, ex hac medendi ratione vix ſperandum eſſe, vt morbus finiatur, ſed fore, vt iterum, increſcente humore, tumor reuertatur. Conſilium ſe-

cutus eſt aeger, idque executus eſt doctus rerumque ſuarum intelligens atque peritus Chirurgus, artem ſuam in illa vrbe cum laude exercens. Res feliciter ceſſit, et euocatus ſine omni incommodo fuit humor ſubalbidus, tenuis, lymphae ſimilis, nihil olens. Sed vero breui poſt, increſcente iterum humore, tumor reuertit, quare rurſus ſcrotum incidendum fuit. Nobilis et egregie cordatus iuuenis maluit efficaciorem medendi rationem experiri, quam, diu, auxilio adhibito, quo morbus ex toto finiri non poſſit, vexari. Vrbem igitur noſtram adiit, adducto etiam illo Chirurgo. Ante aliquot diebus corpus praeparatum fuit modico atque ſalubri victu, alui ductione, ſanguinisque miſſione. Inciſus fuit tumor plaga, ad duos, tresue, circiter pollices longa, emiſſusque omnis humor. Purum linamentum fuit vulneri impoſitum, et in hoc nihil, nec conciſum, nec exciſum. Altero die inflammatio ſe oſtendit cum febre atque etiam dolore, qui ad lumbos vsque aſcendit. Non tam ſcrotum intumuit, quam teſticulus, qui, multo plenior factus, atque durus, tactu, dolorem excitauit. Iterum inciſa vena, ſanguinis detractione leuata febris fuit. Sanguis, qui paucis diebus ante optimus fuerat, nec nimium tenuis, nec craſſus, iam percraſſus fuit, et tenaciſſimum habuit coagulum, quod cum veteribus φλέγμα φλεγμωνόδες appellare licebit, ex quo notam habuimus, febrem vrgere, et multum inualuiſſe inflammationem. Itaque, ne ex hac periculum oriretur, ſuperimpoſita ſunt cataplaſmata, ex reſoluentibus mollientibusque mixta. Haec enim, quae minime humida eſſe oportet, modo ita ponantur, ne pondere noceant, neque, vel vulnus, vel vaſa ſpermatica, vrgeant, his ſedibus magis accommodata ſunt, quam fomenta, pannique ex liquoribus expreſſi, qui aliis inflammatis ſedibus ſuperhaberi ſolent. In ſcroto enim mala vlcera metuenda eſſe ex humidis, quae infirmando offendere contextum celluloſum poſſunt, ex ſupra dictis ſciri poteſt. Etiam ob id illa faſcia, quam ſupra deſcripſimus, eaque paulo magis adducta, et ſcrotum, et cataplaſmata, comprehenſa, fuerunt. Cum etiam in his curationibus ad rem pertineat, hominem recte iacere,

is

is ſupinus collocatus fuit, pectore paulo demiſſiori. Cibus fuit modicus, et potio quam dilutiſſima. Seruataque fuerunt omnia, quae ad abſtinentiam pertinent, quae eo magis neceſſaria fuerunt, quo magis vrgeret inflammatio, et intumeſceret teſticulus. Tandem vero pus ſe oſtendit, non ſolum in vulnere, ſed etiam in alia ſcroti ſede, quae a vulnere aliquantum abfuit. Tuberculum enim ortum eſt, ab initio durius, atque renitens, mox in pus vergens molle, ac prementi digito cedens, quod, vbi maturuit, ſcalpello aperuimus. Effuſa ex hoc magna vi puris, ſe remiſit febris atque inflammatio, et dolor, quo lumbi, prae caeteris, ardebant, leuatus eſt. In cataplaſmatum vſu autem perſeuerandum fuit, quod teſticulus adhuc admodum tumeret. Sed vero, et in alia ſcroti ſede ortum fuit tuberculum, quod, noua inflammatione cinctum, etiam febrem mouit, quod vero iisdem cataplaſmatis ad maturitatem perductum, tandemque per ſe apertum, fuit. Pure, quod optimum erat, emiſſo, protinus multum detractum fuit, et inflammationi, et tumori, omniaque ad naturalem habitum reuerterunt. Vlcera vero aptis medicamentis, pus mouentibus, purgata, linamentis puris impoſitis, ad cicatricem peruenerunt. Per illas igitur ſuppurationes, in teſticuli atque vaſorum ſpermaticorum velamentis ortas, morbus omnis finitus fuit, ita, vt homini, iam per plures annos recte valenti, nullum eius veſtigium fuerit relictum.

§. XXII. Alia huius curationis ſalubritatem experiendi occaſio ſe breui poſt obtulit Praeſidi, qui tamen fatetur, ſe fere inuitum coactumque eam adhibuiſſe Viro Praenobili, ingenio, virtute, nomine, ornatiſſimo, ſibique propter amicitiae ſuauitatem coniunctiſſimo. Huic enim, cum infirma valetudine eſſet, vt ex pulmonibus frequenti tuſſi pus excrearet, interdum etiam ſanguinem expueret, intumuit ſcrotum ſuper ſiniſtrum teſticulum. Tumor, qui grandis erat, moleſtus fuit, et optimo viro odioſus, quamuis ſine dolore eſſet. Praeſes conſilium dedit de aperiendo tumore emittendaque aqua, praedixit vero, et huic aegro, morbum

bum ſic finitum non iri, ſed reuerſurum eſſe tumorem. In corpore enim imbecillo, gracili, atque aliis morbis extenuato, periculoſior viſa fuit illa medendi ratio, quae ſine excitata inflammatione adhiberi nequit. Statutum itaque fuit, facta minori plaga, humorem euocare, et huic protinus cicatricem inducere. Cum vero homini conſuetudo eſſet, vt ſibi quotannis aliquantum ſanguinis detrahi ſineret, ad illud tempus dilata fuit curatio. Poſt ſanguinis miſſionem ſcalpello ancipiti apertus fuit tumor, et effuſus copioſus humor, minime malus, ſed, qualem ſupra deſcripſimus. Primo die ſatis bene ſe habuit aeger, vt de ſanando etiam vulnere cogitaretur. Sed vero breui poſt periculum oſtendit multa ſanies, quae ex vulnere ferebatur, ab initio aquoſa, mox ſubrubra, et ſanguinolenta, ita, vt tandem tertio, quartoque die, ſanguis fere ſincerus cum impetu rueret. Ab initio puris linamentis, poſt etiam ſpiritu ardente madentibus, vulnus impletum, tandemque ſanguis ſuppreſſus, fuit. Sed vero, cum hactenus inflammatio modica fuiſſet, quod in ipſo ſanguinis curſu aduerſus eam auxilium eſſet, illa poſt, retento ſanguine, non parum increuit, ita, vt, incurſante febre, teſticulus intumeſceret, et dolor etiam, ſatis acerbus, ad lumbos tenderet. Superimpoſita fuerunt illa cataplaſmata, et in vulnus demiſſum medicamentum, ad digerendum pusque concitandum opportunum. Eadem ſecuta ſunt, quae ſupra comprehendimus, et puris paulo amplius ex vulnere exiit, ortaque fuerunt alia tubercula, pus alentia, quibus apertis, purgatisque, ſublatus fuit omnis metus, et cuncta ad ſanitatem peruenerunt. Etiam huic viro, quem ex hac medendi ratione propter corporis habitum magis periclitatum eſſe, haud inficiamur, ab illo tempore in iis ſedibus nullus ex confluente humore renatus fuit tumor.

§. XXIII. Nunc vero ex his apparere poteſt, hos aegros curatos fuiſſe cataplaſmatum calefacientium vſu, quo in illis ſedibus, in quibus aquarum fontes fuerunt, mota fuit inflammatio, ad ſuppurationem ſpectans. Pure autem moto, digeſtum fuit mollitum

atque

atque purgatum omne, quod vitiatum erat, et occalluerat. Componenda autem ſunt haec cataplaſmata ex mollientibus herbis, adiectis tamen paucioribus aliis, amaris, quae reſoluentibus adnumerari conſueuerunt. Ita debent ex aqua coqui, vt ſint minime humida, ſed fere ſicca, haud vero aduſta: etiam debent ita temperari, vt, non tam manui, quam oculo, impoſita, ſint iucunda. Tanto magis vero tuta ſunt haec cataplaſmata, ſi iis pus moueri poteſt, quod illa aduerſus vehementem in his ſedibus inflammationem pulcherrima, et fere vnica, auxilia ſunt, quibus ſolis, ſi ex aliis occaſionibus ſcrotum, teſticuli, horumque velamenta, inflammantur, vti ſolemus. Etiam, ſi ab iis aliquid metuendum foret, illa protinus poſſent auferri. Dum autores, qui de hydroceles curatione ſcripſerunt, lego, inuenio, HIERONYMVM MARINI, (80) Profeſſorem Romanum, fere iam eandem medendi viam ingreſſum eſſe. Is enim iubet in plagam, ſcalpello factam, turundam demittere, ex cereo, vnguento de althea, circumlito, et emplaſtris emollientibus tumorem, vt loquitur, digerere. (81) Sed, cum non omnis cutis emplaſtrorum patiens ſit, et, cum cataplaſmata etiam, modo recte fuerint parata, inflammatis amiciora ſint, haec illis praeferenda nobis videntur.

§. XXIIII. Eſt vero curanti neceſſarium, noſſe illorum periculorum, quae in his curationibus circumſtant, cauſas, a quibus, ſi euidentes ſunt, omne conſilium, medendique ratio, petenda eſt. Quod igitur ad inflammationem attinet, id neminem ignorare arbitramur, huius aliquem modum eſſe in omni vulnere. Eſt vero illa vehementior, ſi quae pars neruoſa, qualis albuginea teſticuli tunica eſt, laeſa fuit. Id, cum nemini ob-

80) *in Pratica delle principali Operazioni di Chirurgia, in Roma, MDCCXXIH Cap. XIIII. p. 230.*

81) Vid. de hoc HEISTERVS *c. l. §. XXXXV.*

obſcurum ſit, hoc tamen forte nonnullos latere poteſt, cur, inciſa vaginali tunica, teſticulus adeo intumeſcere, atque inflammari, ſoleat. At enim hic animaduertendum eſt, quod ſupra expoſuimus, illam ſupremam tunicam vaginalem a contextu celluloſo, quem extrinſecus peritonaeum habet, oriri, et ſpermatica vaſa, quae per muſculi obliqui oſtium ad teſticulum feruntur, huic innexa eſſe. Nam hoc velamentum, ſi inflammationem accepit, multum inflari ſolet, ita, vt tumor ad illud muſculi oſtium vſque aſcendat. Hoc autem, quod ex tendine durum eſt, ac renitens, inflatam tumentemque tunicam premit, atque etiam ideo illa vaſa vrget. Preſſis vero venis, partes, membraque, a quibus illae procedunt, intumeſcere, ex iis, quae ſupra retulimus, intelligitur. Quare etiam, pure in plaga orto, atque ſe per illud remittente inflammatione, omnis, tum velamenti, tum teſticuli, tumor breui minuitur, atque tandem prorſus diſſipatur. Igitur etiam, in his caſibus, a celerius excitata ſuppuratione omnis ſalus ſperanda eſt, id quod optime, cataplaſmatis impoſitis, obtinetur.

§. XXV. Alterum periculum, quod ex ſanguinis profuſione in his curationibus oriri poteſt, ſingularem animaduerſionem deſiderat. Hoc vero non omnibus, qui ſic curantur, ſed illis potiſſimum, imminere videtur, quibus ſcrotum valde intentum fuit, et vbi vitio vetuſtas acceſſit. Prae caeteris etiam obnoxia huic periculo eſſe videntur corpora fluxa, atque reſoluta, praecipue, quibus, propter pulmonum, aliorumque viſcerum, infirmitatem, ſanguis non recte confectus eſt, ſed nimium tenuis, et qui dilutior ſine mora per vaſa ruit. Ad veram autem, proximam, morbumque continentem, cauſam attendenti manifeſtum eſt, ſanguinem ruere, propter ſummam vaſorum imbecillitatem. Vaſa enim, arteriae atque venae, in eiusmodi tumoribus multum diſtenduntur, amplianturque, ita, vt fibris, ex quibus haec

rece-

receptacula compoſita ſunt, tandem omnis vis deſtituatur. Relaxata igitur reſolutaque vaſa, quamuis exinanita, ſe contrahere nequeunt, et, ob id, omne humidum transmittunt. (82) Vaſorum enim imbecillitatem veram huius profuſionis cauſam eſſe, ex modo apparet, atque tempore, quo illa ſanguinem fundunt. Omnes enim norunt, ex aliis, ſcalpello, vel quouis telo acuto, illatis, vulneribus, niſi maiores arteriae praeciſae fuerint, mox, poſt ictum illatum, ſanguinem cum impetu ruere, colore rubicundum, ſincerum, craſſumque. Impetus vero, vbi ſanguis per aliquod tempus fluxit, ſe remittit, et exit ex vulnere longe minor eius modus, qui iam dilutus eſt, rarus, pallidus, ac fere ſubalbidus, tandemque interciſae arteriae, venaeque, in ſe ipſae coeunt, quarum orae a ſanguine per aëra coacto praecluduntur, ita, vt omnis ſanguinis curſus per ſe finiatur. In his vero caſibus, vbi vaſa reſoluta ſunt, ex vulnere recenti ſanguis fertur, ab initio non ita multus, breui etiam is conquieſcit, ſed vero, dum, incurſante auctaque febre, ſanguis concitatur, et arteriae celeriores ſentiuntur, exit humor copioſus, tenuis, ſubalbidus, colore ſero ſubſimilis, quo linamenta, vulneri impoſita, madent. At vero, non tantum huius humoris profluuium indies augetur, vt, pro modo vulneris, eius maior vis exeat, ſed etiam color mutatur, ita, vt humor ſanguinolentus fiat, tandemque, niſi ſupprimatur, ſanguis ſincerus, rubicundus, atque etiam copioſus, cum impetu ruat, cuius profuſio timorem facere poteſt, ne corpus exinaniat, atque hominem perdat. Haec Praeſidem experientia in ipſis curationibus docuit, qui tamen haud inficiatur, plurimum conferre alia quaedam, veluti, ſi aeger, qualem deſcripſimus, intemperantius cibo, vino, alioue potionis valentioris genere, vſus ſit,

82) Arterias praeciſas ſe contrahere, et ad ſupprimendum ſanguinem, ex vulnere ruentem, plurimum conferre, oſtendit, et doctrina, et arte clarus inter Gallos Chirurgus, SALVATOR MORANDVS *in Comm. Acad. Reg. Sc. MDCCXXXVI. p. 440.*

quietem neglexerit, neque contentionem fatigationemque animi vitauerit.

§. XXVI. Ab his vero euidentibus cauſis etiam medendi via trahenda eſt. Nam, cum aduerſus omnem ſanguinis profuſionem optimum tutiſſimumque auxilium ſit in modica vulneris, vaſorumque praeciſorum, compreſſione, (83) haec tanto magis neceſſaria eſt, vbi, id quod ex iam dictis intelligi poteſt, vaſa, quae ſanguinem fundunt, relaxata, ampliataque, ſunt. Nam omnia medicamenta, quae ad ſanguinem ſupprimendum apta dicuntur, vel parum ad id valent, vel, dum iis materia nimis valenter retinetur, dolorque concitatur, magnam inflammationem mouent, his partibus admodum periculoſam. (84) Quare his vulneribus, laxatisque vaſis, optime proſpicitur, ſi linamenta non tam leniter imponuntur, quam ſuper vulnus aliquantum fulta, ſuperimpoſitis etiam pannis, adſtringuntur, id quod fieri poteſt, ſi illa, quam ſupra deſcripſimus, faſcia, cui ſuſpenſorii nomen eſt, paulo arctius circumdatur. Haec vero res prudentiam moderationemque deſiderat. Nam, dum vulnus paulo magis premitur, videndum eſt, ne id nimium fiat, et ne vrgeantur, et vaſa ſpermatica, et teſticulus, cum ex horum offenſione, et ſi in oris plagae materia retineatur, atque puri nullus exitus detur, inflammatio multum increſcat. Quamuis illud vſu nondum compertum ſit, non penitus alienum videtur illud CELSI conſilium, qui ſcrotum ſpongia, acri aceto madente, circumdari iubet, (85) id quod tamen in corporis

83) Hanc rem ſingulari diligentia executus eſt IOHANNES LVDOVICVS PETITVS, *Chirurgus, in Comm. Acad. Reg. Sc. Anno MDCCXXXI. p. 122. MDCCXXXII. p. 535. MDCCXXXV. p. 591.*

84) Omnis generis medicamenta, aliaque auxilia, quae aduerſus ſanguinis profuſionem valere dicuntur, commentatione ſingulari comprehendit FRANCISCVS PETITVS, *Medicus, in Comm. Acad. Reg. Sc. Anno MDCCXXXII. p. 42.*

85) *Lib. VII. Cap. XVIIII.*

poribus infirmis, et, vbi haec ſanguinis profuſio ex reſolutis vaſis timetur, protinus, poſt illatam plagam, fieri oportet. Si quis deſiderat, quae de hac ſanguinis profuſione ab aliis fuerunt animaduerſa, is legat, quae Chirurgus Scotus, IACOBVS IAMIESON (86) propoſuit, et, quae de his omnibus commentatus eſt Praeſtantiſſimus et eminentioribus artis Profeſſoribus adnumerandus Vir ALEXANDER MONRO. (87) Aeger vero, his periculis, quae ex ſanguinis profuſione, atque etiam ex inflammatione, imminent, liberatus, ſalutem ſperare poteſt, totiusque morbi finem.

86) *in the Medical Eſſays Vol. II. Obſ. XIIII. p. 252.* 87) *c. l. Vol. V. p. 316.*

INDEX
DISSERTATIONVM.

Diss. I. *De Fistula lacrymali* p. 1.

II. *De Scarifatione Oculorum* p. 39.

III. *De Morbis ex Immunditiis* p. 70.

IIII. *De Thoracibus* p. 95.

V. *De Ossium Epiphysibus* p. 153.

VI. *De Calculo ad Vesicam adhaerescente* p. 195.

VII. *De Noxis ex cohibita Suppuratione* p. 218.

VIII. *De Victu et Regimine Lactantium* p. 251.

VIIII. *De negotiosa actione propter Valetudinem circumcidenda* p. 292.

X. *De Hydrocele* p. 336.

IOH. ZACHARIAE PLATNERI

REGI POL. ELECT. SAX. A CONSILIIS AVLAE ET

IN ACAD. LIPS. MED. PROF. PRIMARII ORD. MED.

DECANI PERPETVI

OPVSCVLORVM

TOMVS II.

PROLVSIONES.



ex Libris Lj. Letellier M.L.

LIPSIAE

PROSTAT IN OFFICINA WEIDMANNIANA

cIↃ IↃ CCXXXXVIIII.

rare, vt ea non temere data, ſed collocata, poſſint videri.

Sed, cum iam in iucundiſſima beneficiorum TVORVM commemoratione verſetur oratio, mihi noui beneficii a TE exorandi neceſſitatem eſſe impoſitam video, vt hunc librum, et ab Amicitia, et a Pietate, commendatum, beneuole excipere velis. Quod ſi euentus, vti pro TVA, VIR EXCELLENTISSIME, indulgentia credibile eſt, votis ſpeique reſponderit, ſummam felicitatem mihi conſecutus eſſe videbor. TV vero, VIR AMPLISSIME, perge eo in me eſſe animo, quo hactenus cum inſigni mea voluptate fuiſti.

Quod

Quod autem pietas iubet, in posterum quoque nunquam intermittam, vt pro TVA salute atque incolumitate faciam vota, tanto quidem ardentiora, quo sunt publice vtiliora. Viuas diu, in Academiae Lipsiensis et litterarum ornamentum atque incrementum. Vt autem TVVM in me animum nunquam velis mutare, potius a TVA constantia sperandum, quam multis precibus exorandum videtur.

TVO EXCELLENTISSIMO NOMINI

LIPSIAE D. X. APRILIS
cIↃ IↃCCXXXXVIIII.

DEVOTVS

FRIDERICVS PLATNER.

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

FRIDERICO MENZIO

PHYSICES

IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORI

PVBLICO ORDINARIO

PATRONO OPTIMO

SACRVM

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

FRIDERICO MENZIO

PHYSICES

IN ACADEMIA LVGDVNENSI PROFESSORI

ORDINARIO

PATRONO OPTIMO

Cum et propter TVAM erga patrem meum amicitiam familiaritatemque, et in me beneuolentiam, multis nominibus TIBI, VIR EXCELLENTISSIME, obſtrictus ſim, quorum expediendorum nulla mihi ſit, propter virium tenuitatem, facultas, quantum TIBI debeam publice profiteri, et hunc librum, meae pietatis reuerentiaeque erga TE pignus, TIBI volui committere; non quaſi TE, VIR EXCELLENTISSIME, de mea in TE obſeruantia, dubitare poſſe arbitrarer, cum in eo ſolitus ſim iucundiſſimi officii

partem reponere, vt meum TIBI ſtudium probare poſſem, ſed vt, quam libenter quantaque cum voluptate TIBI debeam, oſtenderem. Ea enim TVA eſt ſingularis atque TIBI fere propria humanitas, vt IPSE, nullam beneficiorum, in alios a TE collatorum, teneas memoriam. Quo certius autem haec obliuio a TVI animi magnitudine proficiſcitur, tanto quoque magis ingrati animi eſſet, ſi qui a TE beneficia acceperunt, ſuaui grataque eorum recordatione non tenerentur. Mihi vero, in quem quotidie fere ſoles beneficia conferre, non ſolum ſumma eorum memoria obuerſatur, ſed etiam in eo ſoleo allaborare,

IOH. ZACH. PLATNERI

OPVSCVLA

OLIM SEPARATIM

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PROPOSITA

NVNC IN VNVM CORPVS COLLECTA.

IOH. JACOB. PLATNERI

OPUSCULA

OLIM SEPARATIM

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PROPOSITA

NUNC IN UNUM COLLECTIA

PROLVSIO I.

DE CHIRVRGIA ARTIS MEDICAE PARENTE,

ORATIONE ADITIALI PRAEMISSA,

QVA

MVNVS ANATOMIAM ET CHIRVRGIAM EXTRA ORDINEM DOCENDI

D. XXVIII. FEBRVARII CIↃIↃCCXXI.

AVSPICATVS EST.

Chirurgia eadem cum Philoſophia fata obtinuiſſe videtur, quod vtraque a ſuis filiabus temporum ſucceſſu neglecta, et matris dignitate ad ſeruile munus ablegata, fuit. Hanc omni enim ſcientiarum et liberalium artium generi ortum pariter et incrementa dediſſe, inter omnes conſtat, quemadmodum et primum in Academia Pariſienſi ex tenebris in lucem reuocata et culta

fuit: Chirurgia vero, si vetustissima historiarum monumenta euoluimus, arti medicae sua praebuit initia, et inter ceteras, quas medici hodie tractant, disciplinas, prima omnium inuenta, atque ab iis, qui ἰατρῶν nomine vocabantur, vel sola, vel tamen inprimis, exculta fuit. Vtraque autem a filiabus, quas quasi enixa fuerat, contemta, et male habita, est; vt nunc philosophia et ordine sit posterior, et ancilla rel quarum disciplinarum vulgo appelletur; chirurgia autem a medicis clinicis nunc despiciatur, et ministris, quandoque minus rerum peritis, relinquatur. Vt tamen, relicta philosophia, medicinam, ex chirurgia prognatam, eo clarius ob oculos ponam; testatur sane de huius antiquitate ipsa natura humana, quae ab initio, vt cum SENECA (1) loquar: *firmis adhuc et solidis corporibus, et facili cibo non per artem voluptatemque corrupto*, reliquis artis nostrae partibus, quae luxu et intemperantia potissimum nutriuntur, non tam opus habuit, quam chirurgia, quae quascunque laesiones externas, ex labore, itinere, et reliquis, accidunt hominibus, vix euitandas, sanare aggressa est. Quid? quod ira, inuidia, rerumque auiditas, vitia, quae rixis, litibus et bellis occasionem dederunt, animos hominum longe prius infecisse videntur, quam mollities, luxuria, et libidinis immoderata cupido. Criticis relinquimus excutiendum, quo iure nonnulli vocabulum ἰατὴρ, vel ἰατρὸς, ἀπὸ τοῦ ἰῶ, quod telum significat, deriuant; (2) opinionem tamen firmare posset liber HIPPOCRATIS titulo ἰητρεῖα, siue de *medici officina*, insignis, in quo nihil, nisi, quod ad chirurgiam pertinet, conspicitur, vt sic ἰατρικὴ, origine vocis, magis medendi artem, quae manibus, quam, quae diaeta et remediis pharmaceuticis, perficitur, designare videtur. Vetustissima aetas varios

1) SENECA *Epistol. V.*

2) SEXTVS EMPIRICVS *aduersus Mathematicos*: Καὶ ὃν τρόπον ἰατρικὴ ἱερήτω μὲν τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως, ἐπικατηγορῆτω καὶ νῦν καὶ τῆς τῶν ἄλλων παθῶν ἀνασκευῆς, πολλῷ τεχνικωτέρας ὕσης. *Equidem* HERVETVS ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως *a succis venenosis eximendis deducit, sed recte ex* AEGIDII MENAGII *Amoenitatibus Iuris Ciuilis cap. 35.* HERVETVM *emendauit* FABRICIVS, *vt* ἐξαίρεσις ἰῶν *per telorum euulsionem interpretanda sit. Vide Edit. Geneu. aduersus Mathematicos p. 10. et Editionem Lipsiensem* FABRICII *L. I. cap. 2. p. 225.*

varios artis medicae autores recenſet, qui tamen, praeter herbas, quas, vt vulneribus mederentur, applicare poterant, nihil fere in reliquis eiusdem partibus praeſtiterunt. Vt taceamus CHIRONEM CENTAVRVM, qui, cum ſemetipſum ſagitta Herculis vulneraſſet, herba, quae ideo ſequenti tempore centauria et chironia vocata fuit, vulnus curaſſe dicitur, (3) quemadmodum et vlcera chironia, quae alias ancipitis curationis exiſtunt, quod illa peculiari dexteritate primus perſanauerit, ab eo nomen acceperunt. (4) Inter reliquos vero, qui medicinae prima poſuerunt fundamenta, AESCVLAPIVS celebratur, qui et eam ob cauſam in numerum Deorum relatus eſt. (5) CICERO tres eiusdem nominis fuiſſe tradit AESCVLAPIOS, quorum primus, APOLLINIS filius, ſpecillum inueniſſe, atque vulnera obligaſſe, ſecundus a Ioue fulmine percuſſus et Cynoſuris humatus, tertius vero dentes euulſiſſe, dicitur. (6) Patris AESCVLAPII veſtigia preſſerunt filii, PODALIRIVS et MACHAON, qui in bello Troiano magnam ſibi nominis famam, et artis peritia, et bellandi gloria, comparuerunt, teſtantur id verba HOMERI. (7)

Αὐταὰρ ἐπεὶ ἴδεν ἕλκος, ὀΘ' ἔμπεσε πικρὸς ὀιστὸς
Αἰμὰ ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια Φάρμακα, εἰδὼς
Πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ Φίλα Φρονέων πόρε χείρων.

Quo et PATROCLVS referendus eſt, qui, cum Medicus PODALIRIVS eſſet vulneratus, EVRYPYLVM ſanauit. (8)

Ἐνθά μιν ἐκλανύσας, ἐκ μηρῦ τάμνε μαχαίρῃ
Ὀξὺ βέλος περιπευκές. ἀπ' αὐτῦ δ' αἷμα κελαινὸν
Νίζ' ὕδατι λιαρῷ. ἐπὶ δέ ῥίζαν βάλε πικρὴν

3) *Vid.* PLINII *Hiſtor. natur. Lib. XXV. cap. VI.*

4) *Vid.* PAVLVS AEGINETA *Lib. IV. Cap. 46. et* IOH. HENR. MEIBOMII *Comment. in iusiurandum* HIPPOCRATIS *Cap. 16. p. 154. de Chironio vlcere* CELSVS *L. V. Cap. 28.*

5) CELSVS *L. I. Praefat.*

6) CICERO *de natura Deorum L. III. p. 22. confer le* CLERC *Hiſtoire de la Medecine T. I. L. I. Cap. 14. pag. 41.*

7) HOMERVS *Iliad. L. IV. v. 217.*

8) *Ibid. L. XI. v. 843.*

Χερτὶ διατρίψας, ὀδυνήφατον, ἣ οἱ ἀπάσας
Ἔχ' ὀδύνας. τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο πάυσατο δ' αἷμα.

Praeterea etiam, PODALIRIVM primum phlebotomiam exercuiſſe, quidam tradiderunt, (9) vt ſic liquido pateat, et horum cognitionem in chirurgia maximam partem ſubſtitiſſe. Quae inſecuta ſunt tempora, PLINIO teſte, nocte denſiſſima latuerunt, (10) quibus tamen et reliquae artis medicae partes in lucem vocari, et a ſucceſſoribus AESCVLAPII in ſcholis, quas variis in locis inſtituerunt, tradi coepere: (11) hinc etiam titulus medici, ἰατρὸς, a chirurgo, quem ab initio deſignabat, in clinicum tranſiiſſe, videtur, vt eodem quilibet medelam corpori humano afferens fuerit inſignitus. Omnes tamen, qui hoc eo tempore tentarunt, empirici fuere, ſola experientia contenti, qui ideo etiam nihil literis conſignarunt, niſi, quod philoſophi, et inter eos maxime PYTHAGORAS, EMPEDOCLES, et DEMOCRITVS, rationibus et philoſophia conquiſitis, medicinam illuſtrare aggreſſi fuerint, quo ſucceſſu, nunc non diſpiciamus. (12) De iis vero, quae propius ad chirurgiam ſpectant, vsque ad HIPPOCRATEM nihil fere memoriae proditum eſt, Is autem, qui a maioribus relicta artis monumenta ſedulo collegit, et propria obſeruatione auxit, ſummam exinde in gloriam venit, ceterosque omnes longe ſuperauit. Quod vero chirurgiam intactam haud reliquerit, ſed eam potius vario modo illuſtrauerit, non ſolum liber de *Medici officina*, ſupra memoratus, ſed et reliqui, qui de *capitis vulneribus*, *fracturis*, *articulis*, et *aliis chirurgiae partibus*, agunt, ſatis teſtari poterunt: (13) Sunt autem

9) *Vid. le* CLERC *l. c. L. I. P. I. cap. 17. p 50.*

10) *Hiſt. Nat. L. XXVIIII. Cap. 1.*

11) *Celebres fuerunt prae aliis Rhodia, Cnidia et Coa. Vid. le* CLERC *l. c. T. I. P. I cap. II.* GALENVS *de methodo medendi L. I. cap. I. Edit.* CHARTER. *T. X.*

12) *Vid.* CELS. *L. I. Praefat. conf. le Clerc. l. c. L. II.*

13) *Libros de articulis et fracturis tribuerunt nonnulli* HIPBOCRATI, GNOSIDICI *filio, et magni* HIPPOCRATIS, HERACLIDAE *filii auo, teſte* GALENO *Commentar. in L. I. de ratione victus in morbis acutis Text. 17. Tom. XI. Edit.* CHART.

tem multae encheireſes, quae apud magnum hunc autorem occultae latent, vſu ſatis egregiae, quas temporum ſequentium iniuria obliterauit, vel delicatior et mollior aetas neglexit. (14) Ipſe quoque plurimas operationes chirurgicas inſtituiſſe videtur, (15) vt merito dubitandum, vtrum maiorem laudem morborum accurata deſcriptione, an chirurgiae exercitio, meruerit, Poſt huius medicorum principis obitum, reliqui, qui aliquam ex arte celebritatem conſecuti ſunt, ſemper quoque chirurgiae, magis ac magis perficiendae, operam dederunt. Vel vnum nunc nominaſſe ſufficiat DIOCLEM CARYSTIVM, a CELSO ſaepius laudatum, qui in-

ſtru-

CHART. *p.* 15. *Inſignem errorem commiſit* BERNIER, *qui ex hoc loco male intellecto* GNOSIDICVM, *praeter* HIPPOCRATEM, *de articulis et fracturis ſcripſiſſe allegat. Eſſais de Medecine P. I. C. IV. p.* 50.

14) HIPPOCRATES *in omnibus fere morbis chronicis multum tribuit cauterio actuali. Vid. le* CLERC *Hiſt. de la Medecine P. I. L. III. c.* 28. *Huc referri poteſt vſtio venarum in dorſo, pro gutta ſerena tollenda, etſi verba iſta multa obſcuritate adhuc laborant. Vide Librum de Viſu T. II. Edit. Lindenian. (nam in Charteriana libellus, qui a nonnullis etiam ſuſpectus habetur, plane omiſſus eſt.) Noſtra aetate Celeberrimus Ophthalmiater,* IOH. THOMAS de WOOLHOVSEN, *quem honoris cauſa nomino, feliciter in ſcenam reduxit* ξύειν *oculi et palpebrarum, in eodem libello ab* HIPPOCRATE, *ſiue quocunque alio autore, commendatam, etſi inſtrumentum et methodum aliquo modo correxerit, et immutauerit.* HIPPOCRATES *vſus eſt* ἀτρέκτῳ *iuxta verba l. c.* ὅταν δὲ ξύῃς βλέφαρα ὀφθαλμῶ. ξύειν ὑρίῳ μιλησίῳ ὕλῳ καθαρῷ, περὶ ἄτρακτον περιελῶν ἀυτὴν *etc.* LINDENIVS, *aliique, ſine dubio* FOESIVM *in Oeconomia* HIPPOCRATIS *pag.* 106. *ſecuti, vocabulum* ἄτρακτον *communi ſignificatione per fuſum explicuerunt.* WOOLHOVSIVS *vero primus obſeruauit, illud et ſpeciem cardui notare, quae tali operationi inſeruiit. Datur ſpecies Cnici ſilueſtris a* MATHIOLO *Atractylis dicta. Vide* BAVHINI πίνακα *Theatri Botanici L. X. Sect. II. pag* 378. IAC. THEODORI, *Tabernemont. L. II. p.* 1066. *ex ea olim mulieres fuſum, ſiue colum, parabant, vid.* PLIN. *Hiſt. Nat. Lib. XXI. Cap XV. et Cap. XXXII. Sic et rectius intelligitur locus de Calculo L. V. Epidemiorum Text. XX. Edit. Chart. T. VIIII. pag* 340. *de ancilla, cui* ἐτέρη γυνὴ καθῆσα τὴν χῆρα ἐξεπίεσε λίθῳ, ὅσον σπόνδυλον ἀτράκτῳ τρηχὺν *vbi* τὸ σπόνδυλος ἀτράκτῳ *non fuſi verticillum, vti in omnibus verſionibus legitur, ſed caput cardui ſatiui, ſiue huius fructum capitatum denotat, confer, quod omnium manibus teritur,* IOH. SCAPVLAE *Lexicon, ſub vocabulo* σπόνδυλος.

15) *e. g. Fiſtulam ani, quam ligatura curabat, Libr. de fiſtulis, Trepano perforabat cranium, Libr. de Capitis vulneribus, Paracenteſi et ex thorace et abdomine pus et aquam euacuauit. Vid. le* CLERC *l. c. L. III. Cap. XXVIII. p.* 221. *lithotomiam vero interdixit diſcipulis in iureiurando: cauſas vide in* MEIBOMIO *l. c. vt alia taceamus.*

ſtrumentum pro telo extrahendo, Graecis Διοκλέους γραφίσκον appellatum, (16) nec non varia deligationum genera, inuenit. (17) Tandem vero nonnulli, chirurgiam a reliquo artis corpore auellentes, hanc ſolam artem profeſſi ſunt, id quod, in Aegypto primum factum fuiſſe, CELSVS teſtatur. (18) Primus etiam, qui medicinam Romae exercuit, ARCHAGATVS nomine, chirurgus fuit, qui ideo et latino ſermone *vulnerarius* vocatus eſt; (19) quamuis, ſi PLINIO, acerbiſſimo alias medicorum obtrectatori, fides habenda eſt, *propter urendi ſecandique ſaeuitiam nomen mox in carnificem tranſierit.* Hoc vero Romanorum molli elatiorique animo, qui nihil quidquam barbaris acceptum ferre voluerant, tribuendum eſſe, admodum probabile eſt; indicaſſe hic ſatis eſt, et Romae artem medicam a chirurgia ſuas traxiſſe origines. Quanquam vero, vti ex CELSO patet omnibus, medicina in tres maxime partes fuerit diuiſa, in diaeteticam, pharmaceuticam, et chirurgicam, (20) id quod HEROPHILI et ERASISTRATI temporibus acciditſſe, nonnulli perhibent, (21) tamen, vt idem CELSVS memorat, (22) omnes eius *partes ita connexae ſunt, vt ex toto ſeparari non poſſint.* Multa quoque, quae hodie chirurgis relinquuntur, olim ad medicos, proprie ſic dictos, pertinuerunt, qualia ſunt vlcerum, vulnerum, tumorum, fiſtularum, et quae oculos infeſtant, vitiorum, curationes, vt ſic chirurgia ſolis operationibus exercendis fuerit contenta. (23) Mittimus nunc hunc ipſum, ſaepius laudatum,

16) *Vide eius Deſcriptionem in* CELSO *L. VII. Cap. V.*

17) *Vide* GALEN. *de faſciis Cap. XV. et XVIIII. Edit.* CHART. *De aliis ſcriptoribus antiquis chirurgicis vid.* CELSVS *L. VII. Praefat.*

18) *Praef. L. VII.*

19) *Vid.* PLINII *Hiſt. Nat. Lib. XXVIIII. Cap. I. Emplaſtrum ab eo compoſitum deſcribit* CELSVS *Lib. V. Cap. XVIIII. confer* CASP. a REYES *in Campo Elyſio iucundarum quaeſtion. Quaeſt. I.*

20) CELSVS *Praef. L. I.*

21) *Ibid. Confer le* CLERC *l. c. P. II. L. I. Cap. VIIII. p. 45.*

22) *Praefat. L. V.*

23) CELSVS *chirurgiae tractationem libro ſeptimo incipit, poſtquam libro quinto et ſexto omnes ſupra dictas ſpecies expoſuit.* GALENVS *omnes hos affectus ad libros de methodo medendi retulit. vid. L. III. et XIIII. Edit.* CHARTER. *T. X. et ad* GLAVCVM *L. II. Hodie apud Gallos chirurgis etiam curatio interna morbi ve-*

tum, CELSVM, nec non GALENVM, qui non minus artem chirurgicam variis modis illuſtrauerunt; prae reliquis poſterior multa morborum et laeſionum genera, hactenus nondum ſatis diſtincta, clarius expoſuit, et nomine peculiari deſignauit; qui et ipſe operationes chirurgicas exercuiſſe traditur. (24) Nec fuſius perſequi placet, quae Arabes, ad quos, ingruente in Europa barbarie, vti reliquarum diſciplinarum, ſic et medicinae, cognitio tranſiit, ad chirurgiam illuſtrandam contulerunt, (25) Breuiſſimis potius addere licebit, qua ratione, exortis publicis academiis, et medicina in illis recepta, ſe illa ars habuerit. Omni prorſus dubio caret, Lutetiae Pariſiorum primum ſcholam publicam, vti opinio inualuit, (26) a Carolo M. fuiſſe conſtitutam, in qua tamen ab initio, praeter artes liberales et theologiam, nihil aliarum rerum doceri conſueuit. Acceſſit autem poſt Decretalium et iuris doctrina; et tandem Graecorum medicina, quam nonnulli ex ſchola Salernitana et Montpeſſulana Pariſios detulerunt, in noua, vt dicebatur, Vniverſitate locum inuenit, quartamque facultatem conſtituit: (27) Chirurgiae vero exercitium et tractatio, his nouis Doctoribus ideo minus

venerei permittitur, conniuentibus magis, vt videtur, quam conſentientibus medicis. Quare et chirurgus quidam, qui ex eo vitam et maximum lucrum quaerebat, ſtatuam Caroli VIII. Galliarum Regis, genibus flexis honoraſſe dicitur, quod eius copiae, ex expeditione Neapolitana hunc morbum tam foecundum reportauerint. Vid. BERNIER *l. c. Tom. III. Cap. III. p. 18.*

24) *Vid. Vitam* GALENI*a* CHARTERIO *compoſitam T. I. p. 73. le* CLERC *l. c. P. III. L. III. Cap. I. p. 110.*

25) *Vide* ANDR. OTTOM. GOELICKE *Hiſtoriam Chirurgiae.*

26) *Probat hoc* BVLAEVS *Hiſtor. Academ. Pariſienſ. T. I. p. 91 ſq. in dubium vocat* PASQVIER *Recherches de la France L. III. p. 261. ſq. et L. VIIII. C. IV. p. 800.*

27) *Carolus M. obiit anno 814.* BVLAEVS *T. I. p. 145. Quarto poſt vniuerſitatis fundationem ſeculo anno circiter 1150. quo* GRATIANVS *Decretorum collectionem abſoluit. vide* THOMAS. *Cautelas circa Praecognita Iur. Eccleſ. Cap. XXI. p. 232, et ius canonicum Pariſiis inualuit.* BVLAEVS *T. II. p. 580.* PASQVIER *vero probare conatur, anno 1215. in literis publicis nullam mentionem praeter Magiſtrorum artium et Theologiae fieri l. c. p. 812. vt probabile ſit, Decreta ſimul a Theologis, vt Medicina a Philoſophis, tradita fuiſſe. Anno 1270. Medicina ſuos Magiſtros et peculiare corpus habuit. Vide* BVLAEVM *T. III. p. 396.*

minus conueniſſe videtur, quod Clerici erant, quos Eccleſia, vel potius ſuperſtitio, manus ſanguine conſpurcare, vetuit. Omne enim eruditionis et ſcientiae genus ea aetate ſolis Clericis relictum fuiſſe, nemini ignotum eſt, quare et ab initio Medicinae Profeſſores, et ſic dicti Regentes, vitam caelibem viuere, neceſſe habebant; qui tamen mos deinde peculiari Decreto ſublatus fuit. (28) Quod vero chirurgia nihilominus magno vbique in pretio habita fuerit, vel ex fabulis Romanenſibus antiquioribus colligere poſſumus, quae morum et aetatis imagines, nobis foeminas principes ante oculos ponunt, vulnera heroum amatorumque deligantes, ſanantesque, vt ſic ex chirurgiae exercitio magna ipſis gloria tribuatur. Tandem vero ii, qui hanc artem prae aliis exercebant, in corpus peculiare coaluerunt, et hoc, pro iſtius temporis more, et religione, St. Coſmo et Damiano ſacrum eſſe voluerunt; Id quod nonnulli Ludouico S. alii vero Philippo Pulchro imperante, factum fuiſſe contendunt. Leges vero et Statuta, quae hodie ſuperſunt, Anno MCCLXXVIII. ſancire ſibi coeperunt chirurgorum magiſtri, quo circiter tempore medicina, quae antea, a magiſtris artium ad phyſicen relata, aliquo modo exponebatur, facultas ab aliis ſeparata, conſtituta fuit. Chirurgos vero eo tempore medicis nullo modo ſubiectos fuiſſe, eosque, ſi quid forte imperauerint iis medici, omne recuſaſſe imperium, veriſimile eſt. Iplorum autem medicorum auſpiciis poſtmodo factum eſt, vt nouum

28) *Nec Presbyteris nec vxoratis medicinam legere integrum erat, absque diſpenſatione, et Baccalaurei, antequam ad legendum curſum admittebantur, iurare debebant, ſe non vxoratos eſſe, nec Chirurgicos manualiter operantes. Sed anno 1403. facultas diſpenſauit. Vide* BVLAEVM *T. IV. p. 91. et p. 542. Reformatione vero Vniuerſitatis a Cardinale* TVTTAVILLEO *anno 1452. inſtituta, vetus hoc ſtatutum, quo coniugati a regentia in facultate Medicinae prohibebantur, impium et irrationabile reputatum fuit, l. c. p. 568. Vxorati autem Magiſtri in facultate artium priuati ſunt adhuc anno 1587. omni iure ſuffragii et omni magiſtratu. Nec non Decretalium Doctoribus anno 1589. a facultate artium et Theologiae, vt et Rectore matrimonium interdictum fuit, diſſentientibus tamen medicis p. 797. et 803. Obiter notamus, medicos et hic primos fuiſſe, qui a praeconceptis opinionibus et conditione Clericorum defecerunt.*

uum genus chirurgorum exſurgeret, caputque deinde altius efferret, imprimis cum illorum imploraret operam, ſeque ab ipſis inſtitui, formarique, pateretur. Tonſores enim, alias barbae et capillorum curam gerentes, forficulae nouaculaeque vſum ad chirurgiam tranſtulerunt, hancque, intercedente facultatis autoritate, vbique exercuerunt, qui ideo et nomine chirurgorum tonſorum, vel, elegantiae cauſa, chirurgorum a tonſtrina, ſuperbiebant. (29) Alii vero chirurgi, qui Anno MDXVI. poſt multas, quas cum ordine medico agitauerant, controuerſias, tandem communi et ſolenni omnium conſenſu, horum *diſcipuli et Scholaſtici* declarati, et in *academiae gremium recepti* fuerant, tandem Anno MDLI. a medicis deficere, et magnam denuo ſibi autoritatem conciliare, ſtuduerunt, quintam in Vniuerſitate Pariſienſi facultatem formaturi. Res quoque eo peruenit, vt Anno MDLXXXII. literas a Pontifice Romano Gregorio XIII. exhiberent, quibus hoc ſuum inſtitutum probare et confirmare conabantur. Rectorem quoque aliquoties eorum conuentibus, et promotionibus interfuiſſe, certum eſt. Medici, vt hos conatus euerterent, omnes artes machinasque adhibuerunt, et quemadmodum de quodam DV FOVR, Medico et Rectore Academiae, teſtatur BVLAEVS, *tantum laboris ſumſerunt, quantum, ſi de propria ſalute, de vita, de fortuna, ageretur.* (30) Veritati conſentaneum eſt, hanc cauſam non plane diiudicatam fuiſſe: Chirurgi tamen ad hanc vsque aetatem, chirurgiam et anatomen, non ſolum in theatro ad St. Coſmum, ſed et in noſocomiis, publice docendi libertatem conſeruarunt, etſi, vt cum medicis, quos omnino magiſtros venerantur, pari paſſu ambularent, et iisdem in academia iuribus fruerentur, impetrare non potuerunt. Ii vero, quibus a tonſtrina nomen erat, nunc cum reliquis, niſi fallor, in eandem ſocietatem coaluerunt; cum iam anno M. DCX. quidam ex illorum numero a chirurgis fuerint

29) Vid. PASQVIER *l. c. L. IX. Cap. XXX. p. 859 ſeq.*

30) Vid. PASQVIER *l. c.* BVLAEVS *Tom. VI. pag. 70. 447. 752. 757. 767. 803.*

fuerint recepti. Quod vero huius artis magiſtri adhuc magno in pretio habeantur, vel exinde colligere poſſumus, quod in noua Scientiarum Academia a Ludouico XIV. fundata, locum non infimum occupent. Chirurgia itaque, ſi illius antiquitatem, dignitatem, cum reliqua medicina nexum, et, quam toti generi humano impertitur, vtilitatem, ſpectemus, non contemnenda, nec flocci habenda, videtur.



PROLVSIO II.

DE

ARTE GYMNASTICA VETERVM

ORATIONI ADITIALI PRAEMISSA,

QVA

MVNVS PROFESSORIS PHYSIOLOGIAE ORDINARII AVSPICATVS EST.

D. XXV. APRIL CIↃIↃCCXXIIII.

Artem medicam ab exiguis initiis profectam temporum progreſſu multis incrementis auctam fuiſſe, nemo inficiabitur, qui veterum medicorum monumenta cum recentiorum libris conferre velit. Illud vero aliquis veritati minus conſentaneum exiſtimare poſſit, plura, in quibus artis ſalutaris parentes magno cum ſtudio verſati ſunt, hac noſtra aetate prorſus obſoleta, et fere obliuionc ſepulta, eſſe, quamuis ad ſanitatem non parum conferre poſſint. Vt iam antiqua hiſtoriarum medicarum exempla, varia remedia, et exercitia chirurgica, nec non integras artes, et ex his eam, qua oculorum et viſus integritati conſulitur, et plura alia, quae hactenus penſi fere habita fuerunt, taceamus, exempli loco ſiſtimus, illam corpus exercendi peritiam, qua veteres ſanitatem conſeruare, laeſam reſtituere, corpori vero debitum robur et ἐυεξίαν conciliare, ſtuduerunt, quae ars gymnaſtica appellata fuit. Vulgo notum eſt, gymnaſia, quae aedificia publica erant, ad corpus vario modo exercendum egregie adcommodata, nomen ἀπὸ τῆς γυμνότητος, ſeu nuditate athletarum, accepiſſe, quod hi apud Graecos, apud quos gymnaſtica potiſſimum culta, quaſi et nata eſt, corpo-

ribus prorſus denudatis de praemio dimicabant. (1) Gymnaſtica enim, non ſtatim a principio pro ſanitatis ſola cura inuenta, et culta, fuiſſe videtur, cum olim corpora, luxurie nondum debilitata, nec tam variis gulae et ventris voluptatibus fracta, minus opus habuiſſe videantur, vt his exercitiis firmarentur. Agreſtis etiam, et venatus laboribus adſueta vita, quam primi homines agebant, ne otio, quod multorum morborum parens eſt, torperent, vetaſſe videtur. Ante HOMERI tempora iam variis ludis exercebantur homines, vt ad bellorum diſcrimina ſubeunda aptiores fierent, (2) Arma enim, quibus illo aeuo bellum gerebatur, maximo corporis robore, et eximia agilitate opus habebant, cum noſtra aetate ex longinquo, vtplurimum, pugna inferatur. Gymnaſtica etiam, eadem ratione, qua muſica, in Deorum cultum adornata fuit, id quod ludi olympiaci, et, apud Romanos, capitolini et ſeculares, teſtantur. Tandem vero etiam, id quod cum aliis bonis artibus commune habuit, in vitium ceſſit, ac hominum libidini, et arroganti potentum ſuperbiae explendae inſeruiit, qualis gymnaſtica, ab athletis inprimis culta, propter ferinam ingluuiem, quibus corpora ad immane robur ſaginabantur, et diram, qua omnia implebant, crudelitatem, a GALENO, (3) et aliis, vitioſa nuncupata fuit. Gymnaſticae medicae vero, quae exercitia corporis ad ſanitatem componebat, autor ab omnibus habetur HERODICVS, qui, cum paedotriba, vel gymnaſio praefectus eſſet, valetudine vero infirma vteretur, arte ſua corporis curationem tentauit, cumque corporis exercitiis vitam ad ſenectutem perduxiſſet, gymnaſtica

1) Hic mos, vt corpora, nulla pudoris habita ratione, denudarentur, per aliquod tempus ſaltem obtinuit. V *l'Hiſtoire de l'Academie Royale des Inſcriptions et belles lettres T. I. pag. 101. Edit. Pariſ.*

2) HOMERVS *Iliados L. II. v. 774.* vel in Edit. SCHREVEL. in enumerat. nauium *v. 281.*

- - - λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης
δίσκοισι τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες,
τόξοισίν θ'.

Et alibi. Vide de Homeri Exercitiis PLVTARCHVM *Sympoſiacon L. II. Problem. V. pag. 639. T. II. Edit.* XYLANDRI.

3) *In Libro ad Thraſybulum, vtrum Medicinae ſit, vel Gymnaſtices, hygieine, Cap. XLI. Tom. VI. p. 35. Edit.* CHART.

naſtica medicae addita, et huius praeceptis adcommodata, fuit. (4) Videtur vero HERODICVS haec ſtudia vltra humanae naturae menſuram commendauiſſe, quare et a PLATONE (5) et HIPPOCRATE (6) multum perſtringitur. Quanquam HIPPOCRATES ipſe corporis labores variis in locis valde commendauit. (7) Poſt eius vero tempora, plurimi medicorum in eo occupati fuerunt, vt artem gymnaſticam extollerent, et variis ſcriptis illuſtrarent, quae quidem a GALENO (8) allegata, ad noſtra vſque tempora non peruenerunt. Veteres etiam medicos, diſcipulos ſuos artem ſalutarem in gymnaſiis docuiſſe, a veritate non prorſus alienum videtur. (9) Philoſophos enim gymnaſia frequentaſſe, in hisque diſputaſſe, certum eſt. Athenienſes etiam, PLVTARCHO (10) et LVCIANO (11) teſtibus, gymnaſium APOLLINI ſacrum eſſe voluerunt, quia ἐυεξίαν

 corporis

4) Vid. PLATO *de Republica L. III. Tom. II. pag. 406. Edit.* STEPHANI *de Anno 1578.*

5) In Phaedro *Tom. III. p. 227.* tradit HERODICVM Athenis Megeras vsque ambulando progredi, et quam primum ad murum peruenerit, reuerti ſolitum fuiſſe. Haec vero per iocum dicta eſſe probat LE CLERC *Hiſtoire de la Medecine L. II. Chap. VIII. p. 109. Edit. nouvelle,* cum Megerae viginti mille paſſus Athenis abeſſent.

6) *Epidem. L. VI, Sect. III. Text. XXXI. Tom. IX. Edit.* CHART. *p 449.* PRODICI mentionem facit, qui febre laborantes nimia corporis exercitatione occidebat. Non leuis vero ſuſpicio eſt, PRODICVM ſaepius cum HERODICO confuſum fuiſſe, in libris HIPPOCRATIS τὸ H enim in τὸ Π a ſcriptoribus librariis facile mutari potuit. V. huius opinionis autorem LE CLERC *Hiſtoire de la Medecine L. IV. Chap. II. p. 250.* HIPPOCRATES vero HERODICO Praeceptore vſus eſt, vide Vitam HIPPOCRATIS ex SORANO, *Edit.* CHART. *T. I.* LE CLERC *l. c. P. I. L. III. Chap. I. p. 113.*

7) *De Diaeta ſanorum L. II. Cap. XI. p. 474. Tom. VI. Edit.* CHART. *p. 474. et Libro de Inſomniis eod. Tomo p. 511.* Hos libros tamen non HIPPOCRATI, ſed HERODICO, tribuendos eſſe, exiſtimat LE CLERC *l. c. P. I. L. III. Chap. XIII. p. 186.*

8) Nominat HIPPOCRATEM, DIOCLEM, PRAXAGORAM, PHILOTIMVM, ERASISTRATVM atque HEROPHILVM *in libro ad Thraſybulum Cap. XXXVIII. T. VI. Edit.* CHART. *p. 33.* confer librum egregium, quem in multis ſecuti ſumus, HIERONYMI MERCVRIALIS *de Arte gymnaſtica L I. Cap. XII. p. 89.*

9) Vid. MERCVRIALIS *l. c. L. I. C. VII. p. 26.*

10) *Sympoſiacon L. VIII. Problem. IV. p. 724.*

11) Gymnaſium vocat Apollinis templum. *L. de Gymnaſiis T. II. Edit.* GRAEVII *p. 272.*

corporis ab eodem Deo, qui ſanitatis autor credebatur, impetrandam eſſe exiſtimabant. Ad Romanos tandem tranſiit gymnaſtica, id quod, ſecundum VARRONEM, (12) illo tempore factum eſt, quo Romani, rura colentes, et valetudine firmiores, cultura foecundiſſimos agros reliquerunt, Graecorum malis moribus corrupti, gymnaſia urbana deſideraruut. Apud hos vero gymnaſtica in voluptatem et omne vitii genus conuerſa fuit, vt magis in perniciem ac detrimentum, quam in ſalutem generis humani, culta videretur. Plures enim eorum omne otium, omneque fere tempus his ſtudiis contriuerunt, iiſque inſolentius abuſi ſunt. (13) Apud medicos vero exercitiorum vſum obtinuiſſe, ex CELSO, (14) nec non CAELIO AVRELIANO, methodicorum inſigni autore, manifeſtum eſt. GALENVS vero, cui iuueni admodum a pontifice maximo cura gladiatorum curandorum tradita fuit, quod ſibi maximo honori duxiſſe videtur, (15) non ſolum ipſe palaeſtrae operam dedit, et in hac aliquando humeri luxationem paſſus eſt, (16) ſed et multis libris, qui in noſtris manibus verſantur, gymnaſticam, decore ſatis depinxit. (17) Eandem laudem meretur ANTYLLVS quidam, qui in libris de auxiliis, duorum excerpta apud ORIBASIVM inue-

12) *De Re ruſtica L. II. in Probemio p. 96. Edit.* COMMELINI *Autorum rei ruſticae 1595.*

13) Quantum his rebus tribuerint, exemplo eſſe poſſunt ii, qui, equeſtri ſtudio dediti, equitatione et aurigatione certabant, et qui diuerſis coloribus, in quatuor factiones, iuxta anni tempora, diſtinguebantur. De nonnullis horum, et quidem de Praſinis et Vaenetis dictis, GALENVS tradit, eos ſtercora equorum odorare ſolitos fuiſſe, quo intelligerent, quomodo alimenta concoxerint, vt ex his eorum bonam valetudinem cognoſcerent. *de Methodo medendi L. VII. Cap. VI. T. X. p. 161.*

14) *L. I. Cap. I.* Sanum oportet varium habere vitae genus, modo ruri eſſe, modo in vrbe, ſaepiusque in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.

15) Annum agebat decimum nonum, vid. *L. III. de Compoſit. medicamentorum per genera Cap. II. Tom. XIII. p. 718.*

16) Trigeſimo quinto aetatis anno, vide eius Commentarium in L. HIPPOCRATIS *de Articulis Text. LXVII. Tom. XII. p. 322.*

17) *In Libro ſ. c. ad Thraſybulum, in Libris de ſanitate tuenda,* inprimis *II. et III.* nec non in *libello de paruae pilae exercitio.* Continentur *Tom. VI. Edit.* CHART.

inueniuntur, varia exercitiorum genera accurate ſatis deſcripſit, et vtilitatem, quam ſanitati impertiri poſſunt, luculenter expoſuit. (18) Ingruente poſt haec barbarie, cum ars medica ad Arabes tranſiret, quamuis hi in multis Graecorum veſtigia perſecuti fuerint, rebus tamen pharmaceuticis, et medicamentis varium in modum componendis, nimium intenti, in colenda gymnaſtica parciores fuiſſe videntur; excipiendus quidem AVICENNA, (19) horum facile princeps, qui exercitationem corporis laudibus ſuis haud priuauit. Poſt haec vero tempora, omne, quod bonarum artium reliquum erat, a monachis, inertiſſima ſegnitie hebeſcentibus, denſiſſima caligine et barbarie infuſcabatur, quibus tota ars medica in lectione libellorum quorundam poſita erat, quos ex GALENI et Arabum ſcriptis in Latinum ſermonem transtulerant, et propter turpem rerum ac verborum imperitiam valde deprauauerant. Gymnaſtica vero, et aliae artis ſalutaris doctrinae, obliuione extinctae fuerunt. Illius enim aetatis medicos, non tam morborum et remediorum inquiſitores, quam verborum opifices, fuiſſe conſtat, cum medicina eandem ſortem cum reliquis artibus liberalibus nacta fuerit, vt philoſophia Platonica et Peripatetica inquinaretur. Omnium fere animos poſthaec inuaſit nouum chymiae ſtudium, a PARACELSO, qui illud in lucem protraxit, arti medicae additum. Hic vero, cum ipſe ebrioſus eſſet, diaetam, cuius gymnaſtica pars eſt, neglexit, et ſe aegros, nulla victus ratione praeſcripta, aut obſeruata, ſed noctes diesque cum ipſis potando, pleno ventre curaſſe, gloriatus eſt. (20) Nimium enim remediis ſuis chymicis confidebat, id quod multorum, etiam hac noſtra aetate, qui chymiae, et alchymiae multum tribuunt, familiare vitium eſt. Multa prohibent, quo minus ſtudia, quibus recentior aetas diſtenta fuit, prolixe recenſeam, cum etiam in omnium, vel rerum harum minus peritorum, memoria verſentur; iis tamen

18) Vid. ORIBASII *Collect. Medicin.* in STEPHANI *Edit. Scriptor. artis medicae principum anno 1567. p. 282 ſeq.*

19) *L. I. Fen. III. Doctrina II. pag. 170. Edit. Venet.* IVNTARVM *Anno 1591.*

20) Vide HENRICI MEIBOMII *Commentarium in Iusiurandum* HIPPOCRATIS *Cap. XIII. p. 113. ſeqq.*

men factum eſt, vt gymnaſticae apud illos, qui medendi artem exercent, aliosque docent, nulla, vel exigua, mentio fiat. Quamuis enim literatiſſimus quondam medicus, HIERONYMVS MERCVRIALIS, Foroliuienſis, peculiari volumine, omni liberali doctrina abundante, artem gymnaſticam veterum, eiusque ad ſanitatem vſum, expoſuerit, illamque ab obliuione et interitu vindicare ſtuduerit, nemo tamen repertus fuit, qui peculiari opera, noſtros exercendi et ludendi modos, eodem, quo veteres, ſtudio, ad variam corporis valetudinem, verumque robur, adcommodauerit. Vt vero generatim ſaltem complectamur, quae veteres ad gymnaſticam retulerunt. Omnibus ex CELSO (21) notum eſt, medicinam olim in tres partes diductam fuiſſe, vt vna eſſet, quae victu, altera, quae medicamentis, tertia, quae manu, mederetur, gymnaſticam vero ad primum genus potiſſimum referri debere, culibet perſpicuum erit. Alii vero medicinam in ὑγιεινὴν et θεραπευτικὴν diſpeſcuerunt, quarum prima, quae etiam a nonnullis προφυλακτικὴ appellata fuit, in valetudine conſeruanda, altera vero in morbis curandis, occupata erat. Gymnaſticam vero vtrique inſeruiiſſe, extra dubium eſt, quanquam grauiora exercitia ab iis ſaltem admittuntur, qui corpore validiore, et viribus nullo morbo exhauſtis, gaudent. Duae autem potiſſimum gymnaſtices partes ab autoribus celebrantur, ὀρχηστικὴ καὶ παλαιστικὴ ſaltatoria et palaeſtrica, (22) quibus et alii corpus exercendi modi, et, quae exercitiis praemittebantur, frictiones, tandem etiam balnea, quibus poſt exercitia lauabantur, et, quae ad ἀποθεραπίαν referebant, accedunt. Saltatoria vero rurſus varie diſtincta fuit. Cubiſtica, (23) quae geſticulatoria fuit, vix ad medicinam gymnaſticam referri meretur. Sphaeriſtica vero, ſiue pilae ludus, ideo ſaltatoriae adnumerata fuiſſe videtur, quia eandem corporis leuitatem exigit. Veteres etiam ſaltando pilam vibraſſe, ex HOMERO (24) manifeſtum eſt.

21) In Praefatione *ad Lib. I. p. 3. Edit.* ALMELOVEN.

22) PLATO *de Legibus L. VII. Tom. II. p. 795.* Τὰ δὲ γυμναστικῆς δύο, τὸ μὲν, ὀρχησις, τὸ δὲ, πάλη.

23) Vid. SVIDAS in ὄρχησις et κυβίστησις.

24) *Odyſſea L. VIII. verſ. 370 ſeqq.*

eſt. Tribus vero pilarum generibus Graecos ludere ſolitos fuiſſe, conſtat, σφαῖρα μεγάλη, μικρᾷ καὶ κενῇ quibus corycus, ab ANTYLLO apud ORIBASIVM deſcriptus, accenſeri poteſt. (25) Romanis vero itidem quatuor pilae in vſu fuerunt. Follis, ſiue pila magna, ſolo aere inflata, trigonalis, ſic dicta a ludentibus, qui in trigono ſtabant, paganica, quod uulgaris erat, et agricolis familiaris, et tandem harpaſtica, quam vnus alteri ludentium eripiebat. (26) Ex antiqua etiam inſcriptione colligitur, eos aliquando vitrea pila ludere ſolitos fuiſſe. (27) AVINCENNA quoque pilae ligneae mentionem fecit. (28) Pilarum vero exercitium in arte medica variis vſibus inſeruiiſſe, non ſolum ex GALENO, (29) ſed et aliis autoribus, (30) qui illud omnes valde commendarunt, com-

25) *Medicinal. Collect. L. VI. Cap. XXXIII.* Erat follis ex corio, vt videtur, confectus, vel grano ficulneo, aut farina, pro robuſtioribus arena, repletus, et in gymnaſiis ita ſuſpenſus, vt fundus ad eius, qui exercebatur, vmbilicum pertingeret, hunc vario modo agitabant. vid. prolixe *l. c. p. 299. Edit.* STEPHAN. In ATHENAEO *Deipnoſoph. L. VI. Cap. XII. p. 246.* Paraſiti dicuntur ſe pro corycis exhibere. conf. CASAVBONI *Animaduerſ. p. 434.*

26) Vide MERCVRIALEM *c. l. les Memoires de l'Academie Royale T. I. p. 153.*

27) Inſcriptio inuenta Romae an. 1561. et a FRANCISCO MARIA TVRRIGIO commentario illuſtrata. vide GRAEVII *Theſaurum Antiquit. Roman. T. XII. p. 388.* Dicata fuit exodiario, ſiue mimo cuidam, qui pilae vitreae autor dicitur. Obiter notamus, veteres medicos, qui in morbis chronicis multum cauterio tribuebant, pila cryſtallina, vel vitrea, oppoſita ſolis radiis, vſos fuiſſe, ad vrenda corpora, teſte PLINIO, *L. XXXVII. C. VI. Tom. II. Edit.* HARDVINI *p. 769.*

28) *L. I. Fen. III. Doctr. II. Cap. II. pag. 171.* ad marginem, in verſione emendata.

28) *L. de Paruae pilae exercitio.* Hoc ideo maxime laudat, quod et corpus exerceat, et ſimul animum oblectet, periculo vacet, minori apparatu egeat, corpus vero temperatum ſeruet, nec nimis craſſum, nec nimis gracile, reddat.

30) ANTYLLVS *l. c.* pilae exercitium laudat ad firmandos oculos. ALEX. TRALLIANVS *L. XII. Cap. X. p. 286. Edit.* STEPHANI ad priapiſmum curandum, CELSVS *L. I. C. VI.* ad citam aluum, et CAELIVS AVRELIANVS *Chronicar. L. I. Cap. IV. p. 298. Edit.* ALMELOVEN. ſphaeram et ſaltationem commendat nutricibus infantum, epilepſia laborantium, vt videtur, quo motu lac ſpiſſius tenuius fiat. HIPPOCRATES κωφυκομαχίαν, luctam et χειρονομίαν extenuare corpus, tradit *L. II. de Diaeta Cap. XI.*

comperimus. Saltandi peritia, quae tertium ὀρχηστικῆς genus conſtituit, et antiquiſſima fuit, et a variis gentibus in Deorum cultum, et diuerſam voluptatem, multum variata. (31) Huic acceſſit manuum ad leges muſicas compoſitus motus, χειρονομία dictus. A ſaltatoria vero vel ideo magnus ad ſanitatem fructus expectari potuit, quia in vtrumque ſexum quadrat, corpus vero motu aequali, et ad cuiuſuis vires apto, agitatur. (32) Tacemus nunc Pyrrhichiam ſaltationem, ab armatis peragendam, quae, cum laborioſior eſſet, a GALENO (33) grauioribus commotionibus accenſetur. In palaeſtra, quod alterum gymnaſticae genus erat, nota admodum fuit lucta, qua veterum iuuenes multum delectabantur. Haec vero, quamuis a multis autoribus ad vtilitatem medicam commendetur, (34) iuſto tamen impetuoſior fuiſſe videtur, et multis incommodis obnoxia. Nec pugillatus, aut pancratium, ad ſanitatem proxime conferre potuit, praeſertim, quando ictus pugnis, caeſtibus armatis, intendebantur. Curſu vero et ſaltu plurimi ad ſanitatem vtebantur, quos etiam ad vires conformare et

31) Vide LVCIANVM *de ſaltatione T. I. p. 784. Edit.* GRAEVII, qui eam laudibus in coelum quaſi extollit. ATHENAEVM *Deipnoſoph. L. I. p. 21 ſeq. les Memoires de l'Academie Royale T. I. p. 93.* et MERCVRIAL. *l. c.*

32) Sic ANTYLLVS in ORIBASIO *L. VI. Cap. XXXI. p. 298.* ciere ſolet menſtrua et haemorrhoides, ab ARETAEO *L. I. Curat. Morb. chronicor. Cap. II. p. 83.* ſaltatio commendatur cephalaea laborantibus. Socratem ſaltaſſe, teſtatur PLVTARCHVS *de tuenda valetudine T. II. p. 124.* Grauidis vero nocet. Mirum, quod HIPPOCRATES, qui *in iureiurando* peſſum ad foetum expellendum religioſe prohibuit, aliquando pſaltriam, quam minime decebat grauidam eſſe, iuſſerit, vt in terram deſiliret, quod cum ſepties feciſſet, genitura, in terram defluxit, quare et MEIBOMIVS, nimio forte in HIPPOCRATEM amore, ſuſpicatur, *librum de Natura Pueri*, non HIPPOCRATIS foetum eſſe, vid. *l. c. Cap. II. T. V. p. 311.* et MEIBOMIVS *l. c. Cap. XV. p. 144.*

33) *De Sanitate tuenda. L. II. Cap. X. T. VI. p. 87.* Deſcribitur hoc ſaltationis genus ab ATHENAEO *l. c. Lib. XIIII. Cap. VI. p. 628.* conf. MERCVRIALEM *l. c.*

34) HIPPOCRATES *de Diaeta l. c. p. 475.* luctam et frictionem laudat ad carnem augendam, contra CAELIVS AVRELIANVS *L. V. Cap. XL. p. 597.* ad Polyſarciam minuendam. ORIBASIVS *l. c. Cap. XXVIII. p. 297.* palaeſtram erectam thoraci prodeſſe, et neruos roborare aſſerit. vid. plura in MERCVRIALI *L. V. p. 311.*

et moderare poterant. (35) Qui ſaltu exercebantur, aliquando lapides, vel halteres, ſiue pondera, manu geſtabant, vt onuſtiores eſſent, maiorem ex difficultate voluptatem, et ex labore ſanitatem, venantes. (36) Lepidus fuit ille ſaliendi modus, quo vtribus, vino repletis, et oleo inunctis, altero pede adſiliebant, quos ii praemii loco reportabant, qui ſe in tali lubricitate erectos continere valebant, qui vero natibus humum quatiebant, aliorum riſu excipiebantur. (37) Δισκόβολοι diſcos, (38) nec non halteres, (39) quos ſaltatores in manibus geſtabant, iaciebant, et vario robore, variaque arte, vibrabant, quorum itidem apud veteres medicos frequentior mentio fit. (40) Haec omnia vero, quae, MERCVRIALI duce, recenſuimus, exercitia, in Gymnaſiis publicis peragebantur. Sunt vero et alia, quae, diuerſis in locis inſtituta, in multa varietate verſabantur. Huc referri meretur, vt pauca genera nominemus ſaltem, ambulatio, quae aliquando in Xyſto fiebat, aliquando in aſperis locis. Haec nonnunquam poſt grauiores commotiones, vel impetuoſiores euacuationes, vomitus inprimis, ἀποθεραπευτικῆ (41) erat, quod ea mediante artus ad priſtinum robur, leniori

 motu,

35) V. HIPPOCRATES *L. VI. Epidem. Comm. III. Text. II.* et GALENVS *in hunc Commentario T. IIII. Edit.* CHART. *p. 439.* et *L. I. de Diaeta Text. XXV. p. 233 ſeqq.* PLVTARCHVS *in Demoſthene T. I p. 849.* cuidam, vitio lienis laboranti, longum curſum a medicis commendatum fuiſſe, narrat.

36) Vid. LVCIANVS *l. c. p. 289.*

37) Vid. ARISTOPHANES in Pluto *v. 1130. p. 47. Edit.* KVSTERI conf. *ſcholia*, figuram ex gemma ſiſtit MERCVRIALIS *p. 164.*

38) Diſcus aliquando lapis grauior erat. Vide SCHOLIASTEN in HOMERI *l. ſ. c. Iliados L. II. v. 774.* In gymnaſiis vero, ex LVCIANO, erat globus aeneus atque teres grauis, et comprehenſu difficilis, qui manu ſurſum extortus, in aerem iaculabatur *l. c. p. 289.* Vid. et *les Memoires de l'Academie Royale T. III. p. 330.* Hoc vero exercitium graue admodum fuiſſe, non ſolum ex eo manifeſtum eſt, quod athletae eo exercebantur. Vid. MERCVRIALIS *L. II. p. 166.* ſed et Poetae fabulati ſunt, Apollinem Hiacynthum, vide LVCIANI *Dialogos T. I. p. 209.* et Mercurium Crocum, iuuenes, cum quibus diſco ludebant, eodem interfeciſſe. Vide de Croco GALENI *Interpretationem Carminis Philonis L. VIIII de Compoſit. Medicamentorum ſecundum locos Cap. IIII. T. XIII. p. 608.*

39) Vid. ANTYLLVS in ORIBASIO *l. c. Cap. XXXIIII. p. 299.*

40) Vid. prolixe MERCVRIALIS *l. c.* LVCIANVS, diſcum humeros et lacerta roborare, aſſerit.

41) De apotherapia poſt exercitia in-

motu, perducebantur. Σκιαμαχία et μονομαχία soli in umbram pugnabant, spiritum continebant fortiter, vociferabant, equitabant, debiliores vero in curru et lectica vehebantur, vel lectis pensilibus agitabantur, vt venationis, natationis, et nauigationis, studium mittamus, quae omnia, et alia ludorum genera, nec non eorum vsum medicum, prolixe exposuit laudatus MERCVRIALIS. Nec minus balnea, (42) frictiones, et unctiones, (43) sanitati inseruierunt, quorum historia, ne iusto prolixiores simus, iam comprimenda est. Illud extra omnem dubitationem positum existimamus, artem gymnasticam, quam veteres cum arte medica combinarunt, huic multum auxilii, multumque splendoris, attulisse, quamuis multis etiam illecebrae voluptatis et vitiorum fuerint. Nec hac nostra aetate exercitia et ludi deficiunt, qui ad sanitatis vsum componi possunt. Semper vero medicum, in praecipiendis his commotionibus et exercitiis, oportet, ad reliquam corporis constitutionem, et naturalem temperiem, sexus diuersitatem, vitae et victus genera, consuetudines, anni tempora, aeris, quibus circumfundimur, crassitudinem, et grauitatem, aut mollitiem, et salubritatem, respicere, si aliquem ab iis fructum expectare velit: Iis vero cum debita diaeta iunctis, multorum forte corpora salubriora seruari poterunt, quam exquisitioribus, quibus vulgo imponitur, remediis, nec minorem inde pellendis morbis, iis inprimis, qui a diuturnitate chronici appellantur, fructum praestabunt. Haec vero ideo praemisisse non incongruum erit, quia sanitatis leges in hac alma Academia mihi in posterum exponendae sunt.

stituenda, vid. prolixe GALENVS *de Sanitate tuenda Cap. II. L. III. p. 94 seqq. T. VI.*

42) Vid. praeter MERCVRIALEM, BACCIVS *de Thermis L. VII. p. 241.* de balneis pensilibus, vid. PLINIVS *Lib. VIIII. Cap. LIIII. T. I. p. 533.* de Aegyptiorum balneis vid. PROSPER ALPINVS *L. III. Cap. XV. p. 227. de medicina Aegypt.*

43) Vid. *Dissert. de Iatro-aliptica veterum*, quam Dn. SELIG, Med. Candidatus, sub Praesidio Dn. D BAIERI, P. P. Altorfini Celeberr. ventilauit.

PRO-

PROLVSIO III.

DE MORBO CAMPANO

AD VERBA HORATII L. I. SAT. V. v. LXII.

PANEGYRI

IOHANNIS GEORGII RVPPII.

D. II. MAII A. cIↃ IↃ CCXXXII.
PRAEMISSA.

Campaniae felicitatem veteres vno ore celebrarunt, (1) quam Italiae oram opimam rerumque copia adeo abundantem fuiſſe legimus, vt omnium illecebrarum voluptatumque ſedes fuerit habita. Foecundiſſimum vero ſolum et incolarum opulentia cupiditates voluptatesque peperit, quarum lenociniis Campani deditiſſimi fuiſſe videntur. Hannibalem certe, non tam Romanorum virtus, quam Campaniae luxuria, fregit, qua exercitus ille toties victor, poſtea effoeminatus, et confectus, Romanae rei amplius par eſſe non potuit. (2) Caeſares etiam, quando genio indulgere voluerunt, ſeceſſus habuerunt in Campania, (3) et adſitis inſulis, in quibus illi per multum tempus deliteſcentes, ſe belluinis voluptatibus ſaepe merſerunt. Vt vero luxus et intemperantia foecunda genitrix eſt plurium morborum, non eſt dubium, his etiam Campanos correptos maceratosque fuiſſe. HORATIVS, in faceta itineris, Brundiſium facti, hiſtoria, inducit duos ſcurras, qui, coenarum bonarum, vt videtur, ſectatores, has linguae improbitate merebantur. Inter alia conuicia,

1) vide PLINIVM *L. III. Cap. V.* et FLORVM *L. I. Cap. 16.*

2) vid. STRABONEM *L. V. p. 384.* LIVIVM *L. XXIII. Cap. 45.* et POLYBIVM *L. IIII.*

3) vide de Auguſto SVETONIVM *Cap. 72.* de Tiberio *Cap. 39.* et TACITI *Annal. L. IIII. Cap. 57.* de Claudio SVETONIVM *Cap. V.*

quibus illi ſe petulanter inſectantur, alter alteri obiicit, frontem cornu exſectam, quo, vt teſtatur poeta, foeda relicta erat cicatrix, et multum iocatur in Campanum morbum faciemque (4)

Ad pugnam (inquit vates Venuſinus) *venere. Prior Sarmentus:*
equi te
Eſſe feri ſimilem dico. Ridemus, et ipſe
Meſius: accipio, caput et mouet. O tua cornu
Ni foret exſecto frons, inquit, quid faceres, quum,
Sic mutilus minitaris? at illi foeda cicatrix
Setoſam laeui frontem turpauerat oris.
CAMPANVM IN MORBVM, in faciem permulta iocatus.
Paſtorem ſaltaret vti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larua, aut tragicis opus eſſe cothurnis.

Laborarunt interpretes, quid per morbum Campanum intelligendum ſit, quem opprobrii plenum fuiſſe, ex his manifeſtum eſt. Sunt, qui rem ad obſcoenam dicacitatem, vel ad, neſcio quam, oris foeditatem, quam PARRHASIVS pictor tabula quondam expreſſit, (5) trahere volunt. (6) Alii Campanis exprobrari arrogantiam putant: (7) Aſt CICERO (8) ſuo iam tempore teſtatur, Campanam arrogantiam atque intolerandam ferociam ratione et conſilio maiorum ad inertiſſimum et deſidioſiſſimum otium fuiſſe perductum. Erroneae interpretationis originem eleganter detexit IACOBVS CRVQVIVS, (9) qui hoc ex Graeci interpretis notula, codici

4) *L. I. Satyr. V. v. 62.*

5) SVETON. *Tiber. Cap. 44.*

6) vide HELENIVM ACRONEM et PORPHYRIONEM veteres Scholiaſtas in hunc locum *in Edit. G.* FABRICII *Chemnicenſis p. 313.* vt et CHRISTOPHORI LANDINI *commentarium c. l. p. 954.* et inprimis PETRI GVALTERI CHABOTII *commentarium T. II. p. 80.*

7) vid. ACRONEM et PORPHYRIONEM.

8) *de lege agraria contra Rullum Orat. II. Cap. 33.*

9) *In commentariis in* HORATIVM, *1611. Antuerpiae editis p. 369.* ACRONIS vero et PORPHYRIONIS commentarios ſpurios eſſe, et barbaros, et ab his praecellentibus ſcriptoribus alienos, teſtatur THOMAS REINESIVS *in defenſione variarum lectionum p. 107.*

codici forte adſcripta, ab alio male interpretata, factum fuiſſe ſuſpicatur, τὸ θυμὸς enim, vt notum eſt, et animum, et iracundiam, arrogantiamque, θύμος vero et θύμιον verrucam ſignificant, (10) in quo eius, qui ex Graeci interpretis nota proficere voluit, facilis error fuit. Doctiſſimus Antwerpienſium Antiſtes, LAEVINVS TORRENTIVS, exiſtimat, (11) Campanum morbum eundem fuiſſe, quem PLINIVS (12) mentagrae nomine graphice deſcripſit, tradens, non ſolum faciem tantam foeditatem paſſam eſſe, vt quaecunque mors praeferenda fuerit, ſed eos etiam, qui medicinam adhibuerunt, (quod cauſticis curaretur,) foediorem ipſo morbo manſiſſe cicatricem. Aſt vero ex eodem cognoſcimus, mentagram nihil aliud fuiſſe, quam lichenes, quae, dum a mento oriebantur, mox per iocum ita fuere appellatae. (13) Quamuis vero lichenes, exedentibus adurentibusque ſanatae, in turpem coiuerint cicatricem, vix tamen vlcera illa ſerpiginoſa exſcindi potuerunt. Mentagra etiam iſtis antiquioribus temporibus non apud Romanos fuerat, ſed primum medio TIBERII CLAVDII principatu irrepſit in Italiam, quo tempore iam ex vita exceſſerat HORATIVS. Nec velim cum clariſſimo CONR. IOHRENIO (14) facere, qui Campanum morbum in illud genus tumoris trahere annititur, quod per naſum totamque faciem diffunditur, ebrioſis, quam libidinoſis, frequentius; hodie guttam roſaceam, germanis Kupffer, appellamus. Nam hoc vitium, nec frontem magis, quam alia faciei loca, obſidet, nec ſectione tollitur. Veritati itaque, et ipſis HORATII verbis, magis conſentaneum videtur, Campanos foedis labo-

10) De thymio, verrucae genere, vide CELSVM *L. V. Cap. 28.* Cur recentiores editiones legant ἀκροθύμιον, neſcio. Veteres codices impreſſi, quos poſſideo, *anno 1478. apud* NICOLAVM editus, alius *anno 1493. Venet. apud* IOANNEM RVBEVM *p. 36.* vt et *apud* ALDVM *anno 1528.* et ea, quam BALDINVS RONSSEVS curauit *anno 1592. Lugd. Batau. p. 540.* legunt θύμιον. In ROVSSEI edit. vero acrothymion margini adſcriptum eſt.

11) *In commentariis in* HORATIVM, *Antuerpiae 1608. editis, T. II. p. 469.*

12) *Hiſt. Natur. L. XVI.* ab initio.

13) Conf. CAII PLINII SECVNDI VALERIANI *L. II. de re medica, Cap. 56. fol. 60. ex Edit.* ALBANI TORINI, *Baſ. 1528. in fol.*

14) *In diſſ. medica de mentagra p. 36.*

laboraſſe verrucis, quibus exſectis, magnae cicatrices relictae fuere, quam ſententiam eo libentius amplectimur, quod et veterem commentatorem, quem CRVQVIVS adducit, conſentientem habemus. Si vero Campanis in facie maiores verrucae, ſeu thymia, eminuerunt, vt hodie Bunsgenſibus, apud Tyrolenſes, ſtrumae, nunc videndum eſt, num illae ex luxu et intemperantia ſint natae, et, num ſtatuendum ſit, morbum Campanum fuiſſe illam luem, quam hodie veneream vocamus, cuius pariter probrum iis, qui ea laborant, ſaepius obiectari ſolet. Hanc enim ſententiam inter alios tuetur GVIDO PATINVS, (15) qui, morbum venereum, non ab vno HORATIO, ſed a multis veterum, dudum fuiſſe deſcriptum, opinatur. Prona itaque via delabimur ad controuerſiam, num ille ipſe morbus, quem plures Gallicum, Galli Neapolitanum, vocant, veteribus fuerit cognitus? Omnibus notum eſt, hanc peſtiferam luem graſſari coepiſſe anno circiter ſeculi decimi quinti, quinto et nonageſimo. Vt enim, TIBERII temporibus, Romani, cum omni luxuria laſciuiaque diffluebant, turpi mentagra vexati fuere, ita aeuum ALEXANDRI VI. Pontificis maximi, cuius et CAESARIS filii libidines ſupra omnium gentium et aetatum fuerunt, (16) haec peſtilentia venerea infame fecit. Scilicet conſtantiſſima fama eſt, ea tempeſtate, qua CAROLVS VIII, Galliarum rex, rapidiſſima expeditione Neapolin ſibi ſubiecit, vt ſolent militares homines varia libidine miſceri, Gallos ab Hiſpanis ex India occidentali, quam CHRISTOPHORVS COLVMBVS anno poſt quadringenteſimum nonageſimo ſecundo primus aperuerat, reducibus, et ſub FERDINANDO, Calabriae duce, ſtipendia merentibus, hoc

15) *Lettres choiſies de* GVY PATIN *T. III. p. 95. Lettre 370.* Huius filius, CAROLVS PATINVS, de antiquitate luis venereae ſcripſiſſe orationem dicitur, eamque *Patauii 1687.* edidiſſe, quam tamen nunquam vidi.

16) vide BVRCHARDI *ſpecimen hiſtoriae arcanae, ſeu anecdotae, de vita* ALEXANDRI VI. *Papae*, a LEIBNITIO *editum*, et vitam ALEXANDRI VI. ac CAESARIS BORGIAE a GORDONO, Anglo, haud ita pridem ſcriptam. Pontificis huius medicus fuit GASPAR TORELLA, poſt Epiſcopus St. Iuſtae, cuius extant tres tractatus, de pudendagra, vt videtur, iuſſu CAESARIS BORGIAE ſcripti, vid. LVISINI *Scriptores de re venerea p. 49. edit. recent.*

hoc munere esse donatos. (17) Extra dubium enim est, luem veneream barbaris illis Americae populis, id quod et recentissimi Scriptores affirmant, hodienum esse endemiam, illisque locis prae caeteris infestam, qui ex coeli inclementia halituque paludoso alendis grauissimis morbis idonei sunt. Vix tamen quis sibi persuadere poterit, horum locorum olim tantam fuisse insalubritatem, vt sola aeris intemperies ceu pestilenti quodam sydere aduenientes adflauerit, et in eorum corpora hanc spurcam tabem, absque veneris vsu, aliaue contagione, intulerit. (18) Homines enim, ne dedecus admisisse videantur, actionibus minus honestis mendacii velamenta quaerunt. Ab illo vero tempore, quo hoc dirum morbi genus Europam Asiamque inuasit, omnino praestantissimi medici in eo indagando omne studium posueruut, (19) quorum opuscula olim collegerunt, et IACOBVS TECTANDER, Cracouiensis, (20) et, post hunc, ALOYSIVS LVISINVS, medicus Vtinensis. (21) Plures eorum ex Graecorum Arabumque monumentis varios

17) Inter plures alios hoc testatur GABRIEL FALLOPIVS *in libro de morbo Gallico*, statim ab initio, cuius pater expeditioni Neapolitanae interfuit. Hac occasione obiter notamus, HENRICVM STEPHANVM *in Apologia* HERODOTI *Cap. XII. p. 86.* de MICHAELE FALLOPIO, quem, Ticini docentem, ipse audiuerat, prodidisse, eum aliquando discipulis pollicitum esse, si altero die redirent, se reuelaturum esse arcana, quibus, a morbi Gallici iniuria tuti, cum omnibus impune rem habere possent. Num fuerit MICHAEL FALLOPIVS a GABRIELE diuersus, an vero STEPHANVS in nomine errauerit, non definierim, saltim GABRIELEM harum rerum iactatorem venditatoremque fuisse, ex dicto libro huiusque *Cap. 79.* probari potest.

18) vid. IEAN BAPT. LABAT *Voyage aux Isles Francoises de l'Amerique T. IIII. Cap. XVII. p. 358. edit. Paris.*

19) Quam varia illis temporibus huic morbo quaesiuerint remedia, testatur BVRCHARDVS *c. l. p. 43. Hoc mane* (d. VII. April. anno 1497.) *fuerunt mitrati sex rustici et venditores olei, et fustigati, ex eo, quod recepto pretio a quibusdam morbo Gallico laborantibus, qui illorum oleo tinis impositio et balneati ab eadem infirmitate se liberos euadere sperabant, in his tinis, oleo plenis, illos balneare permiserant, et post balneum oleum in vasis suis reposuerunt, et pro bono et mundo aliis per vrbem, more solito, vendiderunt.*

20) Titulus est, *Morbi Gallici curandi ratio exquisitissima, a variis iisdemque peritissimis medicis conscripta, Lugd. Bat. 1536, 4.*

21) Sub titulo: *de morbo Gallico omnia,*

varios morbos conquiſiuerunt, vt hos cum hac noua peſte compararent, quod illis temporibus medici eam, quae a tot ſeculis inueterauerat, opinionem, nondum excuſſerant, GALENI et AVICENNAE libris, vt credebant, abſolutiſſimis, perfectiſſimisque, nihil temere addendum eſſe. (22) Plures tamen faſſi ſunt, dirum hoc valetudinis genus nouum eſſe, et a nemine veterum ſatis deſcriptum, nec illud Europaeis ante iſta tempora innotuiſſe, quamuis ab initio nonnulli, vt LEONICENVS, illud a factis, eo tempore, Tyberis exundationibus, alii, vt HIER. FRACASTORIVS et CONRAD. GILINVS, a ſiderum poteſtate, alii ab aliis cauſis, deriuare maluerint. Et inſequentibus temporibus, plus ſemel controuerſum eſt de peſtiferi morbi antiquitate, quo olim IOBVS, (23) CAESAR TIBERIVS, aliique, laboraſſe dicuntur. (24) Si in his rebus aliquid ſtatuendum eſt, hoc extra dubium videtur, longe antequam India occidua inuenta eſt, aegritudines fuiſſe obſeruatas, quibus nunc venerei opprimuntur. Omiſſis etiam iis, quae vulgo ex

mnia, quae extant, Venetiis, 1566. in fol. quem librum iterum edendum curauit Celeberr. BOERHAVIVS anno huius ſeculi viceſimo octauo.

22) Pro elephantiaſi, ſeu lepra, plures eum habuere. Vide, inter alios, SEBASTIANVM AQVILIANVM, in LVISINI *Collectione T. I. p. 1.* Cum lichenibus, mentagra, aliisque veterum morbis, illum, inter alios, ſtudioſius comparauerunt NICOLAVS LEONICENVS, in dicta LVISINI *Collectione, edit. nou. p. 15.* GABRIEL FALLOPIVS *c. l.* LEONHARDVS FVCHSIVS *in L. II. Paradox. Med. Cap. 17. p. 88.* qui tamen omnes, morbum hunc nouum eſſe, fatentur. Secus ſentit, cum aliis, HIERONYMVS FRACASTORIVS, in elegantiſſimo carmine, quod *Syphilidem* appellat;

Quam tamen (aeternum quoniam dilabitur aeuum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſaepe fuiſſe,
Ducendum eſt: quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit.

Conf. *Valeſiana p. 13. edit. Pariſ. 1694.*

23) VLRICVS de HVTTEN, *in libro de morbi Gallici curatione per lignum guaiacum*, putat, hanc ſcabiem in diuos retuliſſe IOBVM, vide GVID. PATINVM *c. l.* qui huius ignominioſi morbi contumeliam non in IOBVM ſolum, ſed et in DAVIDEM et SALOMONEM iacere haud veretur. PINEDA in *Commentario in* IOBVM *Cap. II. Sect. V. T. I. p. 143.* quem adducit PATINVS, tantum non omnia morborum genera recenſet, quibus a cacodaemone IOBVS fuerit excruciatus, et inter ea et hunc venereum.

24) de TIBERIO vide SVETON. *Cap. 68.* TACITVM *Annalium L. IIII. Cap 57.* et IVLIANVM IMPERATOREM *de Caeſaribus p. 309. Edit. Lipſ.*

ex HIPPOCRATE, GALENO, CELSO, Arabibusque, adduci ſolent, IOH. FREINDIVS (25) ex GVILIELMO de SALICETO, (26) LANFRANCO, (27) BERNARDO GORDONIO, (28) IOH. ANGLICO (29) ſeculi decimi tertii et quarti ſcriptoribus, loca adfert, in quibus ſcabies, quae verendis ex venere impura adfricatur, nec non, qui ex his naſcuntur, bubones, diſertis verbis deſcribuntur. His addenda ſunt alia, quae chirurgus Anglus, BECKET commentatus eſt, (30) quae omnia probant, longe ante COLVMBI aetatem plures eorum, qui vagae veneri litarunt, miſeris eiusmodi morbis intabuiſſe, quibus hodie improbiſſimae voluptates mulctari ſolent. At enim vero hoc etiam omnibus compertum eſt, corporis valetudines, quae ex victu, venere, aliisque cauſis, proficiſcuntur, ſub grauiori minusque ſalubri coelo maiorem vim nocendi adipiſci, imo peſtilentes et contagioſas fieri, id quod etiam in illis locis Indiae accidiſſe, probabilitate haud caret: vt dirum morbi genus ex intemperantia et obſcoena libidine enatum, coeli flagrantiſſimi aeſtu putidarumque paludum halitu ad illam virulentiam, qua nunc homines infeſtat, adoleuerit. Virus etiam per Europaeos homines, maxime nauticos, qui ex intemperanti vita victuque frequentius aegrotant, ad noſtras oras delatum, nouum viſum eſt, idque eo magis, quod atrociſſima, ac in vno aegro multifaria, eſſent ſymptomata, et quod perniciſſima contage per omnes Europae Aſiaeque partes vagaretur. Expertiores etiam medentium teſtantur, luis huius vim, quae primis annis peſtilentiſſima

 fuit,

25) *Hiſtoriae med. T. III. p. 65 ſeq. Verſ. Gall. in 4to.*

26) *Chirurgiae L. I. Cap. 42. p. 316. in Collectione Chirurgorum anno 1546. a Iuntis edita.* De hoc GVILIELMO vid. iudicium in GVIDONIS a CAVLIACO *Chirurgia magna.*

27) *in Chirurgia Tract. III. Doctrina II. Cap. XI. p. 233. eiusd. edit.*

28) *in Lilio Medicinae, Particula VII. Cap. 5. p. 607. Edit. Lugd. 1574. 8uo.*

29) Alias de GADESDEN, *in Praxi Medica, Roſa Anglica dicta, T. II. p 927. et p. 1109. Edit.* SCOPPII, *Auguſt. Vindel. 1595. 4.*

30) *In Transactionibus Anglicanis vid. la Bibliotheque Angloiſe T. V. p. 537. T. X. p. 366. T. XI. p. 225. et les Memoires Literaires de la Grande Bretagne T. XII. p. 298.*

fuit, ſuccedente tempore non parum laxatam fuiſſe, (31) id quod et in peſtilentia accidit, quae in Oriente concepta, vbi in alias regiones venit, grauiſſima eſt, et vrbes internecino morbi genere depopulatur, tandem vero ſe remittit, fatiſcit, et penitus extinguitur. Si itaque omni tempore libidinoſa voluptas morbos peperit, quorum ſymptomata iam in vnum, quem venereum vocamus, coaceruata videntur, eaque non parum temperie, ſub alio coelo, accedente victu, omnibusque, quibus morborum impetus, vel leniri, vel incitari, ſolet, fuere immutata, quandoque prorſus a natura ſua deflexerunt, probabile eſt, Campanis, luxurioſe viuentibus, in facie natum fuiſſe verrucarum genus, quod, dum radices altius exegit, ſine magna exulceratione, foedaque, quae relinqui ſolet, cicatrice, excidi haud potuit. Iis enim, qui lue venerea infecti ſunt, non ſolum in obſcoenis, ſed aliis quoque corporis locis, frequentius tales fieri excreſcentias, notum eſt, vnde facile collegeris, illa Campanorum thymia cum noſtri ſeculi verrucis aliquam habuiſſe ſimilitudinem.

31) Vide ALEXANDRVM TRAIANVM PETRONIVM *de morbo Gallico L. II. Cap. 8. Collect.* LVISINI *T. II. pag. 1208.* qui, vt GVOLPHGANGVS IVSTVS *in Chronologia Medicorum p. 255.* teſtatur, anno circiter poſt ſeculum decimum quintum triceſimo quarto claruit. Conf. THOMAM SYDENHAM *in Epiſtola de lue venerea pag. 411. Edit. Lipſ.*

PROLVSIO IIII.

DE MORBO

ΕΝΘΟΥΣΙΑΖΟΝΤΩΝ ΚΑΙ ΕΝΕΡΓΟΥΜΕΝΩΝ

PANEGYRI

IOH. GOTTLIEB HEYLERI.

D. XXIII. OCTOBR. CIↃ IↃ CCXXXII.

PRAEMISSA.

Sapientiam esse, sacra profanis secernere, inter alios Poeta Venusinus testatur. Hac vero sapientia non iis tantum opus esse existimo, qui sacris praesunt, vel rempublicam administrant, vel iurium laqueis enodandis operam insumunt, sed et medentibus, quorum summum officium est, corporis mentisque sanitatem tueri. Hoc nemo inficiabitur, qui illud genus morborum cogitat, quos vulgo a causis supra naturae leges positis oriri opinantur. Sunt enim quandoque homines ἐνθεαστικοὶ vel ἐνθουσιάζοντες, qui non sine multa sanctitatis adfectatione, in mortalium vitia grauiter perorant, flexiloqua, oracula edunt insolita, et quae plerumque maiorum periculorum metum portendunt, praedicunt, de rerum coelestium specie, sibi oblata, et acceptis diuinis veritatibus, gloriantur, qui inter haec omnia crebrius commouentur, conuelluntur, et miris distortionibus artus exercent, corpus inedia conficiunt, et fere enecant, vel alio modo in illud grassantur, quales non soli vulgo, sed et cordatioribus, terrorem trepidationemque iniiciunt. Cum his proxime conueniunt alii, quos ἐνεργεμένους appellant, qui varias scenas ludunt, alios insontes veneficiorum cantionumque incusant, cum phantasmatis, monstris et absentium speciebus pugnant, se subter supraque reuoluunt, et corpus in variam figuram, magna vi et mirabili celeritate, insle-

 ctunt,

ctunt, hisque intuentium animos ad misericordiam inducunt; quae omnia, quamuis prodigiis simillima esse videantur, plerumque a naturalibus causis proficiscuntur. Veneror ea, qua decet, reuerentia sacri codicis, diuinarum veritatum fontis, auctoritatem. Suspicio aeterna oracula, quae olim sanctissimi viri, Prophetae et Apostoli, dederunt, qui, quod plenum sacro spiritu pectus habuerunt, saepe mente commoti et ἐκστάσει abrepti fuerunt. Nec dubitandum est de ἐνεργουμένοις, quos diuina virtute curatos fuisse legimus. Largior etiam, his temporibus similia ex singulari praepotentis Dei consilio accidere posse, illud vero, et perraro futurum esse persuasissimum habeo, et non minori circumspicientia diiudicandum opinor, quam ea, quae de aliis miraculis quandoque iactantur, quorum tamen summam infrequentiam esse rerum sacrarum peritissimi profitentur. Viro autem prudenti, ne dicam Philosopho, indignum est, res, quas non satis comprehendere potest, mox ad Deum, vel κακοδαίμονα, referre. Omnes miramur foetum, in imis visceribus grauidae delitescentem, ex concitata per terrorem, vel desiderium, matris phantasia, summam accipere iniuriam, id quod, quomodo fiat, omnibus obscurum est. Acutissimi philosophi haerent, si hominem intuentur, canina rabie agitatum. Quis enim dilucide explicare, et per causas demonstrare, potest, qui fiat, vt virus, quod animalis rabidi morsu in minimum vulnusculum descenderat, sanguini admixtum, per plures saepe menses, imo annos, quiescat, tandem nec opinato se exsoluat, hominem et siti pariter et aquae metu excruciet, illumque, diriissimis symptomatis confectum, extinguat? Atque haec, quae nemo satis intelligit, a nemine daemoni tribuuntur. Illos vero miseratione digniores esse, reor, quam confutatione, qui animum formidine adeo perterritum habent, vt sibi a maleuolentissimorum hominum artibus, vel a strigibus, lamiis, sagis, lycanthropis, damnum metuant, in quo sane metu plus mali est, quam in eo, quod timetur. Quas non caedes stragesque quotidie ederet proterua pessimorum omneque scelus anhelan-

helantium voluntas, et anicularum, alienis bonis moerentium, inuidia? Nec illud praetereundum eſt, dari frequentius homines, qui talia ex libidine comminiſcuntur, et ludicris artibus, dolis, machinis, fallaciis, praeſtigiis, rerum ementitarum perſuaſione, aliarum adumbrata expreſſione, imo, (nam eo vsque progreditur perditiſſima ſycophantias ſtruendi cupido) doloris et moleſtiae pleniſſima exercitatione, inedia, inflictis ſibi vulneribus, variisque cruciatibus, fraudem faciunt incautis, ex quo fit, vt ii, qui prono nimis adſenſu hos hiſtrionicos ludos, ex magicis artibus profectos, ſerio crediderunt, re tandem deprehenſa, hanc ipſam credulitatem ſibi tamen pudori ducant. Si vero, in quod in primis animum intendo, inſontes, et ab omni fraude alieni, eiusmodi morbis conflictantur, ad horum ſedem cauſamque eruendam quaedam altius repetenda eſſe ſentio. Omnibus compertum eſt, ſenſus internos, mentis etiam immortalis actiones perturbari, cum in corpore aegrotationis naſcuntur, ſanguis abundat, isque corruptus eſt. In febribus delirant aegri, ſi ſanguis impetuoſius in cerebri mollioris vaſa ruit, illaque diſtendit, quae et cauſa ebrietatis eſt; nam, et hanc delirium eſſe, nemo dubitabit. Melancholici et maniaci fiunt, in quibus ſperma, bilis, aliiue humores, redundant, vel paſſim vermes nidulantur. Ex aliis rebus, ſoporifera, vel venenata, vi praeditis, idem accidit, ſi adſumuntur, vel corpori exterius admouentur, quo pertinent opium, hyoſcyamus, tarantulae, et animalis rabidi, morſus, ſimiliaque. In hominibus autem, qui, his rebus oppreſſi, obierunt, nec non, qui per totam vitam deſipuerunt, poſt fata plerumque cerebrum male adfectum reperitur. Cerebro enim, id quod multis modis fieri poteſt, laeſo, omnes ſenſus internos externosque grauiter turbari, imo penitus aboleri, muſculos etiam motus animalis organa conuelli, vel reſolui, capitis uulnera et fractae caluariae ſymptomata teſtantur. Vt vero corporis morbi animi ſanitatem labefactant, ſic haud minus animi aegritudines corpus adfligunt. Lippis et tonſoribus notum eſt, quam uariis grauiſſimis tenaciſſimisque morbis impli-

cari

cari ſoleant homines, adfectibus, ira, metu, amore, moerore, deſiderio, vehementer agitati, et quam mirabilis horum uis ſit in augendis, mutandis, ſoluendis quandoque morbis. Hiſce animi motibus accenſenda eſt acerrima cogitatio, quae de literarum ſtudiis, rebusque arduis, maiori cura ſuſcipitur. Quare, qui ſe nimium illis diſciplinis immergunt, quae non, niſi perattento animo, diſcuntur, tandem ſaepe uecordes fiunt, et a mente deſeruntur. Nil dico de vatibus, quibus, ne humillimi ſpiritus poetae eſſe videantur, neque frigida carmina pandant, artis eſt, furore incendi, quare et οἱ μάντεις nomen ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι duxiſſe dicuntur. Si vero et haec, quae peruulgata ſunt, et ipſum cerebrum attentius conſideramus, quod et mentis noſtrae ſenſuumque internorum ſedes, et omnium neruorum, quibus et externae ſenſiones et motus voluntarii perficiuntur, principium eſt, et ſi ſimul in nobis ipſis experimur, ex rerum ſenſione formari ideas, has ex iterata ſenſione, vel ſi iis voluntatis commotio, efferata cupido, delectatio, metus, terrorque, acceſſerit, magis perſpicuas fieri, et animo altius ac pertinacius inſidere, non adeo mirum videri poteſt, ex turbatis tam per corporis habitudinem, quam per mentis exercitationes ideis, phantaſiam excitari, et in ſummos ac truculentiſſimos errores abripi. Quemadmodum igitur ſomniantes plura vident, attingunt, quae reapſe non adeſſe omnes vigilantes concedunt, ſic miſeris, quibus emota phantaſia eſt, variae et coeleſtium et rerum horridarum ſpecies obuerſantur, quae, quod coram ſint, nemo ſanus exiſtimabit. Semper etiam, quae ſic aegrotantes comminiſcuntur, ea eſſe, vel his analoga, deprehendimus, quibus illorum phantaſia olim commoueri coepit. Morbus vero ex phantaſia ortus ingraueſcit, altioresque agit radices, ſi tandem, vt ſupra probatum fuit, cerebro male ſeſe habente, corporis vires franguntur, humores tenuiſſimi non ſatis elaborantur, qui ad circuitum vitalem minus idonei, exiles cerebri tubulos permeare, ex his ad neruos, aliaque organa, demitti haud commode poſſunt. Nec minus, ſi ex corpore vitium ad cerebrum redundauit, illud

incre-

increbreſcit, ſi aegro ideae obueniunt, rerum, quae multum horret, et auerſatur, vel, quae auidius appetit. Homines itaque ex omnium, vel optimarum, rerum attenta meditatione, ſi ſe ab illa non remittunt, ſed iterato ſemper ſenſu reuocata memoria, animum magis intendunt, tandem deſipere poſſe, grauesque et mirabiles valetudines experiri, conſtat, id quod iis frequentiſſime euenit, qui vagae lectioni librorum myſticorum omne tempus tribuunt, illaque animum inflammare haud deſiſtunt. Cur vero ii, qui ex phantaſia aegrotant, non aliis morbis, febre, inflammatione, dolore, corripiantur, ſed ſpaſmis et conuulſionibus, quae neruorum vitio fiunt, ex eo intelligendum eſt, quod neruorum eorum, quibus animales muſculorum motus ſenſionesque fiunt, principium eſt cerebrum, phantaſiae ſedes. Itaque, ſi hoc maligno ſydere adflatum fuerit, non viſcera, cor, pulmones, ad quae nerui ex cerebello exporriguntur, ſed muſculi, ſenſuumque organa, offenduntur. Atque etiam pueri prae aliis his morbis vexantur, quod huic aetati et phantaſia viuidior eſt, et maior in conuulſiones procliuitas. Vt vero aliorum morborum labes in plures dari, et contagione vulgari, ſolet, ita et hae aegritudines furoresque plures ſaepe peruadunt, quorum in animis haec viſa, audita, vel lecta, altius imprimuntur, cerebrum commouetur, et phantaſia in vanas imagines euocatur, vt et harum aegritudinum quaedam ſit contagio. Qui vero his mederi cupiunt, eos oportet, morbi ſedem et originem noſſe, cauſasque bene diſtinguere. Exturbentur vermes, educantur, corrigantur vitiati abundantesque humores, auerruncetur adſumtum, vel corpori admotum, virus. Si vero ex commota phantaſia malum enatum eſt, vel, ſi hoc, quamuis aliunde ortum, phantaſiae erroribus alitur, radicatae, actiuioresque, ideae alia ſenſione depellendae, et, nouis ſubminiſtratis ideis, mens ſenſim ac ſenſim ad rectiorem viam reuocanda eſt. Mutandus ante omnia eſt locus, aeger ruri ſit, ſemoueatur ab omni turba et muliebribus lamentationibus, quae, vt repetitae coram illo mirabilium, non raro commentitiorum, ſymptoma-

tum enarrationes pernicioſiſſimae ſunt, quod iisdem vitiatae phantaſiae nouum robur additur. Sit aeger cum cordatioribus, qui ſermonibus ad rectae rationis normam compoſitis, nec ſeueris, nec nimis blandientibus, tempus fallunt, morbum vero negligentius curare videntur. Experientia enim docuit, eum non raro deſaeuiiſſe, ſi defuerunt anxii eiusdem admiratores. Ab initio etiam, dum omnia concitatiora ſunt, animusque aegri percitus ac ferox eſt, alienas eſſe puto ſuaſiones argumentaque ex doctrina morali deprompta, quia mens phantaſiae erroneae actiuitate obcoecata his omnibus adſentire, voluntas ſaluberrimis conſiliis obtemperare nequit, quin illo tempore phantaſiam, iam furore inſtinctam, his ſermonibus, noua quaſi impulſione, concitari credideriim. Si vero valetudinis grauitas leuari, et aeger dicto audiens eſſe, coepit, tunc amica adhortatione blandaque correctione animum, iam in meliora inclinatum, flecti, et ad rectae rationis viam deduci, confert. Male etiam his miſeris a medicis conſulitur, qui, morbi cauſas ſedesque ignorantes, naturae vires, quarum beneficio grauiſſimi morbi ſoluuntur, euacuantibus exhauriunt, ſopientibus obtundunt, animi vero curationem minus penſi habent, vel prorſus negligunt. Quod tandem ad eos attinet, qui per malitiam, fallaci harum rerum imitatione alios ludificare conantur, horum petulantia optime frangitur contemptu. Prudentis itaque medici eſt, in morborum diuerſiſſimorum curationibus, non in corporis tantum conſtitutionem, ſed in eam etiam opportunitatem, quae in animo ad gignendas augendasque valetudines eſt, omnesque alias occaſiones, conſiderationem curamque intendere.

PRO-

PROLVSIO V.

DE MAGNO HVNDT

TABVLARVM ANATOMICARVM

VT VIDETVR, AVCTORE

PANEGYRI

IOHANNIS CHRISTOPHORI POHLII

PRAEMISSA

D. X. SEPTEMBR. CIↃ IↃCCXXXIIII.

Apud antiquiſſimos populos conſuetudinem inualuiſſe legimus, vt, ſi quis ingenii induſtria aliquid, quod mortalibus vſui foret, inueniſſet, illi ſummi diuinique honores cultusque religioſi decernerentur. Fuit enim, PLINIO (1) teſte, *vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, vt tales numinibus adſcriberentur.* Negandum non eſt, hanc veterum in ferenda gratia pietatem ad turpiſſimam et anilem ſuperſtitionem deflexiſſe, quod numerum Deorum innumerabilem redderent, imo non homines ſolum, ſed res etiam ſordidas ac deformes, a quibus aliqua ad humanum genus redundauerat vtilitas, religione maxima, aſt peruerſa et impia, colere haud dubitarent. Haec nefanda deliratio, qua omnis religio ex animis hominum radicitus extracta fuit, quanquam omnino repudianda eſt, nihilominus non parum intereſſe exiſtimo, eorum nomina, quorum ope quaedam ad vitae cultum, vſumque, vel ad bonarum artium incrementum fuere prolata, cum grata recordatione retineri, dignisque laudibus efferri. Quam ob rem nemini indignum videbitur, ſi iam egregii, et de omni literarum ſtudio optime meriti, viri, qui quondam in

1) *L. II. Cap. VII. p. 72. Edit.* HARDVINI conf. CICERO *de Natura Deorum L. II. Cap. 24.*

noſtra muſarum ſede floruit, vitam exponere, laudesque ipſi debitas commemorando renouare, annitar. Loquor de MAGNO HVNDT, qui, cum Magdeburgi natus eſſet, ex more illius temporis, ſe Parthenopolitanum dixit, et de quo, quod primus anatomen tabulis et iconibus illuſtrauerit, propius a vero eſſe videtur. Anatome a vetuſtiſſimis Medicis et Philoſophis, GALENO inprimis culta, rudis tamen et manca relicta, ab Arabibus, nec non a Clericis hominibus, penes quos poſt CONSTANTINVM AFRICANVM omnis doctrina conſtitit, neglecta, per plura ſecula nullis aucta fuit acceſſionibus. Neque MVNDINVS, qui ab initio ſeculi XIIII (2) corpora incidere, et viſcera propriis oculis luſtrare, denuo coepit, pigerrimos artis doctores, vaferrimos GALENI et ARABVM interpretes, ad anatomicas exercitationes excire ſatis potuit, qui, relictis prioribus ducibus, ſe totos ad praelegendum tyronibus MVNDINVM contulerunt, et, lingua, quam manu, promtiores, huius libellum, non per facta experimenta et cadauerum ſectiones, ſed per verborum inanitates, explicare anniſi ſunt. Mirabile tamen videtur iis ipſis temporibus, quibus nemo de incidendis humanis corporibus cogitauit, quosdam conſilium iniiſſe, anatomen per tabulas, pingendique artem, exponendi; quod inſtitutum, quantum rerum noſtrarum ſtudioſis profuerit, omnibus compertum eſt. Non eos equidem imitari decet, qui corporis humani fabricam, poſitum, ordinemque, ex ſolis libris et tabulis diſcere cupiunt, ſectionem, quod non minus ſordida, quam poſt aliorum labores ſuperuacanea ſit, contemnentes, quales anatomicos iconicos, vel quoniam omnia ex vmbris comprehendunt, umbraticos, appellare poſſis. Noſtram tamen ſalutarem profeſſionem

2) Celeberrimus BOHNIVS in Praefat. in HIERONYMVM FABRICIVM *ab Aquapendente* lapſus eſſe videtur, qui MVNDINVM ab initio Seculi XIII. vixiſſe ſcribit. Ipſe MVNDINVS teſtatur in Cap. de Anatomia vaſorum ſpermaticorum et de eorum differentia et conuenientia, et de anatomia matricis in Edit. CARPI *p. 183. et in Ed.* MATTHAEI CVRTII *Papienſis, Papiae 1550. editae, p. 170.* ſe anno 1315. diſſecuiſſe duas mulieres, et anno 1316 matricem porcae, quae verba etiam adducit Clariſſimus STOLLIVS in der Anleitung zu der Mediciniſchen Gelahrheit, *p. 403.*

nem per corporis icones anatomicas multum increuiſſe, ex eo certum eſt, quod tyrones ea, quae in ſectionibus oculis conſpexerant, domi, adhibitis figuris, ad veram partium ſimilitudinem propius accedentibus repetere, omniumque memoriam leui opera denuo excitare, queunt. (3) Non minorem itaque laudem mereri is videtur, qui primus corporis animalis ſedes et figuras ad anatomicos vſus in tabulis effingere inſtituit, quam qualem, ex veteribus philoſophis, ANAXIMANDER conſecutus eſt, de quo, quod primus geographicam tabulam ediderit, memoriae proditum legimus. (4) Quis vero ex Anatomiae cultoribus is fuerit, magna inter autores eſt diſſenſio. IOHANNES RIOLANVS filius, (5) CASPARVS HOFFMANNVS, (6) et qui hunc ſecutus eſt, Celeberrimus SCHVLTZIVS (7) obſeruarunt, ARISTOTELEM, (8) qui plu-

3) Tabulas Anatomicas omnes adſpernatur IACOBVS SYLVIVS *in Iſagoge Anatom. L. III. C. IIII. p. 82. Edit. Venet. de anno 1556.* et *in Operibus Colon. 1630. editis p. 121.* his verbis: „Singulo„rum inteſtinorum iam enumeratorum „magnitudo, figura, ſitus, connexio, in „ipſis corporibus ſecandis potius, quam „in picturis quibusdam omnino vaniſſi„mis, et quae ne ſuperficiem quidem cor„porum repraeſentare poſſunt, ſpectan„da. Naturae igitur archetypum ſeque„re, non imitatricem eius artem, omni„no mancam et rerum vmbras etiam ma„le effigiantem.„ Haec a Syluio ſcripta fuiſſe videntur in odium VESALII, cuius, vt notum eſt, olim praeceptor, poſt acerbus obtrectator et aduerſarius fuit. Cum eo tamen ſentit IOH. RIOLANVS filius in *Anthropographiae L. I. C. XVI. p. 51. in Edit. Operum Lutetiae anno 1649.* qui tamen eo loco egregium de tabulis anatomicis variorum autorum VESALII, CAROLI STEPHANI, VALVERDAE, LAVRENTII, EVSTACHII, FABRICII ab AQVAPENDENTE, CASSERII, BAVHINI tulit iudicium; pro Anatomicorum iconiſmis vero loquitur HERMANNVS CONRINGIVS *in Introduct. in Artem Medicam Cap. IIII. p. 151.* confer GVNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI *commentarium p. 178.*

4) Vid. STRABO *L. I. p. 13. Edit.* GRONOVII.

5) *l. c.*

6) *Inſtit. Med. L. II. C. 22.*

7) *Specimine II. Hiſt. Anat. §. 6.*

8) Potiora loca in ARISTOTELE ſunt *de hiſtoria animalium, L. I. C. XVII.* ſub finem *Edit.* GVILIELMI du VAL *de anno 1619. T. I. p. 777.* Διαφέρει γὰρ ὑθενὶ τῶν ἔσω, πλὴν ταῖς ὑστέραις· ὧν ἡ μὲν ὄψις θεωρείσθω ἐκ τῆς διαγραφῆς τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς, et *L. III. C. I. p. 795.* Αὐτῶν δὲ τούτων, πρὸς ἄλληλά τε καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἰχθῦς, ἡ διαφορὰ τῶν ὑστέρων, ακριβέστερον ἂν θεωρηθείη τοῖς σχήμασι ἐκ τῶν ἀνατομῶν. *De generat. animalium L. II. C. 7. p. 1090.* Δῆ δὲ ταῦτα θεωρῆν ἔκ τε τῶν παραδειγμάτων τῶν ἐν ταῖς ἀνατομαῖς καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱστορίαις γεγραμμένων alia loca vide in RIOLANO *l. c. C. IIII. p. 21.* et SCHVLZIO *l. c.*

rimum operae in animalium sectione consumsit, plus simplici vice mentionem feciſſe tabularum, in anatomicis libris conſpicuarum. Dolendum tamen eſt, libros, quos de anatome ſcripſit ARISTOTELES, noſtram aetatem haud attigiſſe. Quod ſi iam a ſummo hoc Philoſopho tabulae anatomicae fuiſſent adornatae, nemo tamen inſequenti aetate, et ad ſeculi XVI. initia vsque, eum imitatus eſſe videtur. Inuentarum vero, vel, ſi placet, inſtauratarum, iconum anatomicarum gloriam, alii MVNDINO, (9) alii IACOBO CARPO, (10) alii CAROLO STEPHANO, (11) deferre voluerunt, quos tamen omnes concepta opinio fefelliſſe videtur, iſtas artes a ſolis Italis Gallisque cultas et nutritas, a noſtratibus penitus neglectas, fuiſſe. Nouimus autem, Germanos plerumque a verboſo laudum ſuarum praeconio abſtinuiſſe, et ideo non raro factum eſſe, vt quidquid laudis gloriaeque noſtratibus ob rerum vtilium inuenta debe-

9) Vid. Cl. GOELICKE *in Hiſt. Anat. p.* 42 quem errorem iam notauit STOLLIVS *c. l. p.* 404. MVNDINI libello primus figuras cum commentario adiecit IACOBVS CARPVS, poſt hunc vero IOHANNES DRYANDER, qui anno *1541. Marburgi commentarios in* MVNDINVM *cum figuris edidit*, vide LINDENIVM, vltimos tamen me haud vidiſſe fateor.

10) Vide BOERHAVII et ALBINI celeberrimorum virorum *praefationem in nouam Edit. Operum* VESALII. IACOBVS BERENGARIVS, *Carpenſis, anno 1521. edidit Bononiae Commentaria cum ampliſſimis additionibus ſuper anatomiam Mundini vna cum textu eiusdem in priſtinum et verum nitorem redacto*, et *anno 1523. d. XV. Iul. eodem loco Iſagogas breues pellucidas ac vberrimas in anatomiam humani corporis a communi medicorum academia vſitatas.* Vterque liber tabulis exornatus eſt, quarum tamen plures reperiuntur *in Iſagoge.*

11) Hanc coniecturam fecit SCHELHAMMERVS in CONRINGIVM *c. l.* et poſt hunc GOELICKE *c. l. p. 60.* errorem vero etiam notauit STOLLIVS *c. l. p. 419.* Editi autem ſunt CAROLI STEPHANI *Libri III. de Diſſectione partium corporis humani vna cum figuris et inciſionum declarationibus*, a STEPHANO RIVERIO *compoſitis, Pariſiis, 1545.* apud *Simonem Colinaeum*, et ſic poſt primam Edit. magni operis VESALII *de fabrica humani corporis*, quae anno *1543.* prodiit. Conqueritur vero CAROLVS in praefatione, rerum anatomicarum ſtudioſos nonnullas figuras fuiſſe ſuffuratos. Num his intelligat VESALIVM, cuius tamen tabulae longe feliciori et perfectiori opera delineatae ſunt, nolo nunc inueſtigare. Nam praeter CARPVM ante STEPHANVM icones anatomicas ediderunt IOHANNES DRYANDER *Marpurgi anno 1537.* et autor ille πολύγραφος GVALTERVS HERMANNVS RYFF in *Anatomia vernacula* conſcripta *Argentorati 1541.*

debebatur, ſcriptores exteris aemulisque tribuerent. Clariſſimus STOLLIVS (12) vero ſuſpicatus eſt, tabulas anatomicas IACOBO CARPO eſſe antiquiores, qui ex indice librorum beati noſtri RIVINI cognouit, anno ſeculi XVI. decimo quinto hic Lipſiae euulgatum fuiſſe libellum, cui titulus: *Compendioſa capitis phyſici declaratio, principalium corporis humani membrorum figuras liquido oſtendens*, Hoc opuſculum, quod ſcribenti ad manus eſt, Lipſiae anno MDXVI. apud WOLFGANGVM MONACENSEM impreſſum, antiquitate omnino ſuperat CARPI libros. Habet etiam illud quasdam figuras, aſt prorſus eodem typo expreſſas, quo ſunt illae, quas ante quindecim annos euulgauerat MAGNVS HVNDT, de quo mox dicemus. Vnica tabula, eaque prima, quae medium, imumque, ventrem inciſum, horumque viſcera, repraeſentat, complet totam fere paginam, et maior eſt ea, quae in MAGNO HVNDT occurrit, huic tamen in omnibus ſimillima. De autore nihil conſtat, videtur tamen fuiſſe vnus ex MAGNI HVNDT diſcipulis, qui ſuperſtite magiſtro, iisdem figuris et eodem typographo vſus eſt. Nam, vt tandem ad hunc propius accedamus, quantum hucusque ex collatis variis ſcriptis comperiri potuimus, MAGNVS HVNDT, *Parthenopolitanus*, hic Lipſiae primus corporis humani partes rudi, aſt noua, arte in tabulis, ligno inciſis, imitatus eſſe videtur. Proſtat eius *Anthropologium de hominis dignitate, natura et proprietatibus, de elementis, partibus et membris humani corporis, de iuuamentis, nocumentis, accidentibus, vitiis, remediis, et phyſionomia ipſorum. De excrementis et exeuntibus. De ſpiritu humano eiusque natura, partibus et operationibus. De anima humana et ipſius appendiciis per* MAGNVM HVNDT. *Parthenopolitanum, ingenuarum artium Magiſtrum in gymnaſio Lipzen. Ad laudem Dei et communem ſtudioſorum hominrm vtilitatem quam accuratiſſime ex philoſophorum libris congeſtum.* In calce libri haec leguntur: *Impreſſum et finitum eſt hoc opus Lipzick per* BACCALAVRIVM WOLFFGANGVM MONA-

12) *l. c. p. 410.*

MONACENSEM. *Anno noſtrae ſalutis MCCCCCI.* Conſpiciuntur in eo plures icones, quibus corporis humani partes non tam expreſſae, quam craſſiori muſa, rudique caelo, adumbratae ſunt. Itaque Capite XXVIIII. tabula cernitur, quae hominis totius figuram et corporis ſedes exteriores, adſcriptosque ſingulis titulos exhibet. Cap. XXX. delineata eſt figura totius capitis, indicatis etiam cerebri ventriculis, vt et alia figura, qua caluaria, ſuturis ſuis diſtincta, deſcribitur. Cap. XXXIII. figura oculi. Cap. XXXVIII. manus chiromantarum ſignificationibus exornata. Cap. XXXVIIII. praecordiorum. Cap. XXXXI. muſculorum abdominis. Cap. XXXXII. ſpondylorum dorſi et neruorum intercoſtalium figura conſpicitur, quae vltimae tres nudis paucisque lineis ductis ſunt deſignatae. Cap. XXXXIIII. venter medius et infimus apertus, et in his denudata viſcera ſiſtuntur. Hanc excipiunt Cap. XLV. duae aliae figurae, cerebri, et huius ventriculorum. Cap. XLVII. tracheae et pulmonum. Cap. XLVIII. cordis cum pericardio et quatuor vaſis maioribus. Cap. L. ſtomachi, ventriculi et inteſtinorum, Cap. LII. ſplenis. Cap. LIII. iecinoris. Cap. LIIII. renum, veſicae et vreterum, tandem Cap. LV. vteri, ouariorum, et, quae ex vulgari errore addiderunt, cornuum, iconiſmi lectorum oculis ſubiiciuntur. Tametſi vero illae tabulae omnes pingui minerua, et ita, ſint delineatae, vt informibus figuris nomina inſcribi neceſſe fuerit, imo quamuis iis adhuc inferiores ſint, quas viginti poſt annos IACOBVS CARPVS edidit, ſane haud ſatis polita arte exſcriptas, opinor tamen, vel ipſum opus rude ac imperfectum indicio eſſe, hoc picturae genus eo tempore in primis conatibus et incunabulis ſubſtitiſſe. Nec tamen ſatis adfirmare auſim, hunc librum fuiſſe principem tabulis anatomicis exornatum, nec pugnacius defendere, MAGNVM HVNDT iſtarum eſſe inuentorem. Vetat enim hoc facere, quod hic autor, quantum nouimus, nullam fecerit mentionem, hoc inſtitutum nouum eſſe, et a ſe inuentum, nobis nunc illud ſatis eſt, hoc opuſculum IACOEI CARPI, et reliquorum omnium, quibus

hoc

hoc ab aliis tribui consueuit, scriptis esse antiquius. Noster vero liber forte ideo in plurimorum obliuione iacuisse videtur, quia similia temporum istorum caliginosorum scripta hodie in tanta, qua gaudemus, literarum luce, a paucis literariae rei studiosis expetuntur, a reliquis, ad perfectiora properantibus, merito negliguntur. Eum tamen adduxerunt IOH. GEORGIVS SCHENCKIVS, (13) IOH. ANTONIDES van der LINDEN, (14) et IACOBVS DOVGLASSIVS, (15) qui uero de iconibus lectores haud admonuerunt. Vt vero tandem ad ipsum autorem, qui MAGNVS CANIS, vel, Germanico idiomate, HVNDT, dicitur, veniamus, is olim in hac nostra Academia, tum propter doctrinae, qua institutus erat, abundantiam, tum propter frequentes ipsi delatos honores, magna in celebritate fuit. Quantum ex variis monumentis (16) comperiri potui, is Magdeburgi anno MCCCCIL ex nobili familia natus, in nostra, quam adiit, Academia, anno istius seculi LXXXIIII. inter Philosophiae Baccalaureos, et anno LXXXVII. inter Philosophiae Magistros, receptus fuit, quibus anno LXXXVII. Decanus praefuit, (17) Anno MID. vero summum Academiae magistratum iniit, et iam Rector factus, a nostro ordine primos in arte, seu Baccalaurei, honores, et eodem tempore locum in Collegio maiori Principum, consecutus est. Tunc etiam Medicinae Doctor creatus, artem publice docuit, qui antea Physices Professor inter Philosophos fuerat. Tandem vero, versis in Theologiam studiis, anno seculi XVI. quarto Theologiae Licentiatus, annoque sequeuti

13) *In Bibliotheca Medica p. 389.*

14) *de Scriptis medicis.*

15) *in Specimine Bibliographiae anatomicae p. 44.*

16) Multum debeo diligentiae, quam in colligendis vitis medicorum, maxime Professorum Lipsiensium, adhibuit Celeberrimus RIVINVS, cuius etiam manes veneror. Ille enim, quae potuerat, ex Academiae et Ordinis Philosophici matriculis collegit, duas etiam MAGNI HVNDTII imagines eruit, quae omnia mecum communicauit Clarissimus Dn. M. LANGGVTH, eius ex filia nepos, de quo spes est, fore, vt auita in orbe literario gloria, eius industria olim magis adaugeatur.

17) vide catalogum Decanorum in SCHNEIDERI *Chronico Lipsiensi p. 337.*

ti Doctor, factus, et hanc disciplinam publice profiteri coepit. Ex quo etiam factum est, vt anno seculi duodecimo in ordinem Misnensium Canonicorum cooptaretur. Vir fuisse videtur priscae grauitatis, castusque religionis tutor, id quod ex GEORGIO FABRICIO, *Chemnicensi*, praestantissimo viro, cognoscimus, qui testatur: (18) *In illo viro nihil non ad seueritatem fuisse compositum, eumque frequentius dicto vsum: Inter seculares nugae sunt nugae, sed inter sacerdotes sunt blasphemiae.* Obiit anno seculi istius nono et decimo Misenae, quo nostra Academia translata fuerat, propter pestilentialis morbi, hanc ciuitatem eo anno vrentis, metum. (19) De eius familia nihil habeo, quod addere possim, eodem tamen tempore et alius in hac Academia floruit eiusdem nominis, qui post nostri obitum anno MDXXI. Decani philosophorum officium susceperit. Claruit etiam ANDREAS, qui anno eiusdem seculi duodecimo eandem dignitatem consecutus est. Noster vero plura scripta reliquit, quae, pro istius aetatis ratione, egregia fuerunt, et, eum uirum fuisse multis literis variaque scientia praeditum, confirmant. Designationem ad annum vsque XIIII. nobis dedit coaeuus scriptor Anonymus, a IOACHIMO IOHANNE MADERO editus. (20) Sunt etiam quaedam MSCta, quae in Bibliotheca Academiae asseruantur. (21) Haec vero, quae ita proposita sunt, disputaui, ut alii doctissimi viri, qui de tabularum anatomicarum origine, vel antiquiora, vel magis comperta, habent, hac scriptione ad ea euulganda excitentur.

18) *Rerum Misnensium L. III. p. 81.* vbi etiam eius legitur epitaphium, a COMEANDRO positum.

19) vide FABRICIVM *c. l.*

20) *In Scriptorum insignium, qui in celeberrimis, praesertim Lipsiensi, Wittebergensi, Francofordiana ad Oderam Academiis floruerunt, Centuria n. 48.*

21) e. g. Collecta a Dn. MAGNO HVNDT SS. Theol. Profess. Medicinae Doctore in *Lib. II. Sententiarum Quaestiones variae disputatae.* vid. IOACH. FELLERI *Catalog. Cod. MSCtor. Biblioth. Paulinae, p. 422.* Prostat etiam in eadem Bibliotheca *codex Mscr. Institutionum*, quem MAGNVS HVNDT Academiae testamento legauit, de quo vide celeberrimi SCHWARZII σχόλια φιλολόγικα in Prooemium Institutionum ex collatis XII. Cod. MSS. et libris impressis.

PRO-

PROLVSIO VI.

DE ANATOME SVBTILIORI

OB VSVM

INPRIMIS CHIRVRGICVM NON NEGLIGENDA.

SECTIONI PVBLICAE

CADAVERIS MASCVLINI

D. XXIIII. NOVEMBR. CIↃ IↃ CC XXXIIII.

PRAEMISSA.

Anatome carere posse neminem, qui hominum sanitatem tueri vult, atque iuuare, res est adeo euidens, atque explorata, vt de ea addubitare turpissimum videatur. Quamuis vero vix non omnes concedant, tirones, qui arti discendae nomina dederunt, demortuorum corpora incidere debere, viscera que scrutari, plures tamen iis conuiciantur, qui anatomiae paulo exquisitius studeant, et solerti ac subtili sectione, variaque enchiresi, vt corporis compagem inuestigent, annituntur. Nemini autem ignotum est, admirabilem humani corporis fabricam, summamque eius perfectionem, ex minimis constare, omnem saepe sensuum aciem fugientibus, quare, si in anatomicis exercitationibus ea demum oculis exponuntur, quae obuia sunt, et cuilibet in sensus incurrunt, neglectis aliis, quae, quod recondita sunt, maiori solertia erui, et in lucem exponi, debent, rudis manet scientia, et manca, quae, nec tironem satis instruere, nec artem, salutis humanae praesidem, ad maiorem certitudinem, nobilitatemque, perducere, potest. Quam vtilis vero, et quam necessaria, ad artem faciendam, sit subtilioris anatomiae cognitio, singulari studio persecutus est, et luculentissimis ex omnibus medicinae partibus depromptis exemplis confirmauit Celeberrimus HEISTE-

RVS, (1) vt hanc controuerſiam, quae inter variarum ſcholarum ſectatores per magnae contentionis diſputationes tractata fuit, nunc repetere ſuperuacuum foret. Vnicum tamen adferre licebit exemplum, ex quo clarum eſt, non impune negligi accuratiorem anatomen, eamque ſui contemptum quandoque grauius vlciſci. In lucem eduntur non raro partus, quibus ſupra nates, in inferiori ſpinae parte, tumor eſt ſatis magnus, mollis tamen, et digito prementi cedens, ex quo, ſi is aperitur, humor effluit, quo effuſo, infantes plerumque celerius extinguuntur. Poſt mortem, ea parte, qua tumor erat, teneriores ſpondyli diducti reperiuntur, et ſpina bifida eſt. Hoc tumoris genus, quod a non paucis nobiliſſimis artis noſtrae Profeſſoribus ſtudioſius deſcriptum et delineatum eſt, (2) recentiores quidam non dubitauerunt, neglectis euidentioribus cauſis, ad obſcuriores referre, qui audacter adfirmant, illud a nulla alia cauſa oriri potuiſſe, quam ab imaginatione matris, hunc partum vtero continentis. Imo eo vsque progrediuntur, vt hunc, quem ſic appellant, naeuum mater-

1) *In Diſſert. de Anatomes ſubtilioris vtilitate, Helmſtadii, 1728.*

2) IOH. SCHENCKIVS *Obſ. Med. L. V. Obſ. 48. p. 318. et Obſ. 51 p. 321.* IOH. TVLPIVS *Obſ. Med. L. III. Cap. 30. p. 30.* IOH. MVYS *Praxeos Med. Chir. Rationalis Dec. VIIII. Obſ. V.* FRIDERICVS RVYSCHIVS *Obſ. Anat. Chirurg. Obſ. 34. 35. 36. p. 45.* et *Epiſt. Problem. XII. p. 24.* GODEFRIDVS BIDLOO *in Exercit. Anat. Chirurg. de Oſſe cribroſo, et neruis olfactoriis laeſis in Operibus p. 187.* HOECHSTETERVS *in Diſſ. de Spina bifida, Altd. 1730.* Celeberrimus IOH. SALTZMANNVS, quem, quod eum olim fautorem ac hoſpitem beneuolentiſſimum expertus ſum, non ſine honoris praefatione nominare decet, in *Diſſ. de Tumoribus quibusdam ſeroſis externis.* *In Ephimerid. Nat. Curioſ.* IOH. LECHELII *Dec. II. Anno II. Obſ. 158. p. 363.* IOH. BVRGII *Dec. II. Anno VI. Obſ. 58. p. 141 ſeqq.* IOH. CONRADI BRVNNERI *Dec. III. Anno I. Obſ. 152. p. 353.* IOH. LVDOVICI APINI, qui vertebrarum infantilium ſtructuram optime expoſuit, *Dec. III. Anno VIIII. et X. Obſ. 180. p. 321.* IOH. DAVID. MAVCHARTI *Cent. VIIII. Obſ. 38. p. 97.* Non ſolum tales tumores ſero turgidi in hac lumborum parte oriuntur, ſed etiam in capite, collo, dorſo, quales Obſerv. vide in *Diſſ.* laudata SALTZMANNI, ex RVYSCHIO *l. c. Obſ. 52. p. 69. et Obſ. 34. p. 45.* PETRO FORESTO *Obſ. chirurg. L. III. Obſ. VII. p. 86.* IDONE WOLFIO *Obſ. Chirurg. Med. XIIII. p. 47.* de hydrocephalo, a cauſis externis et fractura caluariae orto.

ternum, cum genitalibus muliebribus comparare velint, ſuſpicantes, grauidae parentis imaginationem ex conſpectu iſtarum partium in puerpera fuiſſe concitatam. Eandem ſententiam de eiusmodi tumore, eius cauſa, et cum muliebribus ſimilitudine, iam olim propoſuit quidam chirurgus, qui huic, quam mente conceperat, theoriae aliam ſuperſtruxit opinionem, non minus ridiculam. Poſtquam enim is audiuerat, ex inciſo tumore multum humorem fuiſſe effuſum, exiſtimauit hac ſectione apertam fuiſſe vrinariam veſicam, hancque infanti, vel duplicem contigiſſe, vel iuſto capaciorem. Haec vero quam aliena ſint a recta ratione, quilibet deprehendit, qui vera theoria medica inſtructus eſt, et oſteogeniae peritus. Vt enim taceam, eos peſſime facere, qui in pathologia mox ad aberrantis naturae, vel actuoſioris imaginationis ἐνέργειαν confugiunt, in quibus rebus et magna obſcuritas eſt, nec minor dubitatio; (3) hos autores in ea, qua nos verſamur, controuerſia, vel ipſa iſtorum tumorum eidem corporis parti inſidentium, frequentia edocere potuiſſet, aliam ſubeſſe cauſam, hancque ex luſtrato diligentius poſt mortem corpore eſſe eruendam. Experientia enim compertum eſt, infantes, cum his tumoribus natos, laborare hydrocephalo interno, et humorem in caput contractum ad latus ſpinalis medullae per ſacram fiſtulam in haec loca deſtillare, quae ſic ex hac ſeri redundantia intume-

 ſcunt,

3) Grauidarum imaginatione foetum naeuis notari, vel deformari, aut truncari, poſſe, negat Medicus Gallus, Londini artem faciens, nomine BLONDELLVS in libro, cui titulus *The ſtrenght of Imagination in pregnant Women examin'd et the opinion, that Marck's et deformities in Childern ariſe from thence, demonſtrated to be a vulgar Error, London, 1727.* vide *Bibliotheque Angloiſe T. XV. P. II. Art. I.* Nollem quidem ego huic ſententiae prorſus ſubſcribere, cui multorum experientia refragari videtur, nec inficior, in hac ſpinae laeſione, vel in gignendo hydrocephalo, aliquid conferre poſſe perterritae matris imaginationem, cum hoc plures ex ſupra citatis autoribus, et inter hos principes TVLPIVS et SALZMANNVS probare videantur, aſt quilibet animaduertit, hydrocephalum, et ipſos hos tumores, ab aliis etiam occaſionibus enaſci, hinc exiſtimo, non facile ad illas dubias remotasque cauſas in pathologicis confugiendum eſſe, omiſſis aliis propinquioribus, quae absque difficultate ex ipſarum partium fabrica cognoſcuntur.

ſcunt. (4) Infantum enim ſpondyli ex tribus officulis conflati ſunt, quae inter ſe cartilagine committuntur. Haec ſynchondroſis in poſtica vertebrarum parte conſpicitur, quae in adultis in inſignem proceſſum, quem ſpinoſum appellant, conſurgit. (5) In hanc cartilaginem, ſi humor hic confluens incumbit, illa emollitur, et officula paulatim dirimuntur, ſpina diducitur, et muſculi cum integumentis in tumorem leuantur, ex quo, adaperto, humor erumpit. Quia vero, dum, vel inciditur, vel rumpitur, tumor, ſpinalis medulla aëri, aliisque iniuriis, expoſita eſt, tenelli conuelluntur, et plerumque repente iugulantur. Quamuis vero ars nihil hic proficere poſſit, ignorari tamen haec medentem haud oportet, quod ei nihil iuuanti ſemper magis ignoſcendum eſt, ſi inſanabilis morbi naturam recte exponere, et exitialem exitum praeſagire, poteſt. Alia in promptu eſſent exempla errorum, in quos ii rapti fuerunt, qui anatomen neglexerunt. Vidi honeſtiſſimum virum, cui, cum vnus dentium molarium priorum euulſus, alueolus vero hac chirurgia diffractus, et ſic maxillaris ſinus (6) ex ima parte adapertus eſſet, chirurgus, oſteologiae ignarus, quod ſpecillum altius demittere potuerat, perſuaſit, fiſtulam eſſe, ad ſuperiora penetrantem, et ſatius eſſe, hanc non curari, cum illa iam os perroſerit, videndum potius eſſe, vt materiae ſemper exitus detur. Immiſſis itaque per alueolum turundis, et hunc, et nouum, quod in maxillarem ſinum adapertum erat, foramen, calloſum fecit meticuloſus chirurgus, et, cum turunda muco, qui in

4) Aliquando tamen hic tumor in cauum abdominis apertus fuit vid. MVYS *c. l. Decad. XI. Obſ. 9.* et SALTZMANNVS vidit vas lymphaticum, quod per corpus vertebrae, in quo hiatus erat, ad tumorem exporrectum fuit *c. l. §. III. p. 10.*

5) Vide THEODORI KERCKRINGII *Oſteogeniam foetuum Cap. XII. p. 239. Tab. 39. fig. 5.*

6) Hunc optime deſcripſit NATHANAEL HIGHMORVS *in Corporis animalis Diſquiſitione Anatom. L. III. P. II. Cap. I. p. 225.* Nomen habet ab hoc autore antrum HIGHMORI. IACOBVS DRAKIVS vero *in Anthropologia noua* hos ſinus membrana pituitaria inueſtitos delineauit *Tab. XVIII. fig. I. L. K.* et modum deſcripſit, quo mederi poſſumus ozaenae, in his cauitatibus haerenti *L. III. Cap. X. p. 315.*

in pituitaria membrana ſecernitur, ſemper maderet, pus eſſe, ex fiſtulae ſinu latum, pronunciauit, aegrotantemque ad varia remedia adhibenda perduxit. (7) Ex his itaque, et ſimilibus, intelligere poſſunt omnes, quanta anatomiae ſit neceſſitas, ad quam ideo, arti ſtudentes ſedulo excitandi ſunt, inflammandique. Qui vero has diſciplinas tironibus tradere volunt, cum illae nonnihil iniucunditatis habere videantur, eos, me iudice, oportet inuitabili, eaque doctrina, vti, per quam iuuenes mox cognoſcunt, quantum anatome ad artis noſtrae ſcientiam, vſumque, imo ad ipſam, quam ex naturalium rerum contemplatione omnes ſentiunt, dulcedinem, conferat, qua re illorum animi multum incenduntur, et res, quae per naturam horridae ſunt, luroris ac ſqualoris plenae, aliqua hilaritate conſperguntur. Semper mihi illorum conſilium probatum fuit, qui, expoſitis partium corporis noſtri ſedibus, poſitu, ordine, figura, fabrica, non ſolum vſum, quem in oeconomia animali praeſtant, indicant, ſed diſcentes etiam commonefaciunt, ſi iſtarum rerum notitia aliquod lumen praeferre poteſt, medentibus, hosque, quae in variis morbis facienda ſunt, quae vitanda, quae molliter tractanda, docere. Non ſine voluptate ſemper verſaui IOH. RIOLANI, Filii, praeſtantiſſimi olim inter Pariſienſes anatomici, Anthropographiam, in qua, praeterquam, quod illa omni liberaliori doctrina abundat, anatomicis viſcerum aliarumque partium, expoſitionibus adiectae ſunt plures pathalogicae et therapeuticae obſeruationes, quae magnam, et iucunditatem, et vtilitatem, adferunt lectoribus. Laudandum etiam eſt inſtitutum IOH. PALFINI, Gandauenſis Chirurgi, qui ſingulari ſtudio anatomen ad vſus chirurgicos adcommodauit, et poſtquam partium compagem, ac reliqua, quae in anatomicorum ſcholis doceri ac demonſtrari ſolent, recenſuit, addidit, quibus morbis illae ſedes vexari ſoleant, quamnam chirurgiam admittant, et qua methodo, qua adhibita cautione, et diligentia, haec ſit ſuſcipienda.

7) Similem fere caſum legimus in HIGHMORO *c. l.*

da. (8) Si itaque ea, id quod experientia compertum habeo, quae ad pragmaticam medicinam, tum clinicam, tum chirurgicam, tum forenſem, illuſtrandam facere poſſunt, inter reliquas exercitationes a docentibus non omittuntur, ſed breuiter, et quaſi in tranſitu, attinguntur, excitantur tirones, qui ea, quorum notitiam aliquando neceſſariam vtilemque futuram eſſe, praeuident, intentis oculis acrius contemplantur, vtque haec memoriae mandare poſſint, animos mentesque adhibent. Nec parum confirmantur alii, qui in artis ſtudio longius proceſſerunt, dum ſic moniti, eas partes iterum intuentur, quae morbis occaſionem praeſtant, ſedemque, quibus in diuerſis curationibus ſcalpellum admouendum, quibus in iisdem parcendum, eſt.

8) IEAN PALFIN *Anatomie du Corps Humain, avec des Remarques utiles aux chirurgiens, a Paris, 1726.* Noua editio hoc ipſo anno prodiit, cui titulus: *Anatomie Chirurgicale,* quam multum auxit, correxit, notisque adiectis illuſtrauit BOVDONIVS, Med. Doctor Pariſienſis.



PRO-

PROLVSIO VII.

DE CHIRVRGIA OCVLARIA

SECTIONI PVBLICAE

CADAVERIS FOEMININI

D. XII. FEBR. AN. CIↃIↃCCXXXV.

PRAEMISSA.

Illa vitioſiſſima qualiacunque laudandi humanitas, quam pernicioſiſſimam ſtudiorum hoſtem appellauit QVINCTILIANVS, arti etiam noſtrae ſemper peſtifera fuit, eiusque Profeſſores non raro in iniquiſſimos errores induxit. Nec de hac re quemlibet dubitare poſſe exiſtimo, qui vnquam auxilia, a variarum ſcholarum ſectatoribus propoſita, et ſaepe mirifice collaudata, paulo ſtudioſius expendit, et ad optimae magiſtrae experientiae rationem reuocauit. Non rarum enim eſt experiri medentibus, ea, quae ab autoribus impenſioribus verbis extolluntur, inania eſſe, caſſaque nuce viliora, id quod ii, magno ſuo incommodo, prae aliis ſentiunt, qui medicamentis, vulgo ſpecificis dictis, plus tribuunt, quam rationabili medendi methodo, et de illorum viribus ſibi aliisque maiora pollicentur. Quamuis autem haec vna de rebus ad ſalutem generis humani pertinentibus perſuaſio, et indecora ſit, et nocentiſſima, non minus tamen illorum arrogantia improbanda etiam videtur, qui omnia, ab aliis inuenta, vel cum aliqua laude promulgata, ideo contemnunt, quod haec non a ſe fuerunt profecta. Sunt enim non pauci medentium alienae laudis adeo inuidi et maleuoli, vt, ſi forte aegri cubiculum intrauerint, hanc ſibi legem dixiſſe videantur, omnia remedia ab aliis propoſita improbare, quamuis ipſi eadem alia occaſione ampliter laudauerint, et aegrotantibus adhibuerint. In ea ſemper opinione fui, nemi-

nem, qui vel aeris, vel laudis, nimis auidus eſt, et gliſcentis inuidiae felle flagrat, ſatis idoneum eſſe ad medici munus, vt decet, fungendum, ſaluberrimamque artem ex optimae mentis conſcientia faciendum. His igitur temporibus, quo et ars multis acceſſionibus locupletatur, et indies etiam increſcit, illa ſe inuicem, vel laudandi, vel obtrectandi, libido, cordato medico, qui aliquo rerum nouarum ſtudio tenetur, in illud intendendus animus eſt, vt perſpiciat, quae quisque, et quomodo, laudet, et cur alius alia vituperet? Haec nuper ita meditatus ſum, cum forte ea, quae olim de oculorum ſcarifatione commentatus ſum, iterum legerem, *de* qua *ocularia chirurgia*, data hac ſcribendi occaſione, pauca nunc proferre, non alienum futurum exiſtimo. Priusquam vero hanc partem ingrediar, praetereundum haud eſſe ſentio, Cl. MAVCHARTVM Tubingenſium Profeſſorem, iam anno huius ſeculi viceſimo ſexto, de eodem argumento doctiſſimam diſſertationem edidiſſe, cuius, cum in mea ſcriptione, poſt duos circiter annos euulgata, nullam mentionem fecerim, quibusdam ſuſpicionem motam fuiſſe deprehendi, me aliena vſurpaſſe et aliorum bonis me venditare voluiſſe. Ab hoc vero furtiuae laudis ſtudio vsquequaque alieno, illud genus hominum deſpicatiſſimum ſemper viſum fuit, cui eſt, quod metuat:

Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

Dolemus vero, diſſitarum Academiarum lucubratiunculas, vel rarius, vel ſerius, ad nos perferri, id quod doctiſſimae diſſertationi accidit, quae eo tempore, quo mea conſcripſi, et, vt moris eſt, publice diſputaui, nondum mihi innotuerat. Cum vero Cl. Autor eodem Magiſtro WOOLHOVSIO vſus fuerit, a quo vterque, vt videtur, et ipſam enchireſin medendique rationem, et verborum HIPPOCRATIS veram ſignificationem, accepimus, mirum nemini videbitur, ſi inter has commentationes quaedam eſt conuenientia.

Ex

Ex his etiam alius Cl. Autor, qui ſibi ferramentum, ſcarifandis naribus idoneum, in eadem diſſertatione deſcriptum, vindicauit, intelligere potuit, me illud non eam ob cauſam protuliſſe, vt noui inuenti gloriolam aucuparer, qui, illud *mihi oblatum fuiſſe*, diſertis verbis indicaui. *Pacto itaque et iure emtionis illud in meam poteſtatem* eo tempore *veniſſe ſalua*, vt puto, *mea exiſtimatione* nunc confiteor. Parum enim de autore ſollicitus, quem demum ex Cl. viri obſeruationibus cognoui, illud, cum forte mechanicus venale haberet, emi, et cum in ea diſſertatione oſtendiſſem, ante Aegyptios, veteres Graecos iam dudum narium ſcarifationem eſſe molitos, hoc, quia nouum videbatur, delineandum curaui, de eo vero, cnm meum non eſſet, iudicium ferre nolui. Ne vero de fumo diſceptare videar, de ſcarifationis ocularіae vtilitate variam ſententiam, a praeſtantiſſimis viris pronunciatam, et legi, et audiui, quippe cui etiam accidit, vt a nonnullis nimiis laudibus cumulata, ab aliis minoris aeſtimata, imo, vt remedium vanum, prorſus repudiata, fuerit: Quae tamen iudicia magnam partem non tam veritate et experientia, quam ingenio et praeiudicata opinione profecta eſſe videntur. Si vero, id quod ſemper et vbique ſeruandum eſt omnibus, qui artem profitentur, ab illa theatrali rerum commendatione abſtinere volo, nemo certe inficiabitur, et hoc auxilii genus non omnibus oculorum morbis, nec omni lippitudini, conuenire. Hoc auem huic, et omnibus remediis, quae in ſalutem aegrotantium adhibentur, commune eſt. Si enim pharmaca, aliaque artis medicinalis auxilia, propter eorum, qui de iis diſputauerunt, diſcordiam, vel propter id, quod non ſemper bene ceſſerunt, reiicienda eſſent, nihil medicina, quae nunc nimiis opibus laborat, ſpoliatius, nihil egentius, foret. Itaque et ego in dicta commentatione plura morborum genera nominaui, quibus fruſtra, vel nocenter, adhiberi ſcarifatio poſſit. Nec mirum hoc vlli videbitur, qui cogitat, nullam totius corporis noſtri ſedem partemque eſſe, quae tam ingentibus, et variis, caſibus pateat, quam oculi. Incidere quandoque poteſt, vt leuiori malo tale auxilii genus,

quod aliquid aſperitatis omnino habet, neceſſarium non ſit, illudque ſine acri eiusmodi curatione tolli facilius poſſit. Nec modica oculorum inflammatio vllum auxilium deſiderat, ſed ſatis eſt quiete vti, et abſtinentia. Eſt etiam ophthalmiae genus, infantibus frequens, cuius maximus impetus cum febre eſt. Oculus rubet, calet, et primis paucisque diebus lacrymae eunt aquoſae, ſalſae, calidaeque, quae genas, omnesque adſitas partes, rodunt, et exaſperant. Mox, tenuata febricula, intumeſcunt palpebrae, et lacrymae miſta pituita eſt valde copioſa, alba, et mollis, quae, quo craſſior fit, eo periculi minus, minorque vlcerum metus, exiſtit. Glutinantur tandem inter ſe palpebrae, et ſaepe per plures dies oculus aperiri nequit, qui non raro, cum ſubiecta gena, totus porriginoſus videtur. Nam ab initio a ſalſis calidisque lacrymis ſupremae cuticulae aſpredo et puſtulae oriuntur, ex quibus et, pituita arida facta, cruſta enaſcitur foeda et craſſior, et quae minus peritis mali vlceris opinionem facit. Parentum et timidarum muliercularum coetus, hoc adſpectu perterriti, in pus verſum ruptumque eſſe oculum, eumque foras procedere, clamitant, in quem timorem ex craſſae albidaeque pituitate curſu perueniunt. Hoc morbi genus, quamuis atrociſſimum videatur, per ſe ſaneſcit, modo medicus febre ad remedium vti nouerit, id quod locuples docuit experientia. Durante enim febris impetu, et vrgente vehementius dolore, confert ea diligentius dari, quibus febrilis calor paululum infringitur. Moderatio tamen adhibenda eſt, ne euacuantibus vires aegrotantis bonique ſucci exhauriantur, quorum vſus in cruditate et medio febris impetu nocentiſſimus eſt. Nam euacuantibus illud plerumque efficitur, vt materia, quae ex febrili metaſtaſi in oculum incurrit, et quae, nec auerti, nec diſcuti, poteſt, poſtea huic pertinaciter infideat, metumque adferat longae valetudinis, ac chronicae lippitudinis, ex qua corneam exulcerari frequentiſſimum eſt. In curatione itaque primum eſſe opinor, aegrum in conclaui teneri, in quo eum, nec nimius calor, nec frigus, nec afflatus, laedit, in quo aër purus eſt, nullis effluuiis ſtagno-

gnorum, ſordium, aliarumque rerum, refertus. Illud velis opacum, nec tamen obſcurum, faciendum eſt, oculus vero interdiu non obligandus, ſed contegendus, nunquam comprimendus. Victum dari oportet tenuem, qui nec implet, nec valde nutrit, ſed ſuſtinet, potionem vero dilutiſſimam, quae ſitim extinguit, haud vero corpus incendit. Aluus non, niſi lotionibus mollientiſſimis, ducenda, et demum, inclinata paululum febre, rhabarbaro, vel manna, vtendum. In oculum haud quidquam coniiciendum eſt, cui nulla re melius ſuccurritur, quam, ſi craſſioris pituitae profluuio, inter ſe glutinantur palpebrae, quarum coalitu, ſeu tutamento quodam, contra aëra, qui omnibus inflammatis inimicus eſt, nobiliſſimae partes cuſtodiuntur. Cum etiam continuati fletus infantibus multum noceant, vitanda omni modo cauſa eſt, quae lacrymas excitat. Si vero aliquid agendum videtur, nam vix otioſum eſſe ſinit medentem parentum, de exitu dubitantium, ſollicitudo, ſatis eſt, primis diebus, dum lacrymae limpidae ac ſalſae profluunt, et inflammatio, vel increbreſcit, vel conſiſtit, mollientium herbarum, ex aqua coctarum, fotu materiam ad palpebras euocare, et ad id potiſſimum vti linteolo, vel penicillo, ex eiusmodi decocto expreſſo; noctu vero cataplaſma ex pomo cocto ſuperhabere. Nam euitandus hic eſt, et nimis calor, et, qui cunctis inflammatis peſtiferus eſt, humor, maxime gelidus. Dum vero inflammatio ſe remiſit, pituita craſſior facta eſt, vel eius curſus conſtitit, palpebrae ea, ſeu media materia cohaereſcunt, omnia remedia aliena eſſe, compertum habeo. Nec bene res cedit, ſi vel multis medicamentis inunguntur, vel diducuntur, palpebrae, quae tandem, id quod tamen non raro poſt plures dies incidit, ſiccata prorſus pituita, ſponte inter ſe dehiſcunt. In variolarum morbo illud etiam ſtudioſius obſeruari conuenit, ſatius eſſe, iunctas ſibi et inhaereſcentes palpebras non diduci. In vtroque enim caſu iis, qui feſtinant, glutinatasque palpebras digitis diuellunt, vel impoſitis variis medicamentis vexant, euenire plerumque ſolet, vt mucoſa exulceratio corneam infeſtet, quae, quamuis per-

 curata,

curata, id quod ſaepe arduum eſt, tandem craſſiorem cicatricem relinquit. Non aliam ob cauſam haec adducta ſunt, quam, vt clarum eſſet, etiam in magnis quandoque oculorum morbis ſuperuacua eſſe exquiſita et efficaciora auxilia, optima vero quietem, abſtinentiam et ſedulam a medente factam temporis ac febriculae animaduerſionem. Nec in his ξύσει opus eſt, quae in aliis ſaluberrimum remedium exiſtit. Per hanc enim recte ſuccurritur illi generi humidae lippitudinis, in qua etiam humor exit, et copioſus, et acris, aſt vtraque tamen parte moderatior, quam in priori ophthalmia. Lacryma vero, quia tenuis manet, nec facile in craſſam pituitam mutatur, multo nocentior eſt. Cum enim haec lippitudo haud, vt prior, vetuſtate matura fiat, cornea laeditur, cuius vlcera, et ex his manentes cicatrices, dum ad pupillam perueniunt, viſui officiunt. Sunt enim membranulae tenues, ex quibus conſtat cornea, per quas exiguae fiſtulae feruntur, limpidiſſimum humorem, qui in his, vt in toto corpore circuit, continentes. In conſpectum illae prodeunt, dum in eas, quae tenerrimo humori adcommodatae ſunt, cruor transfunditur, et inflammatio excitatur. Si vero, ruptis iis fiſtulis, humor exit, et in membranulis ſuffunditur, is vlcera efficit caua, ſordida, ſupercreſcentia, ὄνυχες, aliaque vitia, quibus acies corrumpitur. In hac valetudine euidentiſſimus ξύσεως effectus eſt, ſi ea opportune vti nouerit medicus. Cum enim corneae, quae ex vlceribus, et craſſis cauisque cicatricibus periclitatur, demenda ſit corrupta materia, nullo modo hoc melius efficitur, quam hac chirurgia, qua palpebrae cruentantur, et ſanguis ex iis extrahitur. Sic enim et vlcera tolli, et cicatrices, quae ex his fiunt, tenuari, tum theoriae ſolidae intelligentia, tum iterata experientia, cognitum eſt. Nam ſanguis, qui in his lippitudinibus ex ſauciatis palpebris extractus, plerumque valde glutinoſus deprehenditur, dum ſic ex ſedibus corneae vicinis mittitur, et alius, qui non exit, in pus vertitur, ex cornea etiam vitiatus humor exhauritur, et iſtius membranae integritati, quae ad viſum adeo neceſſaria eſt, recte conſulitur.

litur. Alia remedia, quibus, ſublata inflammatione, vlcera iſta non tam purgantur, quam ſiccantur, efficiunt, vt, intus haerente materia, cicatrices, vlceribus inductae, excreſcant, et, craſſiores factae, videndi facultatem laedant, vel omnino tollant. At vero id ante omnia ſcire conuenit, non parum conferre temporis opportunitatem. Vt enim, quae alibi fuſius perſecutus ſum, nunc omittam, hanc chirurgiam, vbi malus habitus eſt, et corpora alio morbo, cachexia, ſcorbuto, venerea lue, vitiata ſunt, nihil proficere, et periculum eſſe, ne illa corruptus humor ex reliquo corpore in oculum, iam grauatum, euocetur, multum in reliquis etiam intereſt, quo tempore hanc chirurgiam ocularius medicus ſuſcipiat. Quamdiu enim magni dolores ſunt, qui a temporibus et fronte ad oculos perueniunt, mox frigus, mox calor, corpus percurrit, et haec febricula nunquam cum integritate remittit, ſed horis potiſſimum veſpertinis grauiori acceſſione reuertitur, dolor ſomnum prohibet, morbo, qui adhuc increſcit, per alia auxilia, quibus materiae aditus auertitur, ſuccurrendum eſt. Atque et hic paulo ſubtiliorem obſeruationem adhiberi oportet, cum valetudinis huius plures cauſae eſſe poſſint, et aegrotantium magna diuerſitas. Aliis enim ſanguis mittendus, aliis aluus ducenda, eſt, quod tamen nunquam reſinoſis et acrioribus medicamentis, quae, notante id iam CELSO, acriorem pituitam concitant, ſed leniſſimis, ſatis tamen valentibus, fieri decet. Nonnunquam morbum, ex admiſſo refrigerio et ſuppreſſa inſenſibili exſpiratione ortum, optime ſudor leuat, digeſto tamen prius humore per congrua remedia ciendus. Quandoque plura, quandoque neutra, horum conuenire videntur. Maximum vero aduerſus has lippitudines auxilium eſt in cantharidibus, quibus protinus vti, nihil melius eſſe exiſtimo. Iis, emplaſtro exceptis, adurenda eſt ſuprema cuticula, cui rei nullus locus opportunior eſſe videtur, quam, qui in tergo inter homoplatas eſt. Parum enim proficiunt, ſi, vt moris eſt, minora emplaſtra nuchae admouentur, et vlcera ex inciſis puſtulis manentia, impoſito emplaſtro, vel braſſicae

ſicae folio celerius ſiccantur. Praeſtat enim et ab initio admoueri maius validiusque emplaſtrum, et illud per aliquot horas ſuperhaberi. Ipſe enim paulo aſperior dolor efficax remedium exiſtit, quia, dum cutis aliqua parte, quae non adfecta eſt, vellitur, materiae coitus in oculum auertitur. Vlcera etiam haud mox iterum curari decet, ſed iis ſuperdari linimenta cum melle, et emplaſtra, quae molliunt, pus mouent, ac digerunt. Si vero nihilominus vlcus ad ſanitatem ſpectare videtur, confert illud iterum exaſperari, id quod fit, ſi illi linimentum inducitur, cui pauciores adiectae ſunt cantharides. Eo modo excitata, et per viginti pluresque dies continuata ſuppuratione, longiores et penitus inſidentes ophthalmiae tandem victae ſunt. Si tamen longae valetudinis metus eſt, expedit iterum ad hoc auxilium venire, et, vel priore vlcere, nondum percurato, cantharides etiam iniicere ſurae, et in hac ſede magnam longamque ſuppurationem excitare. Nec dolores reformidandi ſunt, cum vehementi malo, non, niſi aeque vehemens, auxilium, ſuccurrere queat. Si vero his, et congruo victu, qui et hic valde neceſſarius, inflammationi aliquantulum detractum fuit, vel haec ad minimum non increſcit, ſed conſiſtit, in cornea autem vlcera ſunt, vt haec tollantur, medico allaborandum eſt, id quod per ξύσιν optime fieri, ſupra retuli. Aſt vero non timide, ſed altius, demittendum eſt τὸ ξύστρον, quo plus ſanguinis exeat, et toties ad hanc chirurgiam reuertendum eſt, quoties ex conciſis interioribus palpebris effuſus ſanguis repente cogitur, et glutinoſus oculo inhaereſcit. Subtracta vero ſic per palpebras cruentatas, excitatamque in iis ſuppurationem, materia, tandem veniendum eſt ad medicamenta, quae vlcera purgant, et implent, ex quibus primum eſt aeris flos, teneriori axungia exceptus. Aduerſus corneae vlcera valet etiam mel puriſſimum, quo formicae exceptae ſunt, et in clibano, vel ſole, coctae. His diligenter obſeruatis lippitudinibus, magnisque corneae exulcerationibus, mederi potui. Quemadmodum vero in omnium morborum curationibus incidere ſolet, et mihi euenisſe

niſſe haud inficior, nonnunquam, repugnante natura, nec haec auxilia profuiſſe, ſed artem pertinaciori malo victam fuiſſe. Plerumque tamen hoc ita accidiſſe memini, ſi aegri victus conſuetudinem, id quod in his curationibus primum eſt, mutare noluerunt, ſed, ſi ſubinde propter vini cibique abundantiam, libidinis intemperantiam, aëris, quibus ſe expoſuerunt, iniurias, et propter alios grauiſſimos errores, nouae inflammationes concitatae, et iis vlcera iterum exaſperata, fuerunt. Aegri vero, propriam culpam excuſatione leniturі, incontinentiae patrocinium in accuſationem non merentis ſcarifationis habuerunt. Illud adhuc addendum videtur, eſſe plures, qui dolorem ex hac chirurgia acerbiſſimum, et talem, eſſe prodiderunt, vt nemo qui hanc chirurgiam ſuſtinuerit, ad eam redire velit. Aſt vero et hic plus eſt in metu, quam in eo, quod timetur. Nam hanc, quam ξύσις excitat, prurigi-nem, aequo ſatis animo ferre potuerunt, et foeminae, et pueri, dolorum alias minus patientes. Et quanquam medenti ſemper enitendum eſt, vt, ex ASCLEPIADIS praecepto, tuto, vt celeriter, vt iucunde, curet, cum CELSO tamen exiſtimo, ſalutem primam ſemper habendam eſſe, et fere periculoſam eſſe in his curationum partibus, et nimiam feſtinationem, et voluptatem.

PROLVSIO VIII.

DE ARTE OBSTETRICIA VETERVM PANEGYRI

IOH. VALENTINI HARTRANFFT

PRAEMISSA

A. D. XXVIII. DECEMBR. A. CIↃ IↃ CC XXXV.

Si bonis artibus ideo aliquis honor habendus eſt, quod, a priſca aetate profectae, propius ab ortu diuinaque progenie abſunt, non minimam venerationem habebit obſtetricia, quam, vetuſtiſſimam eſſe, nemo inficiabitur. Poſtquam enim natura, quae homini diuinitus inſons et ſincera data fuit, cacodaemonis conſiliis detorta, et nefandis illecebris deprauata, fuit, mulieri neceſſitas impoſita eſt, ſub laborioſiſſimis nixibus, acerbiſſimisque doloribus, pariendi: id quod primae etiam parenti contigiſſe extra dubium eſt. Huic vero, muliebriter ingemiſcenti, nemo opem ferre potuit, praeter Adamum, qui princeps τῶν μαιευόντων καὶ τῶν ὀμφαλοτόμων fuiſſe videtur. Simili etiam officio apud Americanas gentes fungi maritos, eosque ſolos, vxoribus partum edentibus auxiliari ſolitos eſſe, legimus. (1) Muliebris tamen verecundia, quae cuſtos omnium virtutum dicenda eſt, dedecus ſibi a virorum miniſterio metuens, rem mox ad foeminas detuliſſe videtur, quas plerumque ſolas parturientibus adſtitiſſe, ex antiquiſſimorum ſcriptorum monumentis diſcitur. In Sacri Codicis primo libro, qui rerum origines recenſet, iterata mentio fit obſtetricum, (2) et in Exodo landantur obſtetrices, quarum alteri

1) vide ex IOH. LERII *Hiſtoria Nauigat. in Braſiliam*, THOM. BARTHOLINVM *de Inſolisis Partus viis Cap. 17. p. 152.*

2) *Cap. XXXVI. v. 17. et XXXVIII. v. 28.*

alteri SIPHRA, alteri PHVA nomen erat, quod mares, ab Iſraelitarum vxoribus editos, iubente illud Pharaone, haud iugulaſſent. (3) Nouimus, apud gentiles, a phyſicis rebus bene ac vtiliter inuentis excultisque ſingulari ſtudio artibus, tractam rationem eſſe ad commentitia fictaque Numina, quare etiam apud veteres plura Deorum Dearumque nomina celebrantur, quibus grauidarum, parturientium, puerperarum, partuumque, procurationem commiſit illorum temporum ſuperſtitio: quae ſingula, vt et veteris puerperii morem, ritusque, accuratius perſecuti ſunt doctiſſimi viri, IOH. MEVRSIVS, (4) et THOMAS BARTHOLINVS. (5) A vero autem alienum non eſt, ex iſtarum Dearum numero plures fuiſſe, arte obſtetricia claras, et eiusmodi beneficiis excellentes, foeminas, quae, ex illorum temporum conſuetudine, poſt obitum, fama ac voluntate hominum, in numerum Dearum receptae, et templis caeremoniisque cultae, fuerunt. Plures enim Ἰατρίναι, ſeu Ἰάτριαι, veterum celebratione commemoratae ſunt, quarum prolixiorem indicem legimus apud ANDREAM TIRAQVELLVM. (6) Et medici his mulieribus non parum tribuiſſe videntur, qui, dum earum narratiunculis nimiam credulitatem addixerunt, decepti, ſaepe aniles errores prodiderunt, quibus ars noſtra per plura ſecula implicita, ſe exſoluere vix potuit. Accidit absque dubio illud HIPPOCRATI, qui, quamuis ſingulari prudentia praeditus, ἀκεσρίδας ad teſtimonium citare haud veretur, dum probare uult, foetum et-

 iam

3) *Cap. I. v. 15.* de his diſputatum eſt inter Theologos S. S. interpretes, num Aegyptiae fuerint, num Hebraeae, vide Diſſ. GVDII *de Hebraica obſtetricum Origine, Lipſ. 1724.* ventilatam, qui poſteriorem ſententiam tuetur.

4) *in Syntagmate de Puerperio,* quod additum eſt alii *de Funere.*

5) *in Synopſi Antiquitatum Veteris Puerperii,* quam commentario doctiſſimo illuſtrauit Filius, CASPARVS. Dolendum, magnum, meditatumque opus, quod conſcripſerat THOMAS, cum inſtructiſſima Bibliotheca aliisque MStis flammis fuiſſe abſumptum. Vide praemiſſam huic Synopſi Epiſtolam ad filium, et *Tractatum de Bibliothecae Incendio p. 61.* De Deabus, partus praeſidibus, confer PETRI BAYLII *Dictionarium,* ſub articulo Iuno.

6) *de Nobilitate Cap. 31. §. 321 p. 405.* confer IOH. RHODII *Comment. in* SCRIBONIVM LARGVM *p. 193.* Illarum mentionem facit GALENVS *de locis affectis L. VI. Cap. V.*

iam ſeptimo menſe naſci. (7) Nota eſt eius opinio de octimeſtri partu, quae ex tali fonte manaſſe videtur. Obſtetrices tamen apud Graecos non ex infima multitudine fuiſſe, ex eo diſci poteſt, quod magnus Philoſophus, SOCRATES, dum veritatem per quaeſtiones propoſitas elicere laborat, cum obſtetrice comparetur, et is ſe υἱὸν μαίας, μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς, Φαιναρέτης εἶναι, *filium eſſe obſtetricis generoſae et grauis Phainaretae* profiteatur. (8) Nec hoc praetereundum eſt, obſtetrices olim non ſolum parturientes admota manu iuuiſſe, ſed fuiſſe etiam pronubas, et conſilia dediſſe de feliciter coniungendis connubiis, et generoſa ex iis obtinenda prole; quo tamen officio, ne in odioſam lenocinii ſuſpicionem incurrerent, deſtiterunt. (9) Tentauerunt etiam morborum, hyſterici inprimis, aliorumque muliebrium, curationes, (10) et puerperis victus rationem, medicamentaque ore ſumenda praecepe-

7) *Libr. de Carnibus Cap. VIIII. T. V. Edit.* CHARTER. *p. 309.* ἢ δέ τις βούλεται, καὶ τοῦτο ἐλέγξαι ῥᾴδιον. πρὸς τὰς ἀκεσρίδας, αἳ πάρεισι τῇσι τίκτουσι ἐλθὼν πυθέσθω. Dictae fuere ἀκεσρίδες vel ἀκέσριαι ἀπὸ τοῦ ἀκέσθαι. vid. HOMERI SCHOLIASTES *ad Iliados L. XXII. v. 2.*

8) Apud PLATONEM *in Theaeteto p. 117. Edit.* FICINI. Confer DIOGENEM LAERTIVM *in Vita Socratis p. 90.*

9) vide PLATONEM c. l. et confer GALENVM *in Comment. in Aphor.* HIPPOCR. *L. V. Aphor. 59. T. VIIII. p. 231.* et IOH. LANGII *Epiſtolas Medicinales L. I. Epiſtola 49.*

10) Ex variis autoribus hoc manifeſtum eſt. PLATO c. l. καὶ μὴν καὶ διδοῦσαί γε αἱ μαῖαι Φαρμάκια καὶ ἐπᾴδουσαι, δύνασθαι ἐγείρειν τε τὰς ὠδῖνας, καὶ μαλθακωτέρας, ἢν ἂν βούλωνται ποιεῖν καὶ τίκτειν τε δὴ τὰς δισκόλους, καὶ ἐὰν νέον ὂν δόξῃ, ἀμβλίσκειν ἀμβλίσκουσιν. *Nonne obſtetrices, medicamenta dantes et incantamenta adhibentes, poſſunt excitare dolores, et ſi voluerint, molliores reddere, aegre parturientes iuuare, et ſi intempeſtiuum videatur abortientibus abortum conciliare.* Τὸ ἀμβλίσκειν ἀμβλίσκουσι male redditur a MARSILIO FICINO per obtundere ac retrudere, rectius a IOH. SERRANO *in Edit. apud* H. STEPHANVM *T. I. p. 149.* et *ſi foetus abortiuus videatur, abortum faciunt.* vide huius vocabuli interpretationem in *Onomaſtico* IVLII POLLVCIS *L. II. Cap. II. Segm. 7. p. 155. et L. IIII. Cap. 24 Segm. 208. p. 474.* Praeter PLATONEM GALENVS *in Libro de Praenotione ad Poſthumum Cap. VIII. T. VII. p. 842.* vbi curationem foeminae deſcribit, vteri profluuio laborantis, et, hanc curationem ab optimis obſtetricibus tentatam fuiſſe, profitetur. confer l. c. *de Locis affectis*, vbi plura habet de cura hyſtericarum. Adde obſcoenum Epigramma MARTIALIS *L. XI. p. 72.* et locum ex POLLVCE *l. c.* διδοῦσι Φαρμάκια αἱ μαῖαι ταῖς δυσκόλοις.

ceperunt. (11) Imo proteruiores illarum ἀποφθάρματα, ſeu abortiua, propinare, et conceptos in vtero partus expellere, auſae ſunt, quamuis medicis hoc diſerte interdictum fuerit ab HIPPOCRATE. (12) His flagitiis famoſa fuit ASPASIA, quae auxilia, quibus foeminae ſteriles reddi, et alia, quibus effici poteſt, vt concepti in corporis foetus aboriantur, in volumen congeſſit, cuius fragmenta ab AETIO ſeruata legimus. (13) PLINIVS mentionem facit ELEPHANTIDIS et LAIDIS, de quibus, quod de abortiuis inter ſe contraria prodiderint, teſtatur. (14) Veri etiam ſimile eſt, has medicas illam prae aliis medicinam exercuiſſe, quae corporis formam ac pulchritudinem tueri, vitia vero occulere, docet, quam medicinae partem coſmeticam dixerunt, et ſubtilius excoluerunt, veteres. (15) Medicae enim, quae de mulierum morbis ſcripſerunt, CLEOPATRA, (16) et ipſa, modo commemorata, ELEPHAN-

11) LESBIA obſtetrix apud TERENTIVM in *Andria Act. III. Scena II.* ita loquitur:

Nunc primum fac, iſthaec vt lauet: poſt deinde,
Quod iuſſi ei dare bibere, et quantum imperaui
Date, mox ego huc reuertor.

12) *In Iureiurando.* Ipſe tamen HIPPOCRATES contra hanc legem commiſiſſe videtur, qui fidicinae, quam grauidam eſſe haud decebat, conſilium dedit, quo abortum facere poſſet. vid. L. *de Natura Pueri Edit.* FOESII *Sect. III. p. 16.* Plures excuſare voluerunt HIPPOCRATEM, aſt omnino culpandus videtur. vid. H. MEIBOMII *Comment. in Iusiurandum* HIPPOCRATIS *p. 144.*

13) *Tetrabiblo IIII. Serm. IIII. Cap. 27. et 28. in Collect.* H. STEPHANI. *p. 768.*

14) *Hiſtoria Nat. L. XXVIII. Cap. VII. T. II. Edit.* HARDVINI. *p. 458.*

15) vide HIERONYMI MERCVRIALIS *Librum de Decoratione.*

16) CLEOPATRAE *liber de Muliebribus*, Graece ſcriptus, ſeu potius excerptum eius, proſtat in CASP. WOLPHII et ISRAELIS SPACHII *Gynaeciis*, eius vero *liber de Arte coſmetica* crebrius citatur a MICHAELE NEANDRO *de Ponderibus et menſuris*, quem etiam adducit GALENVS *de Medicamentorum compoſitione ſecundum locos Cap. II. p. 332. T. XIII.* Num *liber de Muliebribus* pro foetu doctiſſimae Aegyptiorum Reginae CLEOPATRAE habendus ſit, dubium eſt. Ab initio illa profitetur, ſe eſſe ſororem Arſinoes, quam illius ſororem fuiſſe, notum eſt. Ad minimum, ſi liber ſpurius eſt, a veritate non alienum videtur, de hoc argumento aliquid editum fuiſſe ab illa Regina meretrice, et cultus et munditiarum ſtudioſiſſima, vide CLERICI *Hiſtoriam Medicinae P. II. L. III. Cap. XIII. p. 431.*

TIS (17) etiam de cosmetica quaedam memoriae prodidere. His ex virorum numero MOSCHION, Methodicae sectae medicus, addendus est, quem, de eodem argumento scriptis suis quaedam tradidisse, legimus. (18) Quamuis vero obstetrices plures medicinae partes, aliasque artes, agitare solitae fuerint, et quamuis ipsa ars, qua parturientibus succurritur, propter varios casus, qui incidere possunt, et summum vitae discrimen, in quod in partu et mater et foetus adducuntur, ardua sit et perdifficilis, nihilominus illae, id quod et his temporibus ita euenire solet, non ea, qua decet, prudentia praeditae fuere. Ipse SOCRATES fatetur, sibi accidere, quod obstetricibus, seque esse, aeque ac illas, ἄγονον τῆς σοφίας *sterilem sapientiae*. Et apud TERENTIVM obstetrix LAIS his laudibus extollitur. (19)

Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria:
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.

Vt enim omnis medicina, inprimis illa, quae manu medetur, trunca et debilis est, minusque potens, nisi corporis humani ratione per anatomicas exercitationes comperta, istae mulieres, si a medicis haud formatae fuerunt, sed a sola experimentorum notitia omnem medendi rationem traxerunt, rudes fuerunt, et omnium rerum ignorantissimae. Haec res olim detrimentosa fuit Atticis mulieribus, quae, quod legibus cautum esset, ne foemina medi-

17) de ELEPHANTIDE vide GALENVM *c. l.* Num illa fuerit, quae infames libellos conscripsit, quorum mentio fit apud MARTIALEM *L. XII. Ep. 43.* et SVETONIVM *in Tiberio Cap. 43.* nec non in Priapeiis, dubium est. Nihil certe huic sententiae repugnare videtur.

18) Plures huius nominis fuerunt. *Excerptum s. fragmentum de Muliebribus* Graece scriptum, prostat in WOLPHII et SPACHII *Collectionibus*. Alterum scriptum *de Cosmeticis* citat GALENVS *c. l.* confer CLERICVM *c. l. L. IIII. Sect. I. Cap. 13. pag. 493.* qui existimat, hunc MOSCHIONEM tempore NERONIS vixisse. GVOLPHGANGVS vero IVSTVS in *Chronologia Medicorum* eum inter autores retulit, qui ante Christum natum scripserunt, *p. 63.*

18) *Andriae Act. I. Scena IIII.*

19) *Fabular. 274. p. 53.* confer SAMVELEM PETITVM *de Legibus Atticis L. III. Tit. VIII. p. 22.* et *eius Comment. p. 500 seqq.* nec non PETRI BAYLII *Dictionarium* sub titulo Hierophilus *p. 1468.*

medicinam diſceret, nullas, vel imperitiſſimas, habuerunt obſtetrices. Rem denarrat HYGINVS, cuius verba haec ſunt: *Antiqui obſtetrices non habuerunt, vnde mulieres verecundia ductae interierant. Nam Athenienſes cauerant, ne quis ſeruus, aut foemina, artem medicam diſceret:* AGNODICE *quaedam puella virgo concupiuit medicinam diſcere, quae cum concupiſſet, demptis capillis, habitu virili ſe* HIEROPHILO *cuidam tradidit in diſciplinam, quae cum artem didiciſſet, et foeminam laborantem audiſſet, ab inferiore parte, veniebat ad eam: quae, cum credere ſe noluiſſet, aeſtimans virum eſſe, illa, tunica ſublata, oſtendebat, ſe foeminam eſſe: et ita eas curabat. Quod cum vidiſſent medici, ſe ad foeminas non admitti,* AGNODICEM *accuſare coeperunt, quod dicerent eum glabrum eſſe et corruptorem earum, et illas ſimulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitae conſediſſent,* AGNODICEM *damnare coeperunt, quibus* AGNODICE *tunicam alleuauit, et ſe oſtendit, foeminam eſſe. Et validius medici accuſare coeperunt, quare tum foeminae principes ad iudicium conuenerunt, et dixerunt: Vos coniuges non eſtis, ſed hoſtes: quia, quae ſalutem nobis inuenit, eam damnatis. Tunc Athenienſes legem emendauerunt, vt ingenuae artem medicinam diſcerent.* Laudi atque honori fuit res huic Athenienſium Luciniae, quae mulierum, ex partu periclitantium miſerta, vt his ſcienter opem ferre poſſet, artem a probatis magiſtris didicit. Turpitudini vero foret viris, ſi, id quod aliquando Londini accidiſſe legimus, (21) hac aetate vir muliebri veſte indutus obſtetriciam facere, ſibi in animum induceret, cum iam nec noſtris moribus inter prudentiores foeminas nefas habeatur, virum inter obſtetricia admittere, et, ſi neceſſitas poſtulat, ſinere, manum ab eo admoueri. Ab illa vero AGNODICES aetate, foeminae, quibus obſtetriciam exercere propoſitum fuit, a medicis videntur fuiſſe edoctae, id quod iis cum chirur-

20) vide BARTHOLINI *Epiſtolas Medicas, Cent. IIII. p. 529.*

21) *in Hiſtoria Dynaſtarum* ab EDVARDO POCOCKIO edita, *Oxon. 1663. p. 114.*

chirurgis commune fuit, qui, poſtquam ars ſalutaris in partes diducta eſt, ſemper medicorum praeceptis profecerunt. Inter laudes illud numeratur PAVLI AEGINETAE, de quo Arabs ſcriptor ABVLPHARAGIVS (22) teſtatur, *eum inſigniter peritum fuiſſe in mulierum morbis, illisque multum curae impendiſſe. Conuenire ipſum obſtetrices ſolitas fuiſſe, et de rebus, quae mulieribus poſt partum acciderant, conſulere, eum vero dignatum eſſe, iis reſpondere, et ideo* ALKAWABELI *ſ. obſtetricium fuiſſe appellatum.* Medici etiam eiusmodi foeminis ſingularem quandoque honorem perhibuerunt, et libros de muliebribus, a ſe editos, illis inſcripſerunt, id quod inter alios ab autore, non contemnendo, THEODORO PRISCIANO, factum eſt, qui libros ſuos de Mulierum morbis SALVIANAE cuidam dedicauit, quam *artis ſuae dulce miniſterium appellat*, et hortatur, *vt gynaiciain in eo tractatu propoſitam exerceat, diligenterque adhibeat medicinam*, cui etiam pollicetur, *ſe eam ſua ſcientia eſſe adiuturum.* (23) Sub medicorum itaque auſpicio iſtae foeminae non ſolum parturientibus opem tulerunt, ſed, ſi etiam aliis vitiis, quae circa mulierum verenda incidere ſolent, et manus auxilium deſiderant, medendum fuit, medicos conſilia dediſſe, medicas vero manus admouiſſe, certum eſt. Prae aliis hoc Orientalibus populis et Arabibus in more fuiſſe videtur, quos ab omni aetate ſeueriores vxorum ſuarum cuſtodes fuiſſe conſtat. ALBVCASIS enim, praeterquam quod atretarum

22) Methodicae ſectae medicus, qui ſeculo poſt Chriſtum natum quarto vixit. vide RENATVM MOREAV *de Sanguinis miſſione in Pleuritide p. 28.* et CLERICI *Hiſtor. Medicinae L. IIII. Sect. I. Cap. 13. p. 495.* Praeceptore enim vſus eſt VINDICIANO, Valentiniani Imperatoris Archiatro, id quod ipſe indicat *L. IIII. p. 81. Edit. Baſil. anno 1532.* Huius VINDICIANI *Epiſtola ad Valentinianum Imperatorem* praefixa eſt MARCELLI EMPIRICI *libro de Medicamentis.* vid. HENR. STEPHANI *Collect. p. 148* Vocatur THEODORVS aliis OCTAVIVS HORATIANVS, quo nomine etiam in dicta Baſilienſi editione inſignitur. vid. plura de eo in THOMAE REINESII *variis Lectionibus L. III. Cap. XI. p. 508.* et *Cap. XVII. p. 641.*

23) Et huic foeminae aliud nomen eſt, et dicitur in dicto codice VICTORIA *p. 72.* confer WOLPHIVM et SPACHIVM.

tarum ſectionem ſimiliumque morborum curationem committit obſtetricibus; de lithotomia foeminarum locutus, inter huius chirurgiae difficultates primo loco numerat, *rarius inueniri foeminam medicam, bene ſcientem hanc artem, praecipue operationem cum manu.* Iubet itaque, ſi talis haud adſuerit, *medicum quaerere caſtum, quo praeſente et conſilia dante adminiſtretur ſectio ab obſtetrice.* (24) Sic et AVICENNA per obſtetricem foetum mortuum educendum ſuadet. (25) Si vero pudor in bello valde periculoſus eſt, (26) eſt certe etiam mulieribus, quibus foetus, aliter compoſitus, per ſe excidere nequit, ſed manibus dirigendus, vel iniecto vnco excutiendus, eſt; quae res, CELSO (27) iudice, numerari inter difficillimas poteſt, et ſummam prudentiam moderationemque deſiderat. Foeminis itaque, quae in hoc ſummo periculo verſantur, illud VALERII FLACCII inclamandum eſt:

Rebus ſemper pudor abſit in artis. (28)

Retinenda quidem et cuſtodienda omnino eſt illa verecundia, quae naturaliter inſita eſt homini magna cum excellentia praeſtantiaque caeterarum animantium, ſi vero ipſa ſalus in diſcrimen vocatur, id quod, in partu fieri, nemo ignorat, ad ea auxilia confugere decet, quae re turpia non ſunt, quamuis a naturali pudore, et veteri diſciplina, aliquantum recedere videantur. Iam non attinet, prolixius exponere, quam funeſtus fuerit mulieribus in his caſibus pudor; illud vero dolendum eſt, hanc ipſam nobiliſſimam efficacis medicinae partem, quod eam ſolae foeminae ſibi vindicaſſent, per tot ſecula rudem ac mancam fuiſſe relictam, et a viris fere neglectam.

24) Eſt locus, vbi ALBVCASIS deſcribit ſectionem calculi, quam FRATER IACOBVS et RAVIVS hoc ſeculo inſtauraſſe, CHESELDENVS perfeciſſe, videtur. Vide FREINDII *Hiſtoriam Medicinae in Operibus Londini editis p. 522.* ALBVCASIS *L. II. Cap. 61. p. 110. Edit. Baſilienſ. de anno 1541.*

25) *L. III. Fen. 21. Tract. I. Cap. 14. p. 936. Edit. Flor.*

26) Dictum PLANCI apud CICERONEM *in Epiſt. ad Famil. L. X. Epiſt. 33.*

27) *L. VII. Cap. 29.*

28) *Argonaut. L. V. v. 325.*

ctam. Non quidem his apud omnes gentes olim aditum ad parturientes praecluſum fuiſſe exiſtimauerim. Nam et ipſe CELSVS, (29) quem inter Romanos vixiſſe nouimus, dum rationem docet, qua foetus in vtero conuerti debeat, et vnco extrahi, nulla foeminarum mentione facta, totam rem medico delegat: imo iubet, hunc foeminam ita collocare, vt imus venter in eius conſpectu ſit. Et PAVLVS (30) famulum in auxilium accerſit, dum iubet manum demittere πρὸς τὸ σόμα τῆς μήτρας παρασελλομένων τῶν πτερυγομάτων δι ὑπηρέτυ. Rarius tamen, et non, niſi ſumma vrgente neceſſitate, id factum fuiſſe, probabile eſt. Quam manca vero et inculta fuerit veterum obſtetricia, vel vno exemplo probari non alienum erit. Si infans in vtero tranſuerſus aliterque compoſitus eſt, is in lucem edi nequit, niſi manu dirigatur. Et his temporibus iis, qui in his rebus exercitati ſunt, difficile haud eſt partum, male compoſitum, conquiſitis adprehenſisque pedibus extrahere, qua ratione longe melius, longeque celerius, ſuccurritur, et mulieri, et ipſi, ſi viuit, infanti, quam, ſi is in caput dirigitur, et poſt demum laborioſiſſimis parientis nixibus expellitur, vel, ſi, dum, eum mortuum eſſe, certo conſtat, iniecto vnco extrahitur. Veteres vero hic in plures, ac ſaepe contrarias, vias proceſſiſſe, ex eorum ſcriptis intelligitur. Non pauci enim eorum, interque hos ipſe HIPPOCRATES, (31) et PAVLVS, (32) veriti ſunt, pedes, etiam, ſi in propinquo exſtiterunt, adducere, et ſic foetum excutere, ſed iubent potius eius caput ad os vteri compellere, et poſt opem ferre ſolitam. Imo PLINIVS (33) contra naturam eſſe ait, infantem in pedes procedere, quos Agrippas ceu malo aſtro natos per totam vitam infeliciſſimos eſſe opinatur. Sunt tamen alii, interque hos CELSVS,

29) *L. VII. Cap. 29.*

30) *L. VI. Cap. 74. p. 93. Edit. apud* ALDVM.

31) *de morbis mulierum L. I. Sect. V. p. 182. Edit.* FOESII et in *Libro de Pueri natura Sect. III. p. 28.* partum difficilem eſſe tradit, et ex eo plures et infantes et matres perire, ſi infans transuerſus ſit, vel in pedes conuerſus, ἦν δὲ πλάγιον ἢ ἐπὶ πόδας χωρήσῃ (τὸ παιδίον.)

32) *L. III. Cap. 76.* Vetat manum, vel pedem, ſi in propinquo ſunt, prehendere. conf. *L. VI. Cap. 74.* de Foetus mortui extractione.

33) *Hiſt. Nat. L. VII. Cap. VIII. T. I. p. 379.*

SVS (34) et PHILVMENVS, cuius fragmenta apud AETIVM leguntur, (35) vt et ſupra citatus MOSCHION, (36) qui, infantem in pedes conuerſum non difficulter educi poſſe, docent. Qui vero, HIPPOCRATI nimium tribuentes, priorem rationem ſecuti ſunt, hos plures certe partus, qui ſolidi, imo viui, edi poterant, conciſos eximere oportuit. Tacemus, veteres eas mutationes ignoraſſe, quae diuerſis poſt impraegnationem factam temporibus in ore vteri interiori incidunt, nec alias ſatis expoſuiſſe, quae in partu fiunt, dum illud ſub doloribus adaperitur, qui etiam ignoraſſe videntur, maximam ſaepe difficultatem facere parientibus vterum, ſi is recte compoſitus haud eſt, ſed aliter ſitus. (37) Per viros itaque hac noſtra aetate artem obſtetriciam increuiſſe, gaudemus, quae nunc, poſtquam, excuſſa illa funeſta mulierum δυσωπία, illi manus admouerunt, ſuos etiam profeſſores habere coepit.

34) *L. VII. Cap. 29.*

35) *Tetrabiblo IIII. Serm. IIII. Cap. 23. p. 790. Collect.* H. STEPHANI, qui etiam iubet foetum, ſi eius caput os vteri internum opperiat, pedibus prehenſum extrahere.

36) *In Harmonia Gynaeciorum Cap. XII. p. 11. Edit.* SPACHII.

37) Quam rem diligentius perſecutus eſt DE VENTRIVS.

PROLVSIO VIIII.

QVA

OBSERVATIONES QVAEDAM ANATOMICAE

TRADVNTVR.

SECTIONI PVBLICAE

CADAVERIS FOEMININI

D. XVII. MARTII CIↃ IↃCCXXXVI.

PRAEMISSA.

Nec alienum, nec prorsus inutile, futurum esse confido, quaedam, data hac scribendi occasione, commemorare, quae in aliquot cadaueribus, Theatro nostro Anatomico illatis, ac in vsus nobilissimorum artis studiosorum, tum priuatim, tum publice, sectis, animaduersa fuerunt, et notata. Quamuis enim haec noua non sint, sed ab aliis etiam crebrius proposita, vel tamen ideo non prorsus contemnenda videntur, quod etiam iteratam obseruationem rerum abditarum, quae corpus nostrum variis infirmitatibus obnoxium reddere possunt, vtilissimam esse putem, quippe ex qua aditus fit ad expressiorem absolutioremque morborum historiam. Nam, vel et hoc medentes inter reliqua accuratius nosse decet, quae valetudinum genera vulgaria sint, quae rara, ac insolita, et, quae prorsus noua: id quod non, nisi pluribus, inter se collatis, animaduersionibus, discitur. Praestantissimi etiam commilitones, quorum vsibus eiusmodi exercitationes inseruire potissimum debent, rerum, quas olim viderunt, memoriam melius renouare queunt, si illae scribendo quasi adumbrantur. Praeter haec omnia, eum, qui noua non inuenit, id quod casu

caſu potius, quam conſilio, fieri, compertum eſt, antiqua, et iam ab aliis deſcripta, repetere oportet, niſi nimiae ſubtilitatis adfectatione malit ipſius artis robur frangere, et concidere. Inter ea igitur, quae notare potuimus, fuerunt duo calculi, in felle viri, triginta et aliquot annorum, reperti, non anguloſi, quales ſubinde eſſe ſolent, nec aſperi, ſed rotundi, ac laeues, qui magnitudinem minoris nucis auellanae implent. Coloris ſunt fului, aſt maculis albicantibus eleganter diſtincti. Alter eorum parum preſſus, mox dilapſus, eſt, cuius fragmenta, nec calida, nec vini ſpiritus, quamuis loco calido per plures dies ea contegerent, ſoluere potuerunt. Fruſtulum vero, candentibus carbonibus impoſitum, multum fumum emiſit, odoremque ſpirauit, non adeo ingratum, mox tamen penitus combuſtum, eſt, ita, vt fere nihil eius in carbone reſiduum fuerit. (1) In lamina vero ferrea ignita per multum tempus macula pinguis, qualis ab omni pinguitudine fit, manſit. In eodem viro tres fuerunt arteriae renales. Ren dexter enim duas habuit. Cum etiam muſculi inter ſe ſectione diuiderentur, ſingularis repertus eſt in manu ſiniſtra, qui ex digiti indicis primaeque eius phalangae baſi, et huius parte laterali, tendineus educitur, et teres ac carnoſus fertur ad primum os pollicis, huiusque capitulum, eamque eius partem, quae indici obuerſa eſt, cui alio tendine inſeritur. Foeminae iuuenis cadauer, quae, quod zelotypa ſociam interfecerat, ad vltimum ſupplicium data eſt, forma conſpicuum fuit, nec in viſceribus, aliisque ſedibus, quidquam habuit morbidi. Epiploon tamen vteri fundo, vel potius peritonaeo, quo is comprehenditur, inhaeſit, a quo aegrius, nec ſine dilaceratione, diduci potuit. Ouariorum alterum turgidum, pluribusque ſub externa tunica extuberantibus rotundis veſiculis, nec non hinc inde conſpicuis cicatriculis, diſtinctum fuit. Cum illud inter partium harum demonſtrationes digito paululum premeretur, erupit talis veſicula, ſtans quaſi in medio calice, quae tamen

1) Similis calculus delineatur *in Transact. Angl. vid. horum Compend. Vol. V p.* 274. *Tab. XVI. fig. 178.* et alius *in Actis Literariis Sueciae Anno MDCCXVI. p. 153. fig. 9.* Illi tamen calculi paulo maiores et ſcabri fuerunt, ac per aluum reiecti.

mox iterum disrupta euanuit. Ex altero ouario, quod in extremo ſuo inferiori ruptum erat, et ex amplo ſatis ſinu, exiit notabilis cruoris grumus, nec putris, nec foetens, quo dempto, exterior denſiorque ouarii membrana vacua fuit, quia omne, quod illa incluſum fuerat, abſcederat. Innumerae ſunt de ouariorum morbis hiſtoriae. Hic caſus aliquam dubitationem mouit, num talis organorum, generationi inſeruientium, morbis aliquid ad acriorem inſanamque zelotypiam conferre potuerit, id quod in medio, aliisque, qui acrius acetum in pectore habent, diiudicandum relinquo. Hac hyeme vir inciſus fuit, qui per longum tempus ſub dio decumbens, omnibus coeli iniuriis expoſitus, graui morbo conflictatus, tandem oppreſſus, extinctusque, eſt. Ex huius pectore dextro, cum vna, alteraue, cartilaginum, in quas coſtae degenerant, diſſecta eſſet, effuſus eſt purulentus humor, qui odoris intolerabili foeditate, vix non omnes, qui adſtiterant, depulit. Sublato ſterno, malae corruptaeque materiae magna vis, pondus aliquot librarum ſuperans, euocanda fuit. Pulmo dexter conſumtus, maioremque partem exeſus, erat, ita, vt parum eius in ſummo pectore eſſet reliquum. Super diaphragma conſpeximus disruptam tunicam maioris abſceſſus, ex quo clarum fuit, hominem ex pleuritide factum eſſe ἐμπύον, et quod in paupere neglecta eſſet ſcalpelli opera, in his caſibus neceſſaria, nullaque plaga, qua pus euocari potuiſſet, facta, eum tandem, confecta omni vitali virtute graui hoc morbo interiiſſe. Totum enim corpus tabidum, ſummaque macie torridum, fuit, et cachecticum. Vaſa maiora habuerunt polypoſa concrementa maiora, quae etiam ex durae matris ſinu, tum longitudinali, tum lateralibus, fuerunt extracta. Peritonaeum ea ſede, qua ſpermatica vaſa ex abdomine educuntur, et vbi cum iis ſaepe inteſtina et epiploon deſcendunt, valde ampliatum, et in vno latere admodum induratum, ſcirrhoſumque, fuit. Nihil vero eorum, quae in abdomine continentur, nec ipſe diſtenti peritonaei ſaccus per muſculi obliqui annulum deuolutus erat, id quod, vt videtur, ita incidit, quod aegro, per multum

tum tempus ſupino cubanti, omnia, quae deſcenderant, et quae alias erecto corpore compellenda, admotaque vinctura, continenda ſunt, intus eſſent data. Haud ita pridem corpus feminae ſeptuaginta et plures annos habentis nobis conceſſum eſt. Haec epiploocelen in inguine, et, id quod non ſine aliqua voluptate conſpeximus, in dextro oculo habuit ſuffuſionem. Erat haec boni coloris, quales eſſe ſolent, quae curationi idoneae habentur, oculus tamen, vt in ſenili aetate plerumque eſſe ſolet, depreſſior fuit. Haeſi aliquamdiu, quid in vtilitatem diſcentium, qui circumſtabant, faciendum eſſet. Nam praeuidebam, oculum accuratiori examini magis idoneum futurum eſſe, ſi is illaeſus, ſuſpenſa manu incideretur. Aſt peropportuna etiam viſa fuit occaſio demonſtrandi curationem, quae manu fit, praeſertim cum acus ad manus eſſet, ex auro fabrefacta, crebrioribus mallei ictibus indurato, quali nunc vtuntur, cuius duritiem experiundo nondum cognoueram. Ea igitur, vbi in oculum demiſſa eſt, et, vt fieri ſolet, ad ipſam ſuffuſionem inclinata, haec tam dura renitensque deprehenſa eſt, vt valentius, iteratisque vicibus, deprimendum eſſet illud, quod ſe pupillae oppoſuerat. Hoc tandem infra pupillae regionem deductum fuit, et haec libera, aſt tamen aliquantum nebuloſior quaſi, et turbida, flocculisque inquinata, viſa fuit. Nec ab initio ſuffuſio ei loco, quo deducta erat, inſedit, ſed ſubinde rediit, tandem vero condita fuit. Nec educta acu illa rediit, id quod tamen factum eſt, cum oculus, excidendus, digito paululum premeretur. Exemtus is fuit, et ſclerotica, inter corneam et neruum opticum media, in orbem inciſa, eiusque poſterior pars cum interioribus tunicis ſublata, et a vitreo diducta, fuit. Sub pellucido vitreo vidimus humorem lacteum, vndique in parte anteriori diffuſum. Cum ſuſpenſa manu conuertere vellem vitreum, et reliquam partem ſcleroticae, cum cornea diducere, videmus lentem cryſtallinam inferius elapſam, longe minorem, quippe quae parum lenticulam haud ſuperat, opacam, coloris obſcure flaueſcentis. Illo vero lacteo humore, et cornea, et vuea,

et

et ipſe humor vitreus anterior, imbutus erat, qui humor, coactus, facile pelliculam mentiri poſſet. Fuit hoc illud ſuffuſionis, vel *cataractae*, genus, quod alii *lacteum*, ſeu *caſeoſum*, appellant, (2) alii, quia materia ſuo velamento continetur, *cyſticum*. (3) Oriri videtur, ſi per quamcunque occaſionem lens cryſtallina ab arachnoidea tunica, qua includitur, diducta, opaca fit, et contractior, inter vtramque vero humor, qui lenti, et nutrimentum, et pelluciditatem, praeſtat, ruptis vaſculis effunditur. Is enim tunicam tenerrimam, cuius etiam craſſitudo poſtmodum multum augetur, in tumorem leuat, et ipſe tandem mora et quiete feculentus fit, ac lacteus, et qui oculo caliginem adfert. Si huic vitio chirurgia adhibetur, coactus humor, diſciſſa tunica, per aqueum humorem diffunditur. Si vero lens vitiata, quae quaſi nucleus eſt, inferiori pupillae regione, in quam a chirurgo, mediante acu, deducenda eſt, et condenda, recte inſidit, bene cedit curatio, quia, et velamenti conciſi particulae, et ipſe crudus humor, ſponte plerumque diſſipantur. Haec, quae mecum ornatiſſimi artis cultores obſeruauerunt, iam propono aequis lectoribus, quibus, ſi data fuerit occaſio, meliora polliceor.

2) Vide *Traité des maladies de l'oeil* par MAITRE-IAN *pag. 168.* Cel. HEISTERVM *de Cataracta in lente cryſtallina p. 225.* eiusque Obſeruat. in cane factam in *Ephem. Nat. Cur. Cent. IIII. Obſ. 198. p. 469.*

3) WOOLHOVSII *Diſſ. de Cataracta et Glaucomate ex verſione* CHRISTOPHORI CERF *p. 49.*

PROLVSIO X.

DE CVRATIONE

ΤΟΥ ΑΠΟΣΚΕΠΑΡΝΙΣΜΟΥ IN CALVA

SECTIONI PVBLICAE

CADAVERIS FOEMININI

A. D. II. MARTII A. CIↃ IↃ CC XXXVI.

PRAEMISSA

Vulgus, imo ſaepe ii, qui haud obeſae naris videri volunt, perſuaſiſſimum habent, vulnera, aliaque genera, in quibus noxa corpori eſt, ſi per ſe exigua ſunt, chirurgorum quauis cura fieri maiora, et longe ſerius ac difficilius ſaneſcere. Nolo iam his errorem iſtum eripere, et ignominiam, qua optima ars afficitur, plane depellere. Huius enim medicinae, quae manibus curat, efficacitatem tam euidentem eſſe arbitror, vt nec barbarus Potitius de ea dubitare poſſit. Praeſtantiſſimae enim ſalutarique arti illud vitio verti nequit, dari inter eos, qui chirurgi videri volunt, quosdam, qui, omnium rerum ignorantiſſimi, per ſolam effrenatam temeritatem, et quaſi dementiam, artem, quam profitentur, aliorum periculis diſcunt, experimentaque per mortes agunt. Neque vero tales profligati perditique homines honeſtum chirurgi nomen merentur, neque alii, qui, hiſtrionum more, paruam rem extollunt, quo plus praeſtitiſſe videantur, et qui ea, quae ſanari poſſunt, exaſperant, vel iis imbecilliorem medicinam adhibent. Quot enim inueniuntur facinoroſiſſimi nebulones, qui, tum ſua, tum reipublicae peſte ac pernicie, rebus ſacratiſſimis, et ad omnium ſalutem publicamque tranquillitatem tuendam neceſſariis, turpiter abutuntur? Nemo tamen huius proteruiae culpam in optimas diſciplinas, quae ad ſanctiores cultus, iuriumque intelligentiam, faciunt, coniicere audebit. Si vero tamen ſine ambitione

verum ſeruandum eſt, vt in rebus, quae ad ſalutem humanam attinent, quemlibet omnino decet, non inficior incidere poſſe, vt aliquando graue periculoſumque vulnus promptiorem, aliud vero, quod per ſe exiguum videtur, magis diſtantem difficilioremque curationem habeat. Nec hoc ab euidentibus tantum cauſis, ex quibus omnes morbi importuniores fiunt, proficiſcitur, quales ſunt, ſi corpus, quod vulneratum fuit, infirmum malique habitus eſt, ignauia hebetatum, aetate, labore, vigiliis, confectum, vel, ſi ipſam noxam ebrietas, ira, terror, praeceſſit, vel, ſi eam praeſentem aeger cibi, vinique abundantia, aut libidinis intemperantia, exaſperat, quae quantam nocendi vim habeant, vix ac ne vix quidem dici poteſt. Sed aliquando etiam grauiores valetudines citius tolluntur, ſi chirurgus inter multa ſimilia genera et morborum et auxiliorum mox inuenit, quo potiſſimum remedio, qua medendi ratione, ſit utendum, id quod conſilium non raro a minimis latentibusque rebus petendum eſt. In gratiam tironum, quibus haec potiſſimum ſcribuntur, exemplum ponam, cum ſimilitudo, quae ex caſibus paribus ſine translatione mixturaque ducitur, multum ad diſcendam medendi rationem valeat. Cogita igitur, te vulnus accipere curandum, quod enſe hominis capiti illatum eſt. Plaga non ſolum in molli parte eſt, ſed ictu obliquo maior oſſis portio exciſa fuit, ita, vt os ex toto a calua receſſerit, cutis vero alia parte dependeat, alia inhaereat, atque integra etiamnum coniunctione corporis foueatur. Quia enſis non retuſus, ſed acutus, fuit, vulnus haud colliſum, nec quidquam ex oſſe detritum, aut deraſum, eſt. Nec alia acceſſit iniuria, ſed ſuper illud etiam membrana, quae exterius caluam cingit, relicta eſt. Veteres, qui pericula, quae ſub ictu caluariae ſunt, curioſius expoſuerunt, hanc caluae fracturam ἀποσκεπαρνισμὸν (1) vocauerunt.

1) vid. GALENI *Definit. Med. Tom. II. Edit.* CHART. *p 268.* Ἀποσκεπαρνισμός ἐστιν ὀστοῦ ἀποκοπὴ μετὰ τοῦ ἀποκεκομμένου ὀστοῦ τεθραῦσθαι, et PAVLVS AEGINETA *C. VI. Cap. 90. p. 96. Edit. Aldin.* Ἐκκοπὴ δέ ἐστι διαίρεσις τοῦ κρανίου μετὰ ἀνακλασμοῦ τοῦ πεπονθότος. Ἐν δὲ καὶ ἀποθραυσθείη τὸ πεπονθὸς, ἀποσκεπαρνισμὸν τινὲς τὸ πάθος

runt. HIPPOCRATES vero, qui primus de capitis vulneribus singulari libro commentatus est, illam ἀπὸ τῆς ἕδρας nondum distinxisse videtur. Si praecipuos artis professores hic audias, eos diuersa sentientes omnino deprehendes. Erunt forte, qui diffisi hanc dependentem cutem seruari posse, illam malint cum ossis fragmento subsecari. Qui vero ita curaturi sunt, iis necesse est, tempore impositisque medicamentis efficere, vt orae excisi ossis, quae nudatae sunt, aridae fiant, et tandem a reliquo soluantur. Hoc enim si factum est, ex cerebri membrana, ipsoque osse adhuc integro, caro increscit, et vacuum in osse replet. Haec caro, supercrescente cute, in callum, callus in os, duratur. Quod curationis genus longum esse, taediique plenum, nemo harum rerum peritus ignorat. Erunt, quibus forte exemplum ab exercitatissimo chirurgo IACOBO BERENGARIO, CARPENSI, (2) propositum, ante oculos versatur, et quibus opportunum magis videbitur, os demi, et a membranis, quibus inhaeret, separari, post adductas vulneris oras ita iungi, vt se ex toto contingant. Testatur nempe CARPVS, se aliquando vulnus simile a parte sanatum vidisse, vbi totum os frontis ense resectum fuerat. Patrem enim, dempto esse, vulnus fuisse, et oui album superhabuisse, quo solo intra decem dies illud fuit glutinatum. Quoniam vero durae matri deerat operculum, per omnem aetatem huius (seu potius arteriarum) motus in hominis fronte conspicuus fuit. Hanc curandi rationem, a CARPO proditam, imitatus est GABRIEL FALLOPIVS, (3) qui non solum ipse hominem grauiter vulneratum, ablato tamen

πάθος προσηγόρευσαν. confer IOH. BAPT. CORTESII *Comment. in* HIPPOCRATEM *de Capitis Vulneribus, Messinae Anno MDCXXXII. P. II. Text. X. p. 139.* Figuram expressit PETRVS PAAVIVS *in Succent. Anat. p. 101.*

2) *In Libro aureo de Caluae fractura p. 44. Edit. Bononiae anno MDXVIII.* Sunt non pauci, qui IACOBVM, a loco natali CARPVM vel CARPENSEM dictum, a BERENGARIO distinguunt. Quem errorem nuper adhuc errauit inter Italos et Gallos clarus scriptor PETRVS SIMON ROVHAVLTVS, Regis Sardiniae Chirurgus et Academicus Parisiensis, qui anno *MDCCXX Turini* edidit *Traité des Playes de Tête Cap. XII. p. 89.*

3) *De Capitis Vulneribus in O eribus T. I. p. 570.*

prius osse, per futuram sanauit, sed etiam testatur, rem aeque feliciter vni ex discipulis cessisse, qui longe maiori vulneri, quo et ossis et cerebri pars praecisa fuerat, eandem medelam adhibuit. CAESAR etiam MAGATVS, (4) qui singulari studio expeditiorem rationem caeteris vulneribus medendi tradidit, similem casum, adductis etiam CARPI et FALLOPII exemplis, proposuit. In ea enim opinione est, os, quod a reliquo ita penitus recessit, mortuum esse, et ideo subsecandum. Forte eum illo tempore, quo scripsit, latuit, periostium arterias habere, quibus ossi alimentum adfertur, nec satis obseruauit, reliqua ossa, si franguntur, excidere frequentius, et ita penitus diduci, vt aliud super aliud efferatur, quae vero nihilominus, si reponuntur, et recte committuntur, iterum conferuent. Aliqua vero ex parte hanc a CARPO et FALLOPIO traditam medendi rationem mutauit CAESAR, qui praecepit, vt, si maior pars ossis fuerit excisa, et cerebri membrana deoperta, subiiceretur lamina, crebriora foramina habens, ex auro, vel plumbo, confecta. Existimat enim hac custodiendam esse et coërcendam meningem, ne ex ea vitiata caro, quam chirurgi fungum appellant, excrescat. Ob hanc causam, pergit, etiam cutim posse comprehendi futura, hanc tamen raram esse oportere, nec valentius contractam, quo et iterum eximi possit lamina, et exire, si quid humoris fuerit in pus versum. Aliam vero rectioremque viam ingressus est AMBROSIVS PARAEVS, (5) qui, cum simili vulneri, quo tali ictu nudata fuerat meninx, totumque os dimotum, medendum esset, sanguinem omnem, qui coiuerat, exterfit, vulnusque purgauit, cutim, relicto osse, futura comprehendit, et sic effecit, vt os latius dissectum, callo, qui velut ossis cicatrix est, fuerit glutinatum. (6) Aeque felix curatio fuit, quam

4) *de Rara Medicatione vulnerum L. II. Cap. XXXVI. p. 61. edit. Venet. MDCXVI.* Confer. STALPARTI van der WIEL. *Obseru. rariores Obs. V. p. 23 seqq. et Annotat.*

5) *in Operibus Chirurgicis L. VIIII. Cap. VII. p. 274.*

6) confer le *Chirurgien d'Hopital* de BELLOSTE *Cap. III. p. 114.* et LA MOTTE *Traité de Chirurgie T. II. Obs. 147 p. 286.*

quam Chirurgus, inter Gallos hac aetate clarus, HENRICVS FRANCISCVS LEDRAN, (7) homini adhibuit, cui offis occipitis pars notabilis ſic fuerat praeciſa. Nam et ille os exeitauit, repoſuitque, cutim pannis inuolutam faſcia comprehendit, ſicque glutinauit. Solis enim faſciis pannisque ad iungendas oras vſus eſt, quod vulnus, impoſitis ab alio chirurgo denſioribus puluillis pannisque, et iniecta adſtrictiori faſcia, valde vexatum eſſet, inflammatumque, in quibus caſibus ſutura fere eſt aliena. Sunt itaque nonnulli recentiores, inter hos laudatus PETRVS SIMON ROHAVLTVS, (8) et alius CORNELIVS FRANCISCVS FAVDACCIVS, (9) qui hanc curationis viam, ſeu expeditiorem, vſuque probatam, commendant. Ego vero probare luculento exemplo poſſum, os, quod enſe exciſum, et totum ſua ſede motum, fuit, ſi mox in hanc reponatur, et ei adſueſcere cogatur, coire, glutinarique. Haud ita pridem ab amico dono mihi data fuit caluaria, quae plures ictuum illatorum ſedes notasque habet. Offi vero coronali, et ex parte bregmati ſiniſtro, os auriculae in modum adhaeret, quod olim per ἀποσκεπαρνισμὸν enſe exciſum, iam vero non tenero, ſed duriſſimo, callo ſolidatum reliqua calua exſtat, et aliquantum prominet. Quia enim os, vel non protinus, antequam cutis intumuit, vel minus curioſe, in priſtinam ſedem conditum fuit, illud haud recte coiit, ſed ab hac, et quidem ex ſuprema parte, ad duas, tresue, lineas, ita receſſit, vt inferior ora tantum fere ſuperemineat. Illud praeterea adiiciendum eſt, quod difficiliorem reddidit curationem, internam, ſeu vitream laminam ad duorum tranſuerſorum digitorum latitudinem fiſſam eſſe, rimamque habere. Maiorem partem haec coiit; in exſucca vero calua illa ad poſteriorem partem aliquantum hiat, ita, vt exilem ſtilum traiicere non difficile ſit. Dubio caret, hanc rimam totam fuiſſe callo impletam, hunc autem coctura poſt mortem fuiſſe ſolutum. De

7) *Obſeruations de Chirurgie T. I. Obſ. 12. p. 146.*
8) *c. l.*
9) *Reflexions ſur les Playes* par M. FAVDACQ *a Paris MDCCXXXV. p 374.*

homine vero, et vulneris hiſtoria, haud quidquam reſciſcere potui. Quae enim iam ſcripſi, ſolus oculorum minus fallacium ſenſus probat. Ex his illud diſcitur, os, quod praeciſum prorſus a calua receſſit, modo alienatum non ſit, et ſuam, qua exterius veſtitur, membranam habeat, conferuere. Hoc vero certius tutiusque omnino fiet, ſi os cum ſua membrana carnibus et cuti inhaeret, carnes vero cutisque adhuc, vt ſupra ſcripſi, coniunctione corporis fouentur. Summa etiam in illo caſu diligentia adhibenda fuit, ne, quia vitrea lamina confracta eſt, cruor, vel aliud quid, ſub calua relinqueretur, quod, excitato, glutinatoque oſſe, nullum exitum habere potuiſſet. Rerum vſus praeterea docere poterit, num curatio aeque ſuccedere queat, ſi praeter os carnes cutisque praeciſae et penitus ablatae fuerint. Si ratione vtendum eſt, nolim de euentu dubitare, modo omnia tempeſtiue et recte fiant. Nota ſunt, quae de Curtorum chirurgia reliquit IOH. TAGLIACOTIVS, Bononienſis Profeſſor. Illa vero omnia et rebus fictis commentitiisque conſtare, quo minus cum nonnullis exiſtimem, vetant teſtimonia praeſtantiſſimorum fideque digniſſimorum virorum, qui eo tempore, quo illa chirurgia apud Italos crebrius in vſu fuit, vixerunt. (10) Nolo alios caſus arceſſere, qui ſuble-

10) Videtur haec chirurgia ortum traxiſſe ab acerbioribus bellis, quibus per duo ſecula tota Italia a ſic dictis *Guelfis* et *Gibellinis* vexata fuit. Sic enim (vt notum eſt) dicti fuerunt, qui vel a Summi Pontificis, vel Imperatoris, partibus ſteterant. Apud hos, cum ſe acerbe et penitus odiſſent, mos inualuit, vt captiuis naſum auresque praeciderent, et ita truncatos dimitterent. Ignominioſum autem pluribus viſum fuit, habere

truncas inhoneſto vulnere nares.

(VIRGIL. *Aeneid. L. VI. v. 497.*) quare medentes de efficaci medicina, qua iſtae partes inſtaurarentur, cogitare coeperunt. Teſtantur vero de his curationibus, a TAGLIACOTIO et aliis factis, plures autores, quos vide in Cl. STOLLII *Introduct. in Artem Med. P. II Cap. III. §. 28.* quibus a STOLLO laudatis autoribus addo HIERONYMVM MERCVRIALEM *de Decoratione Cap. XVII. p. 26. Ed. Venet. de Anno MDCI.* In altera vero editione huius libelli, a IVLIO MANCINO curata, *Francof. Ao. MDLXXXVII typis exſcripta, p. 115.* legitur Epiſtola TAGLIACOTII ad MERCVRIALEM, in qua multis huius chirurgiae rationem reddit, et plures nobiles viros, quibus nares refectae fuerint, nominat. Confer etiam STEPHANI GOVRMELINI *Chirurgicae artis L. I. pag. 73.* et Celeberr. SALTZMANNI *Diſſert. de Chirurgia Curtorum, Argent. MDCCXIII.*

ſubleſtae fidei poſſent videri, quo referenda videtur hiſtoria, quam haud ita pridem RENATVS IACOBVS GARENGEOTTVS (11) propoſuit. Scribit enim, homini in colluctatione ab aduerſario mordicus auulſum fuiſſe naſum, quem, cum alter exſpuiſſet, et in coenum proieciſſet, vulneratus ſuſtulit et tradidit chirurgo. Hic vero iſtam non minimam partem naſi, a ſordibus, quibus oblita erat, diligenter purgaſſe, vini calidi fotu excitaſſe, et priſtinae ſedi ita adaptaſſe, dicitur, vt, ſuperhabito emplaſtro, illa iterum fuerit glutinata. In medio etiam relinquo hiſtoriam a IOBO a MECKREN (12) traditam, de nobili quodam viro, cui inter Tartaros caluae particula enſe fuerat ablata. Huic chirurgus ſimilem ex interfecti canis capite exciſam ita adaptauit, vt peregrinum oſſiculum recte cum hominis calua coiuerit. Sacrorum vero ex graeco ritu antiſtites, publica exſecratione facta, bono viro ſacris interdixerunt, cui, vt hanc ignominiam auerruncaret, neceſſe fuit pati, vt oſſiculum caninum, irreligioſius chriſtiano capiti glutinatum, noua ſectione tolleretur. Ex his clarum eſſe arbitror, chirurgos in eiusmodi caſibus diuerſas medendi vias ſecutos, hominem ad eandem ſanitatem perducere poſſe, ſemper tamen tentandam eſſe expeditiorem curationem, niſi ex corporis malo habitu, ipſiusque infirmitatis natura, ſcire liceat, eam minus tutam fore. Plerumque haud periclitatur aeger, ſi illud, quod nihil prodeſt, mutatur, et ſi chirurgus aliam medendi rationem experitur. Diſcimus etiam, optimos autores, id quod iam CELSVS (13) animaduertit, alia atque alia quaſi ſola venditaſſe, prout cuique ceſſerant, oportere vero, vt prudens, et, qui artis ſuae rationem nouit, chirurgus, non tanti putet autores, quam aegrum, et vt ſemper a morbi notitia, adhibitaque ſubtiliori obſeruatione rerum minimarum et latentium, rectam medendi viam trahat.

11) *Les Operations de Chirurgie T. III. Obſ. VI. p. 55.*

12) *Obſ. Med. Chirurg. Cap. I. p. 7.*

13) *L. III. Cap. I.*

FIGV-

FIGVRARVM EXPLICATIO.

FIG. I.

a. *Os coronale.*
b. *Bregma ſiniſtrum.*
c. *Sutura coronalis.*
d. *Sutura ſagittalis.*
e. *Sedes oſſis temporum et ſuturae ſquammoſae in bregmate.*
f. *Oſſis pars exciſa iterumque glutinata, quae quaſi auriculae in modum caluae adhaeret.*
g. *Veſtigium ſuturae coronalis in hac oſſis parte conſpicuum.*
h. *Sedes exciſi oſſis, a qua illud, iterum glutinatum, ad duas circiter lineas dimotum eſt.*
i. *Ora inferior exciſi glutinatique oſſis, quae, quod illud in parte ſuprema dimotum eſt, hac parte ſupereminet.*
kk. *Stilus exilis ex balaenaria virga ſectus, per rimam, quae in lamina vitrea eſt, traiectus.*

FIG. II.

Caluae pars interior.

a. *Rima in lamina vitrea, quae adhuc hiat.*
b. *Altera rimae pars ſolidata.*
c. *Stilus per eam traiectus.*

Fig. II.



Fig. I.



Delin. Pitschel Med. Cultor.

Sculpsit Bernigeroth fil.

PROLVSIO XI.

DE MVSCVLO DIGASTRICO MAXILLAE INFERIORIS

PANEGYRI

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG.

D. XXXI. MAII CIↃ IↃCCXXXVII.

PRAEMISSA.

Vim quandam incredibilem artificioſi diuinique operis teſtantur muſculi, quibus ad noſtram voluntatem varius motus omnisque actio, tum ad vitae vſum ſalutemque, tum ad oblectationem, neceſſaria, praeſtatur. Si vel illud attendamus, quanta opera machinata ſit intelligens diuinaque natura, dum digitos ita accommodauit, vt eorum contractio facilis eſſet, facilisque porrectio, nemo inficiari poterit, Dei praepotentis ſapientiſſimo conſilio omnia ad hominum conſeruationem mirabiliter eſſe perfecta. Iam enim CICERO (1) oſtendit, plurimarum artium miniſtras eſſe manus, quibus homines id conſecuti ſunt, *vt tecti, vt veſtiti, vt ſalui, eſſe poſſent, vt vrbes, muros, domicilia, delubra, haberent.* Iſtorum vero motuum, qui per manus digitosque fiunt, maxime compoſitorum, varietates velocitatesque ex cognitis naturae legibus, ſi quis caeteroquin mechanices peritiſſimus explicare, et quod aiunt, omnes motus poſſibiles demonſtrare, velit, hunc citius vita, quam cogitandi dicendique materia, defectum iri exiſtimo. Haec vero, quae, nec numero, nec cogitatione, comprehendi poſſunt, quamuis magna ſint, longe tamen maior artificioſiorque a natura molitio facta eſt in formandis

1) *de Nat. Deorum L. II. Cap. LX. T. IIII. p. 103.*

dis muſculis, quibus aliae actiones paulo magis reconditae fiunt. Nolo iam commemorare eos, qui ad vocem fundendam, ſonos etiam vocis cum maxima celeritate efficiendos, terminandosque, incomprehenſibili arte facti ſunt, nec etiam, id quod in diſſertatione doctiſſima, cuius cauſa haec ſcribuntur, confectum eſt, multis perſequar illos motus, quibus manſus, extenuatus, mollitusque, cibus in ſtomachum, quem ad eius radices haerens ventriculus excipit, depellitur, et quaſi detruditur, qua actione vix alia operoſior dicenda eſt. De vnico muſculo, cui digaſtrici, ſeu biuentris, nomen eſt, quaedam iam commentabor, qui, quamuis forte et aliis motibus accommodatus ſit, non minus tamen etiam ad deglutitionem facere videtur. Huius ſcriptionis occaſionem dedit partim obſeruatio, qua haud ita pridem eundem muſculum aliter conformatum in cadauere deprehendi, partim, quia ab aliquo tempore quendam diſſenſum inter praeſtantiſſimos noſtri aeui anatomicos de eius actione animaduerteram. Nemo igitur, qui in anatome vel parum verſatus eſt, ignorat, hunc muſculum paulo habitiori principio educi ex ſinu anguſto, oblongo, admodum profundo, et ſatis conſpicuo, qui ad mammillaris proceſſus radicem internam eſt; Principium hoc parum a tendine habet, mox enim in carnem tumidam amplioremque vertitur; Carnoſus venter, qui oblique ad anteriora pertinet, tenuatur in tendinem, qui teretem figuram repraeſentat. Hic, qui, vt dicetur, oſſi hyoidi adſtringitur, et muſculo ſtylohyoideo comprehenditur, aliquantum procedit, mox tamen iterum intumeſcit, in carnem vertitur ampliorem, priori fere ſimilem, et finitur ſuper maxillae partem anteriorem, quam mentum vocamus, et quidem ſuper huius partem poſteriorem, infimamque. Maxilla, qua parte hi muſculi ei vtrinque inſidunt, plerumque paululum ſinuata, paruisque tuberibus exaſperata, eſt. Etiam hic alter venter in tendinem breuiorem deſinit. Non rarum eſt, videre fibras, ab vnius lateris muſculo diuergentes, et alteri vicino inſertas, id quod etiam Celeb. Vir, BERNARDVS SIEGFRIED ALBINVS, animaduertit. Hae anteriores huius

huius muſculi carnes, ſeu ventres, ſubiecti ſunt mylohyoideo, qui latus omne illud, quod inter bicornis maxillae anteriora eſt, implet. Id quod vero huic muſculo ſingulare eſt, medius ille tendo non recta ad mentum dirigitur, ſed a via deflexit, et recuruatus, atque ad interiora conuerſus, oſſi hyoidi media membrana illigatur. Has membranas, quae neruoſae ſunt, atque ex muſculis, eorumque tendinibus, veniunt, aponeuroſes vocamus. Educitur haec noſtra, tum ex aliis muſculis, os hyoides mouentibus, tum ex carnibus anterioribus digaſtricorum. Similis enim, aſt tenerior, membrana, ex iisdem orſa, lateque ſuper reliquos muſculos fuſa, quos ſeu velamento operit, tum priori, tum dictis muſculis, dum oſſi illi inhaereſcit. Tendo vero digaſtrici per alium muſculum, ideo fiſſum, traiicitur, cum quo tamen etiam cohaeret. (2) Eſt nempe muſculus, qui a ſtyloide, ſeu graphoide, proceſſu orſus, ſe in os hyoides, ea parte, ubi eius cornu et baſis inter ſe committuntur, inſerit, et ſtylohyoideus, aliis ſtyloceratohyoideus, vocatur. Singularis igitur muſculi digaſtrici conformatio eſt, et poſitus, et implicatio, quae etiam ab omni tempore attentos et ſollicitos habuit anatomicos. Vt prius de nomine dicam; cum muſculos in caput ventrem caudamque diuiſerit antiquitas, huic recte digaſtrici, vel biuentris, nomen datum fuit, id quod tamen, vt videtur, primum factum eſt a IOH. RIOLANO, qui pluribus muſculis, quos olim numeris, non vero idoneis titulis, diſtinxerant anatomici, nomen impoſuit. Caeteri fere omnes, qui RIOLANVM praegreſſi ſunt, GALENVM ſecuti, eum maxillae motorem quartum appellauerunt. At etiam digaſtrici cognomen ab anatomicis inditum eſt aliis muſculis. Sic, quem alii coracohyoideum, IACOBVS BENIGNVS WINSLOVIVS

2) Tendo digaſtrici non ſemper per medium muſculum ſtylohyoideum tranſit, cum eo tamen cohaeret. Magna hic varietas eſt. Vide de his SANTORINI *Obſ. Anat. Cap. I. §. 37. p. 36.* et ALBINVM *de Muſculis L. III. Cap. 42. p. 207.* Error eſt in WINSLOVIO, a typographi negligentia profectus. Nam *in Expoſit. Anat. T. II. §. 829. p. 323.* (Vtor vero *Editione Pariſienſi in 12.*) vbi deſcribit digaſtricum, legitur huius tendinem traiici per extremum mylogloſſi. Propter tyrones hoc animaduertendum fuit.

homohyoideum, appellat, RICHARDVS LOWERVS biuentrem dixit. (3) Nam et is in tendinem tenuatur, ea ſede, vbi ei vena iugularis interna ſubiecta eſt. Illud omitto, alios muſculos, quos LOVERWS (4) plumares, ALPHONSVS BORELLVS (5) et WINSLOVIVS (6) penniformes vocant, ex quorum numero mylohyoideus (7) eſt, digaſtricis adnumerari. Nec vlli forte obſcurum eſt, dari alios, qui plures, mediis tendinibus diſtinctos, ventres habent, id quod in rectis, qui in abdomine ſunt, deprehenditur. Et haec res etiam LOWERVM (8) permouiſſe videtur, vt omnes muſculos, quorum fibrae atque motus recti ſunt, compoſitos ac biuentres eſſe crediderit. Veteres vero omnes noſtrum muſculum non ſat intentis oculis contemplati ſunt, ſed oſcitanter hallucinati, quippe quibus opinio fuit, poſteriorem ventrem a ſtyloide proceſſu venire. In hunc vero errorem ii rapti eſſe videntur, qui GALENVM, cui omnia tribuerunt, haud recte intellexerunt. Is enim, dum hunc muſculum deſcribit, poſterioris carnis ſedem ponit in oſſe petroſo, (9) alio vero loco in poſteriori capitis parte, vbi ſunt proceſſus ſtyloidei. (10) Atque ORIBASIVS (11) in Anatome, quam totam ex GALENO deprompſit, ortum illius ponit poſt, infraque, aures; ex quibus manifeſtum eſt, GALENVM haud prodidiſſe, digaſtricum incipere ab acuto ſtyloide proceſſu, ſed ab oſſis temporum parte, quae iuxta eſt. Et IOH. GVINTERIVS, *Andernacus*, (12) priorem GALENI

3) *de Corde Cap. I. p. 27. in Tab. IIII. fig. 2.* Hoc contra MANGETVM notat Celeberrimus MORGAGNVS *Aduerſ. P. II. Animadu. XII. p. 26.*

4) *c. l. p. 26.*

5) *de Motu animalium P. I. Cap. II. Propoſ. III. p. 6.*

6) *c. l. T. II. §. 24.*

7) *§. 855.*

8) *c. l. p. 23.*

9) GALENVS *de Adminiſtr. Anat. Tom. IIII. L. IIII. Cap. XI. p. 107. Edit.* CHARTER. Ἀρχόμενος ἐκ τοῦ λιβοειδοῦς ὀστοῦ τῆς κεφαλῆς.

10) *de Vſu partium L. XI. Cap. IIII. T. IIII. Edit.* CHART. *p. 559.* ἐκ τῶν ὀπισθίων μερῶν τῆς κεφαλῆς ἵνα περ οἱ ςυλοειδεῖς ἀκφύσεις. Ex poſterioribus capitis partibus, vbi ſunt proceſſus ſtyloidei.

11) Ἀρχόμενοι ὑπισθέν τε καὶ κάτω τῶν ὤτων *in Anatome edita a* GVIL. MORELLO, *Pariſ. 1556. p. 73.* et in *noua Editione a* GVIL. DVNDAS adornata *p. 183.*

12) *In Inſtitutionibus Anatom. L. III. p. 102. Baſil. 1539.*

GALENI textum in mente habuiſſe videtur, quippe qui etiam originem poſuit in oſſe, *quod, quia petrae duritia reſpondet, lithoides appellatur.* Inter Arabes AVINCENNA (13) et HALY FILIVS ABBAS (14) non ſatis explicate originem prodiderunt, prior tamen etiam muſculos ab additamentis pone aures deducit, per quae eum ſtyloideas apophyſes intellexiſſe, propius a vero eſt: alter originem retro aures eſſe indicat. Ita quoque huius muſculi originem prodidit aetate multum inferior ſcriptor, LODOICVS VASSAEVS, *Catalaunenſis.* (15) Sunt etiam, qui eius nullam mentionem fecerunt, inter quos inuenio CAROLVM STEPHANVM. (16) Reliqui autem omnes, GABRIEL DE ZERBIS, (17) IACOBVS BERENGARIVS, *Carpenſis*, (18) IACOBVS SYLVIVS, (19) ANDREAS VESALIVS, (20) IOH. VALVERDA, (21) REALDVS COLVMBVS, (22) GABRIEL FALLOPIVS, (23) FELIX PLATERVS, (24) ARCHANGELVS PICCOLHOMINVS, (25) CASPARVS BAVHINVS, (26) ANDREAS LAVRENTIVS, (27) CASPARVS BARTHOLINVS, (28) VIDVS VIDIVS, (29) ADRIANVS SPIGELIVS, (30) digaſtricum a ſtyloide proceſſu oriri ſcripſerunt. A nonnullis etiam, et ex his BAVHINO, BARTHOLINO, SPIGELIO, ab illa apophyſi γραφοειδὴς fuit appellatus; Quam denominatio-

 nem,

13) *L. I. Fen. I. Doctr. V. Cap. VIIII. p. 59.*

14) *Theorices Serm. III. Cap. III. p. 31. in Edit. Lugd. 1523.* impreſſa.

15) *in Anatome C. H. Venet. 1559. Tab. II. p. 104.*

16) *de Diſſect. Partium C. H.* Pariſ. *1545.*

17) *In Anatome C. H. p. 102. Venet. anno MDII. in fol.*

18) *in Iſagoge Edit. Bonon. anno MDXXIII. p. 47.*

19) *in Iſagoge Anat. L. II. p. 64. Edit. Venet. anno MDLVI.*

20) *de C. H. fabrica L. II. Cap. XVI. in prima Edit. de anno MDXLIII p. 249.* et in altera de anno *MDLV. p. 269.*

21) *in Epitome Fabricae C. H. Cap. II. p. 133.* Edit. MDLXXII.

22) *de Re Anatomica L. V. Cap. XI. p. 126.*

23) *in Inſtitut. Anatom. in Operibus T. I. p. 454.*

24) *in Tabulis de C. H. ſtructura et vſu p. 73.*

25) *in Praelect. Anatom. L. VII. Lect. III. p. 314.*

26) *in Theatro Anatom. L. III. Cap. 71. p. 898.*

27) *in Operibus L. V. Cap. XVI. p. 252.* Edit. Pariſ. MDCXXVIII.

28) *in Inſtit. Anatom. L. III. Cap. XI, p. 305.*

29) *de Anatome L. IIII. Cap. IIII. p. 167.*

30) *de H. C. fabrica L IIII. Cap. V. p. 93.*

nem, licet muſculi originem rectius ac caeteri propoſuerit, retinuit ISBRANDVS DE DIEMERBROECK. (31) Primus autem, qui anatomicos ab errore, quo omnes fuerunt impliciti, reuocauit, fuiſſe videtur IOH. RIOLANVS, (32) qui digaſtricum, ſeu aliquando a ſtyloide proceſſu, aliquando a mammillari, procedentem, propoſuit. Qui hunc autem ſecuti ſunt, omnesque recentiores, re melius cognita, illum contra ſolum maſtoideum ordiri recte docuerunt. Etiam plures defeciſſe videntur, qui anteriorum carnium ſedem in mento non accurate verbis expreſſerunt. Mentum enim parte ſua poſteriori mediaque, vbi maxilla in infantibus media cartilagine continetur, habet in adultis tubercula, quibus, et linguae frenum, et muſculi geniogloſſi, et geniohyoidei, adnexi ſunt. Non pauci vero, his extantioribus proceſſibus noſtros muſculos innecti ſcripſerunt, inter quos vnicum VESALIVM iam nomino. Illae vero depreſſiores, paululumque exaſperatae, ſedes, in quas hi muſculi coniiciuntur, iis tuberibus longe inferiores ſunt, et a BARTHOLOMAEO EVSTACHIO (33) rectius expreſſae. Nec reticendus eſt alius error, qui ad haec vsque tempora anatomicorum libris inſedit. Cum enim quaedam conuenientia eſſet inter noſtrum, et inter muſculum obliquum maiorem oculi, cuius medius tendo per cartilagineum annulum, oſſi coronali inhaereſcentem traiicitur, plures hanc fabricam minus conſiderate ad digaſtricum retulerunt, et ſibi aliisque falſam opinionem induerunt, os hyoides ſimilem, ſed ex membrana formatum annulum, ſeu, vt vocant, trochleam, habere, eamque eſſe tendini, in quem digaſtricus coarctatur, peruiam. (34) Vel alii prodiderunt, in huius vicem eſſe ſtylohyoideum, qui, vt ſupra retuli, fibris ſuis frequentius hunc tendinem comprehendit, aliquando ſaltim operit. Quanquam vero vix non omnes, qui olim de muſculis aliquid reliquerunt, de illo nexu, qui inter os hyoi-

31) *in Anat. L. III. Cap. XXI. p. 426.*

32) *in Anthropograph. L. V. Cap. XV. in Oper. p. 311.*

33) *in Tab. XXXII.* in qua tabula etiam conſpicitur perforatus a tendine ſtylohyoideus.

34) vid. COWPERI *Myotomia p. 95. Edit. de anno MDCXCIIII.* et in *Edit. de anno MDCCXXIIII. No. 68. p. 48.*

hyoidis et digaſtrici tendinem eſt, vel nihil, vel mendoſe, ſcripſerunt, inuenio tamen, IVLIVM CAESAREM AVRANTIVM (35) iam praeterito ſeculo recte tradidiſſe, muſculorum digaſtricorum par oſſi hyoidi *transuerſo ligamento connecti*. Tandem vero et hic error depulſus fuit accuratiori diligentia Celeberrimi WINSLOVII, (36) qui oſtendit, nec membranam illam, nec muſculum ſtylohyoideum ita peruium eſſe, vt tendo digaſtrici ſuper his, ſeu ſuper trochlea, moueri poſſit. Hanc WINSLOVII obſeruationem confirmauit, non ſolum Celeberrimus ALBINVS, (37) ſed etiam ante eximium ab hoc editum de muſculis librum, totam rem ſolicitius perſecutus eſt doctiſſimus Edinburgenſium Profeſſor, ALEXANDER MONRO, (38) qui maxillae inferioris articulum, omniaque, quae ad huius motum attinent, ſingulari ſtudio expoſuit. Sed, ſi iam ad muſculi actionem veniendum, ad haec vsque tempora nemo fere de GALENI ſententia dubitare auſus eſt, omnesque anatomici vno ore profeſſi ſunt, digaſtrici actione deprimi maxillam, osque diduci, vnde etiam omnes eum maxillae motoribus adnumerare ſunt ſoliti. Supra tamen commemoratus artis noſtrae in Academia Bononienſi Profeſſor, IVLIVS CAESAR AVRANTIVS digaſtrici actione maxillae motum praeſtari cum aliis ratus eſt, nihilominus vero etiam illud ſenſit, adducto hoc muſculo linguam in poſteriora promoueri poſſe; quam coniecturam ex nulla alia re capere potuit, quam ex membrana, qua media, hic tendo cum oſſe hyoide iunctus eſt. Et id quidem ita ſe habere, luculentius oſtendit WINSLOVIVS, quo nemo ingenioſior fuit in muſculorum motibus explicandis, quos longe frequentius a noſtra

35) *in Obſeru. Anat.* quae additae ſunt eius *libro de humano foetu, Venet. 1595. edito*, quem locum iam notauit Celeberr. ALBINVS.

36) *c. l. §. 848. et §. 1224.* Ante WINSLOVIVM haec habet GVIL. CHESELDENVS in the *Anatomy of the Human Body* Edit. quarta, *Londini MDCCXXX.* ſed plura ſunt, quae accuratiorem huius rei obſeruationem WINSLOVIO deberi mihi perſuadent, vide hunc l. c.

37) *de Muſculis L. III. Cap. XXXXII. p. 207.*

38) in *Medical Eſſays and Obſervations published by a Society in Edinburgh Vol. I. Obſ. XI. p. 131. et Vol. III. Obſ. XIII. p. 261.*

ſtra intelligentia ſenſuque disiunctos eſſe nouimus. Iam vero illud, quod lucidis experimentis compertum habemus, praemonendum eſſe ſentio, muſculos, qui oſſibus illigantur, dum interna vi ad noſtram voluntatem cientur, non aequabili conſtantique motione agitari, ſed ſaepe diſpari et contraria, ita, vt illa pars, quae iam immota manet, mox ſubſequatur, quieſcente altera, quae prius fuerat agitata. Res oculis manibusque tenetur, ſi in motus animum intendimus, qui a nemine ignorantur. Sic tibia ſuis muſculis flectitur, qui, ſi crus terrae inſiſtit, fixumque eſt, deprimunt peluim, femurque. Itaque tales motuum conuerſiones, cum frequentiſſimae ſint, etiam in noſtro muſculo fieri poſſe, a vero alienum non eſt. WINSLOVIVS igitur probat, digaſtrici actione deprimi maxillam, aſt vero addit, eiusdem muſculi vi caput in poſteriora moueri, et ſic, reclinato capite, os aperiri. Hoc quemuis in ſe experiri poſſe, qui, cubito innixus, manu velit valentius prehendere, et apprimere maxillam, in motum vero ciere digaſtricum, ſeu anniti, vt maxilla deprimatur: His enim inter ſe repugnantibus, os ita aperiri, vt caput in poſteriora ducatur, et ſuper quieſcentis maxillae condylos, hisque inhaerentem cartilaginem, moueatur. Hunc maxillae motum experimentis illuſtrat WINSLOVIVS, qui vero adhuc alium non minus notabilem, vt videtur, poſt AVRANTIVM primus, ſuperaddit. Nam varia opinio apud autores legitur, de illo tendinis medii deflexu, et, cur muſculus, contra capitis poſteriora orſus, tendine ſuo ad interiora recuruetur, atque cum membranula, ab oſſe hyoide veniente, iungatur. GALENVS, (39) cum quo plures faciunt, verboſiori commentatione probare vult, oportere, vt ſic muſculus exporrectus ſit, et ex poſteriori capite educatur, quo maiorem vim haberet ad motum, carnem vero in medio ideo deficere, vt muſculus absque offenſione per illas anguſtas vias ad anteriora pertineret. Hoc enim inter omnes, qui corpora inciderunt, conſtat, collum ita mirabiliter effectum eſſe, vt non ſolum hominem, humo excitatum, celſum, atque

39) *de Vſu partium c. l.*

que erectum, conſtituat, vel propter ſenſus, qui ad neceſſarios vſus in capite collocati ſunt, ſed, vt eo etiam, ceu anguſtiori termino, contineri poſſent plurimae partes, quae, a ſuperioribus tractae ac profectae, in inferiora ducuntur. Ne vero carnoſus tumidiorque muſculus, per illas locorum anguſtias excurrens, has nimis compleret, vel nimis extuberans formae dignitatem offenderet, vel iuxta poſitas partes periculoſe premeret, ex GALENI ſententia, in exiguum teretemque tendinem is coarctatus eſt. Nec etiam illud negari poteſt, ingredi hunc tendinem ſuper iugularem internam, quam, quod per eam ſanguis ex cerebro ad cor perlabitur, a preſſu valentiori tutam eſſe, maxime intererat. (40) Huic a GALENO propoſitae ſententiae ſubſcribere videtur Celeberrimus ALBINVS. Alii, et praeſertim ii, qui ad comminiſcendum ingenioſiores membranoſum annulum et veluti trochleam animo finxerunt, exiſtimant, vim huius muſculi facilitatemque ad motum ea ratione augeri, qua fieri ſolet in leuandis maioribus ponderibus, ſi funes tractorii per trochleam, ſuperque verſatiles orbiculos, traiiciuntur. (41) Nemo vero, ſi CHESELDENVM, WINSLOVIVM et MONROVM excipias, ſibi in animum induxiſſe videtur, hunc muſculum eſſe propter neceſſariam deglutitionis vtilitatem, et quo os hyoides, et cum eo lingua, pharynx ex larynx poſſint attolli, id quod in deglutitione fieri nemo non ſentit. Hanc ſolam etiam ob cauſam, medium digaſtrici tendinem oſſi hyoidi eſſe adſtrictum atque ſtylohyoideo implicitum, illi exiſtimant. Verum et hi praeſtantiſſimi viri non parum de hac re inter ſe diſſentiunt. Nam, vt iam ſupra relatum eſt, WINSLOVIVS haud negat, digaſtrici actione maxillam diduci, et os aperiri, id quod potius variis rationibus, experimentisque probare laborat. Aſt laudatus MONRO eo progreditur, vt prorſus inficias eat, aliquem maxillae motum hoc muſculo praeſtari, quin affirmare haud veretur, non plus, ad os ape-

40) vide figuram in COWPERI *Myotomia Tab. XXIII.*

41) vide inprimis COWPERVM *l. c.*

aperiendum, valere digaſtricum, quam, ad brachium intendendum, brachiaeum internum, cuius actionem prorſus contrariam eſſe, omnes harum rerum intelligentes norunt. Longum foret, argumenta, quibus illud efficere laborat, hic excutere, venia dabitur, ſi nunc potiora adducam. Exploſa igitur illa opinione de commentitio annulo, trochleaque, exiſtimat, membranam ſaepe commemoratam, qua digaſtrici tendo oſſi hyoidi adſtringitur, venire ab illa aponeuroſi, quae educitur ex digaſtrici carnibus anterioribus, et qua continetur ſupra poſitus muſculus mylohyoideus. Hanc membranam eſſe mollem, raram, eique, vt in aliis ſedibus adipem, eſſe innatum, cuius cellulae ſpiritus capaces facile poſſint inflari. Vel propter hanc raritatem hoc vinculum laxum eſſe, illudque in vtrâmque partem, ſi contrahuntur carnes, porrigi, plus tamen in anteriorem, quam in poſteriorem. (42) Monet vero, non ſolum ad hanc diligentem naturae fabricam intendi oportere oculos, animumque, ſed etiam ad ea, quae incidunt eo tempore, quo os aperitur, et quae alio, quo aſſumtus cibus per fauces ac pharyngem in ſtomachum transmittitur, ſeu deglutitur. Ore enim aperto, id quod admoto digito ſentitur, paululum deorſum moueri laryngem, cum quo et lingua et pharynx et os hyoides iuncta ſunt. Neminem vero quidquam deglutire poſſe, niſi os clauſum, maxillaque adducta, fuerit, et tunc valentius deprimi os hyoides, cunctasque partes, quae huic innectuntur. Etſi concedendum fuerit, muſculorum carnes, dum motu intrinſeco ad voluntatem cientur, ad ſenſum indurari, hoc maxime digitis percipi in carnibus anterioribus digaſtricorum, eo tempore, quo os hyoides in deglutientibus repentino, et conuulſis ſimili, motu iterum aſſurgit; ſecus fieri, ſi citra deglutitionem, vti oſcitantibus euenire ſolet, maxilla inclinetur. Tunc enim intentos apparere, et ad ſenſum dureſcere, alios muſculos, qui, infra os hyoides poſiti, ſuper hoc et laryngis cartilagines finiuntur, et quorum actione hae partes deorſum feruntur. Et hoc experiri facile eſſe cuilibet, qui

42) vid. *fig. c. l. in Vol. III. Tab. II. fig. l. lit. m. n. o.*

qui digitum ponere velit ſuper tracheam in homine, qui non valde opimo corporis habitu eſt. Diducto enim ore ſentiri contractionem et duritiem in ſternohyoideis, et ſternothyroideis, non vero in digaſtricis. Illorum igitur muſculorum miniſterio, non ſolum partibus, ſuper quas finiuntur, ſed et maxillae, motum praeſtari, hancque, ſe remittentibus illis, quibus ea alias magna vi attollitur, deprimi. Imo non ſolius maxillae inferioris motu os diduci, ſed non parum ad id conferre muſculos, quibus occiput continetur. His enim motis, ſinus eos, quos temporum oſſa habent ſuper rotundiores maxillae condylos, cardinis modo, moueri. (43) Rem alio experimento compertam eſſe, pergit MONRO. Quemuis enim, qui, ante ſpeculum conſtitutus, caput, quantum. poteſt, immobile praeſtet, os autem multum aperiat, deprehenſurum, inferiores dentes ſatis deſcendere, aſt tamen etiam ſurſum ferri eos, qui ſuperiori oſſi malarum haerent; hoc magis ad ſenſum futurum eſſe, ſi is eo tempore, quo os clauſum eſt, vel digito, vel alia quapiam re, in ſpeculo accuratius notare velit locum, qui vtriusque maxillae dentes repraeſentat. Iam vero ex ipſa illa conformatione clarum eſſe, maxillam non moueri poſſe carnibus poſterioribus digaſtricorum. Quominus enim iisdem illa adduci queat, obſtare eum nexum, qui inter os hyoides eſt, et muſculi tendinem. Si enim os mobile ſit, contractis iſtis carnibus, os longe prius agitatum iri, quam maxillam. Si vero os aliis, et digaſtrico validioribus, muſculis figatur, et quieſcat, neceſſe eſſe, vt omnis motus hic terminetur, et omnis virtus oſſis hyoidis renixu exhauriatur. Nec magis accommodatas eſſe huic functioni carnes anteriores. Illas enim pro portione iuſto breuiores eſſe, ita, vt citra illam membranam, quae ſe hac parte plurimum remittit, haud quidquam adducere poſſint. Nunquam enim maxillam virtute digaſtrici moueri poſſe, niſi haec ſatis fuerit extenta, ad quam intentionem vtriusque carnis contractione opus ſit. Si itaque po-

43 Hunc motum iam obſeruauit WINSLOVIVS, qui vero, vt docui, illum eidem digaſtrico tribuere videtur.

namus, os hyoides actione muſculorum ſternohyoideorum, coracohyoideorum, vt et ſternothyroideorum, deprimi, et figi, vtrinque vero contrahi, et adduci, carnes digaſtrici, aſſurgere debere os hyoides, quantum illud ei muſculi permittunt, ad minimum tunc carnes poſteriores reniti viribus dictorum muſculorum, quibus os hyoides, et adnexa, deorſum mouentur, et ſic etiam fore, vt aliquantum ſurſum tollatur os hyoides. Illud itaque robur, quod ad maxillam deprimendam adferri poſſit a carnibus anterioribus, iam vel propter hanc contrariam carnium poſteriorum actionem cadere. Si itaque os aperiendum ſit, putat MONRO, parum ad id facere naturale et inſitum pondus maxillae, et muſculum platysmamyoidem, (44) aliquantum etiam, ſi homo maiori hiatu rictum diſtendat, extenſores capitis, plurimum vero muſculos mylohyoideum, geniohyoideos, geniogloſſos, hyogloſſos, ſternohyoideos, coracohyoideos, thyrohyoideos, et ſternothyroideos. Hos enim muſculos omnes, vt digaſtricos, conſiderat, et exiſtimat, v. g. geniohyoideis, ſi ſoli agant, os hyoides attolli, aſt vero, ſi agentibus ſternohyoideis os hyoides iam deorſum verſus fuerit motum, ſatisque valenter haereat, priores horum actionem iuuare, et ſic vtrorumque virtute maxillam inclinari, id quod etiam de caeteris ſupra nominatis exiſtimat. Hac vero naturae ſolertia formae inprimis eſſe prouiſum, quae os nulli alii oſſi inhaerens ſolisque muſculis et ligamentis conſtrictum et his quaſi innatans in collo poſuerit, ſicque cauerit, ne muſculi illi, qui longiores ſunt, indecore proiicerentur, et illis prominentibus collum tuberoſius et deforme redderetur. Eundem in finem eſſe ligamenta, quae a proceſſu ſtyloide deducta, oſſis hyoidis appendicibus, quae vtrinque e latere ſunt, inſeruntur. His enim os hyoides contineri, et caueri, quo minus hoc nimium in anteriora poſſet promoueri. Hanc rem, quae ſic ingenioſius et elegantius a doctiſſimo viro fuit diſputata, in dubium vocaſſe videtur Celeb. ALBINVS,

44) WINSLOVIVS negat quidquam ad mouendam maxillam facere hunc muſculum *Tab. IIII. §. 574.*

BINVS, qui, quamuis non prorſus illud abnuat, hoc muſculo os hyoides excitari poſſe, tamen ſibi perſuaſum habere videtur, maxillae causa muſculum eſſe factum, et in tendinem propterea coarctatum, quo melius per illas anguſtias in anteriora excurrere poſſit.

Nec in has lites ire, nec eas componere, auſim, quantum vero ego ſapio, quod fortaſſis in hac re perexiguum eſt, videtur deglutitio digaſtrici actione non parum adiuuari, praeſertim cum alii muſculi, qui leuare dicuntur, et os hyoides, et linguam pharyngemque, partes, quae omnes inter ſe nexae atque ponderoſiores ſunt, vix ſatis ad id valere videantur. Imo et ideo lata ſuper mylohyoideum fuſa videtur aponeuroſis, quo tota lingua aequaliter aſſurgat. Num etiam ad motuum iſtorum facultatem aliquid faciat ſumma mobilitas, quae in ſtylohyoideo proceſſu ad adultam vsque aetatem eſt, in dubio relinquo. (45) Sollicitior harum rerum obſeruatio rem aliquando ad veritatem deducet. Supereſt, vt id, quod pollicitus ſum, addam, quodque commilitones, et plures anatomes fautores, animaduerterunt in foemina, quae, ad ſupplicium tracta, capite fuerat truncata, et Theatro noſtro illata. In hac enim vnius muſculi digaſtrici altera anteriorque caro non ad mentum porrecta fuit, ſed ad latus deflexa, ſuper inferiorem fereque mediam maxillae oram iuxta labrorum depreſſorem communem ita terminata, vt illam oram ſuperadſcenderet, et fere ad mediam vsque partem exterioris oſſis procederet. Comperiri a nemine potui, num forte haec conformatio mulieri, dum vel os diducere, vel cibum, potumue, deglutire vellet, impedimento fuerit. Illa forte plus tardare potuiſſet maxillae, quam oſſis hyoidis, motum.

45) Vid. de hac commiſſura RVYSCHII *Aduerſ. Anatom. Dec. III. Cap. VIIII.* *p. 31.* confer *Diſſ. de Epiphyſibus Oſſium anno praeterito ventilatam §. XIII. p. 17.*

FIGV-

FIGVRARVM EXPLICATIO.

aaaa. Integumenta cum platismamyoide reclinata. b. Maxilla inferior ſiniſtri lateris, eiusque ora inferior. c. Eadem dextri lateris. d. Eius pars anterior, ſeu mentum. ee. Glandulae maxillares. f. Ductus Warthonianus dextri lateris. g. Larynx enſe carnificis diſſectus. hh. Muſculi ſternohyoidei diſſecti. iii. Muſculus mylohyoideus, in hac figura, quia maxilla inuerſa eſt, digaſtrico ſubiectus. k. os hyoides et ſuper illud fuſa aponeuroſis. l. Muſculus digaſtricus dextri lateris mento, vt ſolet, inſertus. m. Fibrae a lateris dextri carne ad latus ſiniſtrum deflexae. n. Caro anterior digaſtrici ſiniſtri, quae praeter naturam in media maxilla finitur. oo. Sedes, vbi digaſtrici tendo adſtringitur oſſi hyoidi, media illa aponeuroſi. pp. Medius ille tendo diſſectus, in latere ſiniſtro. q. Muſculus ſtylohyoideus, qui hunc tendinem comprehendit.

Tom. II. p. 94.



Delin. Pitschel Med. Cult.

Sculpsit Bernigeroth fil.

PROLVSIO XII.

DE RISV A SPLENE

PANEGYRI

IVSTI GODOFREDI GVNZII

A. D. XXI. MARTII CIↃ IↃCCXXXVIII.

PRAEMISSA.

Inter excellentiores admirandasque facultates, quae a diuina aeternaque natura homini prae caeteris animantibus, tum ad vitae vſum, tum ad oblectationem, datae ſunt, nonnulla etiam attentione dignus videtur riſus. Iam enim apud vetuſtiſſimos Philoſophos, PORPHYRIVM, (1) et ARISTOTELEM, (2) exploratum confectumque fuit, ſolum hominem ridere: contra quos tamen PETRVM GASSENDVM (3) acriter pugnaſſe legimus. Nolo ego componere lites, multo vero minus cum iis ſentire, qui ideo ſolum hominem ridendi poteſtatem habere opinantur, quod omnis riſus a ratione, qua bruta deſtituuntur, proficiſcatur. Nam ad riſum parum valere rationem, vel eo diſcitur, quod eius imperioſiſſima vis omni ratione valentior eſt. Riſui enim repugnari difficillimum eſt, et ſaepe, quamuis omnem ſolertiam adhibeamus, et quamuis eum cum VARIO HORATII (4) mappa compeſcere velimus, impedire haud poſſumus, quo minus is magno opprobrio erumpat, vultum, imo et latera, occupet. Illud nihilominus

1) Qui τὸ γελαστικὸν, ſeu ridendi facultatem, hominis proprium in quarto modo eſſe ſtatuit *Libro de V. Vocibus Cap. de Proprio.* Vide FRANCISCI VALLERIOLAE *Enarrat. Medicinal. Lib. III. Enarrat. VIIII. p. 447.*

2) *Lib. III. de Partib. Animant. Cap. X. Tom. I. p. 1014. Edit. du* VAL *Anno MDCXVIIII.*

3) *In Exercitat. Paradoxis aduerſus* ARISTOTELEM *Lib. II. Tom. III. Operum p. 189.*

4) *Sermon. L. II. Sat. VIII. v. 63.*

nus a vero propius videtur, nullum animal inueniri, quod fimilem humano edat riſum. Quamuis enim in brutis exſultantem geſtientemque laetitiam videamus, quamuis in iis etiam illae corporis partes, quarum motu in homine riſus cietur, concutiantur, quamuis alia occaſione iis rictus diducatur, et ſpiritus cum ſono quodam ex gutture explodatur: nunquam tamen, ſi vel ad ridendi cauſas, modumque, attendamus, haec ita inter ſe iuncta ſunt, vt ad naturam veri humanique riſus accedant. Iam vero, quid ſit riſus, viderit, vt cum CICERONE (5) loquar, ipſe DEMOCRITVS. Neminem quidem, qui corporis noſtri aliquam notitiam habet, ignorare arbitror, magnos ſolutosque riſus, ſeu cachinnos, moueri, ſi aër ex dilatato pulmone breui, celeri, iterataque concuſſione, per aſperae arteriae oſtium expellitur, quare per vim neruorum, muſculorumque, quorum actione ſpiritus trahitur, emittiturque, etiam riſum excitari, certum eſt. Accedit vultus, qui, vt omnibus vehementioribus animi commotionibus, ita etiam riſui, accommodatur. Sed vero, quid illud ſit in nobis, a cuius imperio corpus ita concutitur, vt hoc etiam vires, imo vita aliquando, deficiat, (6) difficile videtur, et inexplicabile. Nolo ego Philoſophos de negotio deiicere, cum et magnus Philoſophus, CICERO, hoc a ſe ignorari, profeſſus ſit; (7) Operae fortaſſis pretium erit, iam paucis diſquirere, num lien aliquid ad riſum facere poſſit, quae vetus, et ex antiquiſſimorum auctorum documentis conſtans, opinio fuit. Atque igitur illud habet A. PERSIVS FLACCVS, (8) non humilis ſpiritus Poëta, qui, dum ſe ad hominum mores acerbius perſtringendos parat, vt hoc excuſatius facere poſſit, his vtitur verbis:

Quid

5) *De Oratore L. II. Cap. LVIII. T. I. p. 148. Edit.* VERBVRG. vbi plura de riſu habet elegantiora, cum quo confer M. F. QVINCTILIANI *Inſtit. Orat. L. VI. Cap. III.*

6) Riſus intemperantia olim extinctus fuit PHILEMON ſeptem et nonaginta annos natus. Vid. LVCIANI *Macrob. T. II. Edit.* GRAEVII *p. 475.* VALER. MAXIMVS *Lib. VIIII. Cap. XII. p. 856.* Et ZEVXES pictor, qui anum pinxerat. Vide S. POMPEIVM FESTVM *de Verb. ſignificat. L. XIIII. p. 345.* Edit. ANDR. DACERII.

7) *c. l.*

8) *Satyra I. v. 12.*

Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.

PLINIVS (9) vero ſcribit, plures eſſe, qui *putent, exemto liene adimi ſimul riſum homini, intemperantiamque eius conſtare lienis magnitudine.* Diſertius autem totam rem exprimit Medicus Poëta, QVINTVS SERENVS SAMMONICVS: (10)

Splen tumidus nocet, et riſum tamen addit ineptum,
Vt mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quae miſeris permiſcent gaudia fatis.
Dicitur exſectus facilcs auferre cachinnos.
Perpetuoque aeuo frontem praeſtare ſeueram.

Et ALEXANDER APHRODISEVS illud inter ſua problemata poſuit. (11) ISIDORVS VERO HISPALENSIS EPISCOPVS de liene, et aliis viſceribus, ita loquitur: *Splene ridemus, felle iraſcimur, corde ſapimus, iecore amamus:* (12) Id quod ab alio, neſcio quo, rhythmis expreſſum eſt;

Cor ſapit, pulmo loquitur, fel continet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

His

9) *Hiſt. Nat. Lib. XI. Cap. 38. Tom. I.*

10) *De Medicina C. XXIII. v. 430.*

11) *Lib. I Probl. 136. p. 41. in Edit. Pariſ.* a IOH. DAVIONE Anno MDXLI. edita. Διὰ τὶ τὸν γέλωτα πολλοὶ νομίζουσιν ἐκ τῦ σπληνὸς γίγνεσθαι, φάσκοντες ἐπὶ τῶν σκιῤῥυμένων σπληνῶν, μὴ ὁμοίως τὺς πάσχοντας γελᾶν, ὡς ἐπὶ τῶν ἐῤῥωμένων, ἀλλὰ μᾶλλον κατηφεῖς εἶναι. ὅτι κατὰ τὸ συμβεβηκὸς ὁ σπλὴν καὶ ὐ κυρίως ἐστὶν αἴτιος τῦ γέλωτος. ἐὰν μὲν γὰρ ᾖ ἐῤῥωμένος, ἕλκει ἐκ τῦ ἥπατος πάντα τὸν τρυγώδη καὶ μελαγχολικὸν χυμόν. καὶ ὕτω καθαρὸν ἀνιὸν τὸ αἷμα ἐν ὅλῳ τύτῳ σώματι, καὶ ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ. ἥδει φύσιν καὶ ψυχὴν, καὶ ὥσπερ ὅινος ἐυφραίνει τάυτην, καὶ εἰς ἐυθυμίαν ἄγει. ἀπὸ δὲ τάυτης ὁ γέλως κινᾶται. *Quare multi exiſtimant, riſum ex liene oriri, hoc argumento, quod quibus lien ſcirrho, id eſt tumore duro, vitiatus eſt, non perinde ſint ad ridendum comparati, vt qui ſunt incolumes; ſed ſint moeſtiores. Lien non proprie et per ſe, ſed ex accidenti riſus cauſa cenſendus eſt. Quam diu enim ſanus omnino foeculentum et melancholicum ſuccum ex iecinore trahit, atque ita, dum ſanguis purus et defoecatus totum corpus cerebrumque peruadit, naturam ſimul et animam non aliter, quam vinum oblectat, exhilarat, et in tranquillam rectamque conſtitutionem traducit. Inde autem riſus excitatur.*

12) *Originum L. XI. Cap. I. in Collect. Auctor. Lat. Linguae* DIONYSII GOTHOFREDI *p. 1100.*

His etiam addendus est AEGIDIVS BOVRDINVS, (13) cui splenem eiicere significat abiicere omnem voluptatem, et irasci. Taceo etiam, in Rabbinorum commentariis splenem risus sedem appellari, (14) et Gallis prouerbium in vsu esse, quod sine dubio inde ortum habet. (15) Hoc vero si iam persequi volo, illud ante omnia monendum esse sentio, nullam rem in medentium scholis tam controuersam fuisse, tamque plenam dissensionis, quam naturalem lienis actionem. (16) Et quamuis hac aetate verisimillimum sit, in raro laxoque hoc viscere sanguinem, cuius illud non minimam partem recipit, extenuari, nouis affusis humoribus misceri, sicque praeparari, vt postmodum in iecinore, in quod per portae venam influit, felli secernendo possit inseruire; quamuis, inquam, de hac sententia pauci dubitent, ille tamen scrupulus non prorsus eximi potuit, qui fiat, vt, exciso liene, animal non solum viuat, sed etiam recte valeat. Lienem enim sine noxa exscindi posse, iam veteres prodiderunt, et quamuis illud ab aliis, maxime a CAELIO AVRELIANO, (17) et sequenti aetate a IOH. RIOLANO, (18) in dubium vocatum fuerit, res tamen plurimorum praestantissimorum Virorum experimentis, in canibus factis, nunc sine

13) *In Scholiis in* ARISTOPHANIS Θεσμοφοριάζουσας *ad Prologi v. 3.* et quidem ad verba: Πρὶν τὸν σπλῆνα ἐκβαλεῖν. τουτέστι δ' ἡδὺ τῆς ψυχῆς, καὶ εἴτα ὀργίζεσθαι· οἱ γὰρ σπλῆνα ἔχοντες πολὺν, λέγονται εἶναι φύσει πολυγέλωτες καὶ ἀεὶ ἡδομένοι. οἱ δὲ ἀπορροῦντες τοῦ σπλῆνος, ἀγέλωτες καὶ μελαγχολικοί. ὅθεν καὶ σπληνιᾶν λέγεται ἀμέτρως γελᾶν. Καὶ Φάρμακον ἄσπληνον τὸ εὑρεθὲν πρὸς τὸ θεραπεύειν κ' ἰᾶσθαι τοὺς σπληνιῶντας καὶ ἀμέτρως γελῶντας· ἔλλειψις γὰρ καὶ ἀποβολὴ τοῦ σπλῆνος, τὴν ἡδονὴν πᾶσαν ἀποβάλλει· καὶ ὅτω ὀργὴν ἐπιβάλλει καὶ ἀσάγη. IH *Edit.* LVD. KVSTERI *p. 476.*

14) Vid. ISAACI CASAVBONI *Comment. in Persium c. l. p. 53.* Conf. ROBERTI KEVCHENII *Comment. in* SERENVM *p. 177.* et ex hoc BVRMANNVM *in Poëtas minores.*

15) Dicunt: *s'epanouir la ratte.* vide CAROLVM DRELINCVRTIVM *de Lienosis, in Opusculis p. 730.*

16) Sententias variorum, inprimis veterum, maiori studio collegit IOH. ANTONIDES van der LINDEN *in Medicina Physiolog. Cap. V. Art. III. §. 32. p. 72.*

17) *De Morbis Chronicis Lib. III. C. IIII. p. 453. Quidam etiam decidendum vel auferendum lienem ordinare ausi sunt, quod quidem voce dictum, non officio completum accepimus.*

18) *In Anthropographia Lib. II. Cap. XXIII. in Operibus p. 132.*

ſine dubitatione confirmata eſt. (19) Imo hoc etiam in muliere factum eſſe, de ſe olim gloriatus eſt LEONARDVS FIORAVANTVS, celebris empiricus, (20) cui tamen vix habenda eſſet fides, niſi etiam alia exempla, ab aliis, eſſent propoſita. (21) Si enim haec experimenta olim ERASISTRATO, (22) qui lienem fruſtra et nullius vſus eſſe dixit, vel RVFFO EPHESIO, (23) cui ὁ σπλὴν ἄπρακτος καὶ ἀνέργητος fuit, innotuiſſent, certe hi nouum ab iis robur ſuae, caeteroquin perabſurdae, ſententiae, petiiſſent. Prout vero Philoſophi ac Medici varia, quam de liene conceperant, opinione ducti fuerunt, ita nec inter eos conuenit de cauſa, cur a ſplene riſus oriatur. Primam, ſi recte ſentio, huic ſententiae occaſionem dediſſe videtur PLATO, qui ſplenem iecinori ideo ad latus poſitum eſſe exiſtimauit, vt ſplene, ceu ſpongia, qualis olim ſpeculo adpoſita fuit, illud purum ac ſplendens redderetur: addit enim, lienem ſordes attrahere, ſi iecur iisdem propter morbum abundet. (24)

(N 2) Inde

19) Vide Celeberrimi viri, quem honoris cauſa nomino, IOH. HEINRICI SCHVLZII *Diſſ. de ſplene canibus exciſo.*

20) Hanc hiſtoriam, breui poſt ab ipſo FIORAVANTO editos libros, adducit ROBERTVS FLVDD, ſeu a FLVCTIBVS *in Anat. Regionis infimae Lib. IIII. Cap. VIII p. 101.* accuratius vero illam enarrat THOM. BARTHOLINVS *in Hiſt. Anatom. Cent. IIII. Hiſtor. LI. p. 346.*

21) Vide GVILIELMI BALLONII *Epidem. Lib. II. Anno MDLXXVIII p. 164.* et THEOPHILI BONETI *Medicinam ſeptentrionalem Lib. III. Sect. XIX. Cap. XII. p. 677.* vt et nouam hiſtoriam teſtimonio firmatam in *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. III. Obſ. 195. p. 378.*

22) Vid. qui eum refutat, GALENVM *de Vſu Partium Lib. IIII. Cap. XV. Tom. V. Edit.* CHARTERII *p. 386. et Libr. de Facult. Natur. Lib. II. Cap. VIIII. Tom. V. p. 50.*

23) *De Corporis Humani Partium Appellationibus Lib. I. p. 59. Edit.* GVIL. CLINCH.

24) *In Timaeo Edit.* IOH. SERRANI *Tom. III. p. 72.* Ἡ δ' αὐτὸ γήτονος, αὐτῷ ξύτασις καὶ ἕδρα σπλάγχνα, γέγονεν ἐξ ἀριστερᾶς, χάριν ἐκείνα τὸ παρέχειν αὐτὸ λαμπρὸν ἀεὶ καὶ καθαρὸν ὅιον κατόπτρῳ παρεσκευασμένον καὶ ἕτοιμον, ἀεὶ παρακείμενον ἔκμαγεῖον. διὸ δὴ καὶ, ὅταν τινὲς ἀκαθαρσίαι γίγνωνται διὰ νόσον σώματος περὶ τὸ ἧπαρ, πάντα ἡ σπληνὸς καθαίρουσα αὐτὰ δέχεται μανότης. Non recte hunc locum interpretatus eſt, nec IOH. SERRANVS, nec MARSILIVS FICINVS *p. 545.* qui per τὸ ἐκμαγεῖον, neſcio quam, imaginem intellexerunt. Vox, quae ſpongiam ſignificat, oritur, ἀπὸ τὸ ἐκμάσσειν, id quod oſtendit clarius ISAACVS VOSSIVS *in Catullum p. 96.* Conf. IVL. POLLVCIS *Onomaſticon Lib. II. Cap. IIII. Sect. 220. cum Comment.* IOACHIMI KVHNII *et Lib. VI. Cap. XIIII. Sect. 93.* Vid. etiam DRELINCVRTIVS *l. c.*

Inde vero aliorum Philoſophorum ſcripta oppleuit opinio, ſuccum omnem, quo alimur, ex inteſtinis in iecur, per venas ad illud pertinentes permanare, et ibi, ſecreta bile, in ſanguinem verti, ſordes vero atque ſuperfluum humorem ſplene, ſeu ſpongia, ſorberi, eumque hoc ſanguinis atque caloris pleno viſcere ſubigi et perfici. Ab hac tandem ad illam opinionem lapſi ſunt, maiori beneque conſtituto liene, ſanguinem fieri meliorem abſolutioremque. Illud autem ſemper inter omnes confeſſum fuit, in ſanguine maximam vim eſſe ad corporis habitum, et, ſi illé integer fuerit, calidus ac rubens, modice craſſus, non glutinoſus, (25) animum ita eſſe affectum, vt ad hilaritatem voluptatemque ſit procliuior, et ideo etiam ad iocum et riſum. Atque haec quidem, vt cuilibet clarum eſt, ex illa veterum de liene ſententia fluunt. Quia vero a liene ſanguinis recrementa nec adduci poſſunt, nec ſorberi, nec ita, vt olim crediderunt, perfici, ac in bonum ſuccum mutari, omnis opinio de ſplene riſum ciente videtur prorſus infirmari, atque conuelli. Si vero hoc vlterius excutiendum eſt, de duobus mihi requirendum eſſe ſentio, ſi omnem verborum captationem concertationemque effugere velim. Nimirum, quales illi ſint, qui magnum lienem habent, cum et in his verbis ambiguitas ſit, et num ipſa res aliqua veritate nitatur, et vnquam experimentis fuerit cognita; quibus praemiſſis non ita difficile erit, cauſam ſubiicere. Magnum itaque lienem habere poteſt homo ſanus, beneque valens, cui hoc viſcus amplum et exſuperans a natura datum fuit, id quod inueniri rarum non eſt. Magni vero etiam lienes ſunt, qui per morbum intumuerunt, quibus, qui laborant, σπληνώδεες, (26) vel lienoſi, dicti fuerunt. Huius morbi naturam HIPPOCRATES, (27) ARETAEVS, (28) et CAELIVS AVRELIA-

25) Sic deſcribitur optimus a CELSO *Lib. V. Cap. 26.*

26) HIPPOCRATES *Aphor. Sect. VI Aphoriſm. 43.*

27) *περὶ παθῶν §. 21. Tom. II. Edit.* LIND. *p. 172*

28) *De Cauſis et ſignis morborum chronicorum Lib. I. Cap. XIIII.*

RELIANVS, (29) certis ſignis accuratiſſime deſcripſerunt. Omnia vero, quae de his, tum veteres, tum recentiores, commentati ſunt, in volumen omni genere politioris humanitatis abundans retulit Celeberrimus olim Leidenſium Profeſſor, CAROLVS DRELINCVRTIVS. (30) Quod ad primum genus hominum attinet, ſi eam, quae ſemel percrebuit, inueterauitque, opinionem vincere velimus, atque amouere, non ita certum videtur, homines pergrandi liene ad immoderatiorem riſum moueri. Nihilominus non deſunt exempla hominum, qui per totam vitam γελασῖνοι, qualis olim DEMOCRITVS fuiſſe dicitur, (31) ſeu facili riſu ſoluti fuere, et quibus poſt mortem maiores lienes inuenti ſunt. ANDREAS VESALIVS (32) teſtatur, ſe aliquando in iuuene, per vitam minime, vt loquitur, melancholico, poſt in furcas ſuſpenſo, vidiſſe lienem, caeteroquin ſanum, ſed adeo magnum, vt iecinoris moli parum cederet, cui etiam adhaeſit: et PHILIPPVS IACOBVS HARTMANNVS (33) de fure etiam ad ſupplicium dato reliquit, ei tam frequentem riſum erupiſſe, vt nec ſibi coram iudicibus ab eo temperare potuerit, in quo etiam poſt fata vaſtus et in lobos diuiſus lien, hepatis alteram partem adaequans, repertus eſt. Vir etiam doctrina arteque Illuſtris, FRIDERICVS HOFFMANNVS, ſimilem fere caſum retulit. (34) Si vero ad SERENI verba animaduertimus, riſus maxime concitari dicitur a liene, per morbum tumente, qui riſus ineptus dicitur, ac cum illo comparatur, qui a ſumto veneno cietur, et Medicis Sardonius olim vocatus fuit. De Riſu Sardonio, eiusque etymo, plura commentati ſunt SVIDAS, (35) EVSTATHIVS, (36) et, qui hos inprimis ſecutus eſt, DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS. (37) Nomen ſine dubio habet ab herba ve-

29) *l. c.*

30) *In Tractatu de Lienoſis.*

31) Vide SVIDAM.

32) *De Fabrica Corp. Hum. Lib. V. Cap. VIIII.*

33) *In Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Anno VIIII. Obſ. XI. p. 35.*

34) *In Diſſert. de Lienis Morbis Anno MDCCIIII. Halae* edita.

35) Sub voce σαρδάνιος γέλως *Tom. III. p. 287.* Edit. KVSTERI.

36) *In Homerum ad Odyſſ. Lib. XX. v. 301. p. 1895. in Edit. Romana.*

37) *In Adagiis Chiliad. III. Cent V. §. I. p. 726.*

nenata, quae copioſior in Sardinia creſcit, et de qua etiam non prorſus conſentiunt autores. (38) Eiusmodi riſus deſcribi poſſe videtur, ſi in homine vultus, pectus, omnesque partes, quibus riſus fit, mouentur, non vero animus, qui non gaudio, ſed dolore, atque iracundia, effertur. Huius vero cauſa, vel in animo eſt, vel in corpore, cum ex vtroque Sardonius riſus procedat. Sic eiusmodi riſum, affectu concitatum, riſit VLYSSES, cum CTESIPPVS bouis pedem in eum ieciſſet, (39) et CICERO, (40) aeque ac PLVTARCHVS, (41) eius mentionem faciunt. Ex corpore, ſi illud afficitur, riſum moueri, vel ſola titillatio oſtendit. Et eiusmodi riſum HIPPOCRATES (42) in pueris recens natis ſub ſomno primo die obſeruauit, quem a, neſcio qua, ſapientia, quam primo die infanti ineſſe putat, deducit, cum pueri ante quadrageſimum aetatis diem haud ridere ſoliti ſint. Tales vero commotiunculas in pueris fieri, ſi τὸ μηκώνιον non excernitur, eosque tormina prehendunt, iam inter ſagas anus peruulgatum eſt. Riſum Sardonium etiam moueri a croco, mediae aetatis ſcriptores prodiderunt. SIMEON SETHI (43) ſcribit, ſi quisquam eius ſumſerit ἑξαγίων τριῶν, (44) eum

38) Vide VIRGILII *Eclogam VII. v. 41.* adde SERVII *Commentaria, qui locum ex* SALLVSTIO *adducit.* PEDACIVM DIOSCORIDEM *de Medica Materia Lib. II. Cap. 206. p. 163.* et ex hoc PLINIVM *Hiſt. Nat. L. XX. Cap. XI. Sect. 46. T. II. p. 255.* et *L. XXV. Cap. XVII. Sect. 109. Tom. II. p. 387.* C. IVLIVM SOLINVM *in Polyhiſtore Cap. IIII.* Conf. SALMASII *Exercitat. p. 71 ſeqq.* De ipſius plantae genere contra AVICENNAM diſputat GALEOTTVS MARTIVS, *Nernienſis de Doctrina promiſcua Cap. X. p. 87.*

39) *in Odyſſeae loc. cit.*

40) *Ad Familiares Lib. VII. Epiſt. 25.*

41) *In Libro, quo docetur non poſſe ſuauiter viui, ſecundum* EPICVRI *decreta in Edit.* XYLANDRI *An.* MDCXX. *Tom. II. p. 1097.* Εἴ τις ἐστὶ καὶ ψυχῆς σαρδιανὸς γέλως, ἐστὶ ἐν τοῖς παραβιασμοῖς καὶ κλαυσιγέλωσι. *Si quis eſt animae Sardonius riſus, is eſt in violentis gaudiis, et fletu permixtis riſibus.*

42) *De Septimeſtri Partu §. 9. Edit.* LINDEN. *Tom. I. p. 174.*

43) *De Alimentor. Facultat. Cap. XXI. p. 58. in Edit.* MART. BOGDANI *Lut. MDLVIII.*

44) Ἑξάγιον pondus eſt, cuius recentiores Graeci mentionem faciunt, et habere dicitur tria ſcrupula. Vide DOMINICVM VICENTINVM *de Ponderibus et Menſuris Lib. II. Cap. 42* conf. H. STE-

eum risu funesto corripi, et SALERNITANI (45) ita canunt:

Confortare crocus narratur laetificando,
Et partes laxas firmare, hepar reparando.

IVLIVS etiam ALEXANDRINVS testatur, se vidisse Tridenti *praenobilem mulierem horarum trium circiter spatio, immodico, nullisque vnquam conuulsionis signis, risu concuti, eliciendorum forte mensium causa plus croco vsam.* (46) Praeter haec omnia etiam iis, quibus mens in febre laborat, aliquando risum cieri, vel ex HIPPOCRATE discitur, qui hanc insaniam tutiorem habet, quam eam, quae fit cum festinatione. (47) In morborum etiam historiis SILENVM proposuit, febre ardente ex male, vt videtur, affectis hypochondriis laborantem, cui tertia nocte fuere sermones multi, multi risus, cantusque, et qui tandem κωματώδης vndecimo obiit. (48) Maxime vero illud grauissimorum autorum monumentis testatum legimus, eos risu Sardonio exstingui, quibus septum transuersum percussum est. Hoc enim habet, et ARISTOTELES, (49) et PLINIVS, (50) qui illud ex praeliis et gladiatorum spectaculis didicerunt. Nec hic omittendus est HIPPOCRATIS locus de TYCHONE, cui, cum pectore, κατὰ τὸ διάφραγμα, vulneratus, et ei non omne telum ex hac sede, in quam illud penetrauerat, euulsum esset, obortus fuit γέλως θορυβώδης, risus tumultuosus.

STEPHANI *Thesaur. Gr. L. in Appendice p. 883.*

45) *Cap. XXXXVIIII.* Confer Doctissima *Commentaria* RENATI MOREAV *p. 537.*

46) *Salubr. Lib. XVIIII. C. 23. p. 438.*

47) *Aphor. Sect. VI. Aphor. 53.* Αἱ παραφροσύναι, αἱ μετὰ γέλωτος γινόμεναι, ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς ἐπισφαλέστεραι. Τὸ μετὰ σπουδῆς omnes interpretes reddunt cum studio aut cum seueritate. Nisi fallor, HIPPOCRATES festinationem significare voluit, quod genus delirii frequentissimum et plerumque exitiosum esse nouimus.

48) *In Epidem. Lib. I. Aeger secundus Tom. I. Edit.* LIND. *p. 673.* Confer HIERONYMI MERCVRIALIS *Comment. in Praelect. Pisanis p. 14.*

49) *De Partibus animalium Lib. III. Cap. X. T. I. p. 1014.*

50) *Lib. XI. Sect. LXXVII. Tom. I. p. 629.*

ſus. (51) Euidens huius riſus cauſa eſt, cum omnis ſolutus, tremulusque riſus, quem melius cachinnum, vocamus, concuſſo conuulſoque diaphragmate fiat. Ille itaque motus, qui re nobis grata atque iucunda, dicto factoue vrbano, falſo facetoque, a mente perceptis cietur, in diaphragmate etiam, aliisque pectoris, et faciei, muſculis, ſi hae partes grauiter affectae ſunt, neruique valentius intenduntur, inuitis, et contra voluntatem, concitari poterit. Sed vero, vt tandem ad lienem reuertar, a nemine, qui vnquam, inciſo cadauere, viſcerum poſitum ſcrutatus eſt, ignorari poteſt, lienem a diaphragmate oriri, et huic ligamento aliquo medio annexum eſſe. Si igitur lien intumuit, vel in eo inflammatio, corruptusque humor, eſt, ſeptum etiam offenditur, id quod quoque fieri, ſi ventriculus laborat, nouimus. Mole etiam tumidi durique lienis illud conuelli poteſt, quare iam ARETAEVS (52) cognouit, lienoſos crebrius tuſſire. Sanguinem ex arteriis accipit diaphragma, quae partim ex aorta, partim ex coeliaca, educuntur, quarum vltima in varia imi ventris viſcera, etiam in lienem deſinit. Si vero, indurato ſplene, ſanguini aditus in illud apertus non eſt, eum ad alias iuxta poſitas partes redundare neceſſe eſt. Hanc rem confirmare videntur ea, quae in canibus, quibus lien ademtus fuit, obſeruata ſunt, illos voraces, ſalaciores, eſſe, omniaque circummingere. Illud enim, quantum coniectura proſequi poſſumus, ideo incidit, quod in his animalibus plus ſanguinis ad ventriculum, genitalia, et renes, confluxit, quia, demto liene, ad hoc ei nullus aditus eſt. Quibus addendum, quod DRELINCVRTIVS (53) deprehendit, lienoſos, ſeu lienis tumore laborantes, in venerem eſſe propenſiores. Inueniuntur etiam non pauci, qui lienis atque hypochondriorum tumore aegri ſunt, qui ſaepe cupidines, perturbationes, omnesque affectiones, nec regere queunt,

51) *Epidem. Lib. V. Hiſtor. XXXIIII. Tom. I. p. 793. et Lib. VII. Hiſtor. LVIII. p. 877.*

52) *loc. cit.*

53) *loc. cit.*

queunt, nec continere, ſed aeque gaudio ac moerori intemperantius indulgent, mox muliebriter in lacrymas, mox intempeſtiue in maximos, ineptosque, riſus, effunduntur, et gemitus repente in cachinnos transferunt. Niſi igitur omnia, quae de riſu a liene prodiderunt veteres, vt vana, ſuperuacua, atque ridicula, repudiare velimus, ex his et neruorum, quibus omnis motus in corpore fit, συμπάθεια, cauſae inueniendae ſunt. Atqui de neruis, horumque prima origine, ex diuerſis cerebri atque medullae ſedibus, eorum ad totum corpus pertinentium implicatione, copulatione, diuiſione, gangliis, quanta ſunt, quae ignoramus? Sed ego vereor, ne, dum nimio ſtudio τὰς γελασίνας perſequor, ipſe γελοῖος aliis videar.

PROLVSIO XIII.

DE OSSIVM CONFORMATIONE ET COLORE

PANEGYRI

POLYCARPI FRIDERICI SCHACHERI

D. VIIII. MAII ANNO MDCCXXXVIII.

PRAEMISSA

Cum haud ita pridem de ossium epiphysibus quaedam commentatus essem, etiam nonnulla de horum ortu, et modo, quo in vtero materno inchoantur, post vero pedetentim augentur, perficiunturque, adieci. Ex illo tempore prodierunt Celeberrimi BERNARDI SIEGFRIED ALBINI *Icones Ossium foetus humani.* Opusculum, quod et magna, quam doctissimus vir adhibuit, accuratione, et tabularum politissima arte exscriptarum elegantia, longe praestat omnibus, quae de hoc argumento, omni tempore, prodita fuerunt. Inuenio autem, eum negare, ossa, antequam in pusillis embryonibus cartilaginosa fiunt, vnquam membranas esse, sed ab initio et mollitudine et habitu tenerum referre gelatum. Probat enim, illa teneriora ossium futurorum rudimenta, si ex iis omne fluidum calore difflatum sit, mox ita extabescere, vt vix quidquam reliquum sit, eaque etiam, si aqua fuerint demersa, paululumque agitata, penitus liquescere et mollitia diffluere. Haec vero, quamuis illud probent, tenellorum ossa, non ex eiusmodi membranis constare, quales in caeteris corporis adulti partibus, quae omnem perfectionem habent, reperiuntur, mallem tamen ossium primordia cum membranis comparare, quam cum coagulo, quale ex iure, vel lacte, obtinetur. Membrana enim est fibrarum, vasorumque, certo ordine dispositorum,

mollis

mollis flexilisque contextus, aliquando ſimplex, aliquando ex pluribus, ſibi incumbentibus, tunicis compoſitus, quod vltimum, vel in cauis illis corporis noſtri muſculis, ventriculo, inteſtinis, fellis folliculo, veſica, praeterea etiam in vaſis diuerſi generis, deprehenditur. Cur igitur membranis non illa exilia oſſium initia accenſeri poſſint, nulla ratio eſt, cum hoc omni dubio carere videatur, in his ipſis, etiamſi ſummam teneritudinem habentibus, eſſe ſtamina omnis generis fibrarum, vaſorumque, et horum contextum illi, quem membranae habent, ſimilem. Niſi enim haec, quae omnem aciem effugiunt, mente nobis concipiamus, quomodo illarum partium vitam, incrementumque, intelligere poſſimus, me haud videre profiteor. Nec oſſium nonnullorum, v. g. fiſtulatorum, craſſities illud vetat, quae docet, ea in embryone ex pluribus membranulis fuiſſe compoſita. Rem enim perfecta adultorum oſſa confirmant, quae cum ex ſibi inhaerentibus lamellis coagmentata ſint, oſtendunt, olim illas laminas, quamdiu molli natura, cereaque fuerunt, vel membranas fuiſſe, vel membranis ita aſſimiles, vt cum nulla corporis parte magis comparari poſſint. Certe iſtae oſſeae lamellae, quam tenerae ſint, artificioſiſſimam fabricam, et admirabilem fiſtularum, varium ſuccum trahentium, implicationem habere debent, et ideo tantum ab humore gelato, et per calorem, aut frigus, coacto, denſatoque, differunt, quantum rude ac informe metallum a fabricata et certis vſibus accommodata machina. Quae autem ſagaciſſimus Anatomicus caeteroquin de oſſium incremento, et quam pedetentim ac gradatim induunt, duritie, de eorumque appendicibus habet, ſunt egregia, et adeo dilucida, et omnibus, quae ab aliis propoſita ſunt, meliora, vt haud quidquam deſiderari poſſe videatur. (1)

1) Haec cum iam literis conſignata eſſent, adfertur ex Britannia nouus liber, cui titulus: *Human Oſteogeny explained in two lectures, read in the Anatomical Theatre of the Surgeons of London, Iuly the firſt and ſecond anno 1731. in which not only the beginning and gradual increaſſe of the bones of human foetuſes are deſcribed; but alſo the nature of oſſification is conſidered, and the general notion,*

That

Quantum vero oſſa duritie diſcrepant, tantum etiam differunt colore. Quamdiu enim in his vita eſt, ſeu vitalis ſuccus per arterias in ea diuiditur, per venas autem reducitur, illa infantibus rubella ſunt, et quaſi ſanguinolenta. Nemo enim ignorat, huic aetati longe maiorem numerum vaſorum eſſe, ac natu grandioribus, quorum vaſorum plura poſtmodum denſantur, dum exiles fiſtulae, olim peruiae, ab aliis paulo maioribus ad latus poſitis ita premuntur, vt penitus coaleſcant, et omnis tranſitus auferatur. Adultorum oſſibus color eſt, ex albo quaſi coeruleus, quippe quae, magis denſata, pauciora habent, ſanguine turgida, vaſa. Quia vero eiusdem corporis oſſa multum inter ſe diſtant, et plane diuerſa ſunt, neceſſe eſt, ea etiam diſparis coloris eſſe; Quare alium habent dura, ac valentiora, alium rara, ac cauernoſa, medullaque plena.

That all bones are formed from cartilages, is demonſtrated to be a miſtake. By Robert NESBITT, *M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians, and of the Royal Society, and Reader of Anatomy at Surgeons Hall.* Autor longe recedit ab opinione, quam hactenus fere omnes de oſſium initiis habuerunt. Putat enim, nec membranas in cartilagines, nec has in oſſa, verti, ſeu, vt plures credunt, durari. Rudimenta potius omnium oſſium etiam a prima origine eſſe duplicis generis, alia nimirum membranacea, alia vero cartilaginoſa. Prioribus adnumerat, inter caetera, lata illa, ac tenuata, caluariae oſſa, de quibus probat, ea in tenerioribus abortibus, mox primis poſt conceptum menſibus excuſſis, nihil cartilaginoſi habere, ſed eſſe membranas. Ad alterum vero genus refert inter reliqua vertebras, oſſa, ilium, et alia, de quibus exiſtimat, quod ſint a primis temporibus mox cartilaginoſa. Has vero cartilagines non prius, quam vltimis menſibus, aliquid oſſei habere oſtendit. Poſtmodum vero os per omnes pubertatis annos, deleta ſenſim ac ſenſim cartilagine, increſcere. Hoc non ita fieri, vt id ipſum, quod cartilago fuit, in os euadat, ſed in cartilagines, aeque ac membranas vaſa duci, et per haec cum ſanguine ſuccum terreſtrem permanare, ſeu futurorum oſſium materiam. Hanc terram, quam cretaceam vocat, in ſanguine inueniri, et in vaſis paulo maioribus cartilaginum ad ſenſum demonſtrari poſſe probat. His igitur particulis terreſtribus, ſeu tot minimis oſſiculis in cartilagines ac membranas depoſitis, ibi auctis, ſibique adunatis et quieſcentibus, (ad quam rem etiam multum valere dicitur naturalis illa attractio) os perfectum fieri, membranas vero et cartilagines, quae prius oſſium futurorum quaſi formas exhibuerant, multum premi, tenuari, ac tandem prorſus obliterari. De his, quae ingenioſe profert autor, quo minus, quid ſentiam, nunc addam, prohibet temporis anguſtia, et ſumma, qua haec ſcribenda fuerunt, feſtinatio. Omittere haec, quae forte oblata ſunt, ideo nolui, vt videant harum rerum ſtudioſi, nec his meam de membranis, a gelato diuerſis, ſententiam valde infirmari.

plena. Si autem, id quod nemo ignorat, quem vnquam offium vitiis mederi oportuit, offi cuiquam iniuria acceffit, alienus etiam color illi infidet. Et haec offium decoloratio inter figna eft vitiorum, quibus illa infeftantur, atque chirurgis morbi naturam, cauſamque, imo et exitum, plerumque ſignificat. Os enim, ſi arteriae, ad illud pertinentes, obturantur, aut reſcinduntur, orta inanitate, emoritur, et ideo aridum fit, albicans, atque calci maceratae ſimile. Si quieſcens in offe medulla perrumpit, os pingue eſt, et flaueſcens. Quando autem vitium altius deſcendit, vel, ſi intus ortum ad exteriorem partem tranſiit, et medulloſus ſuccus prorſus computruit, os nigreſcit, et naturalis eius color in plumbeum et atrum mutatur. Hoc etiam incidit, ſi grauiora vlcera fiſtulaeque offi ſupernatae ſunt, hasque iam, vel vetuſtas, vel ipſe cancer, occupauit. Coloris etiam in offibus mutatio fieri poteſt a ſuccis, quibus aluntur, ſi illi non veri ſunt, ſed vitioſi, vel alieno humore mixti. Eorum enim offa, qui regio morbo laborant, ſi is morbus penitus inſedit, bilioſo lurore decolorari, plurium obſeruationibus diſcitur. Atque THEODORVS KERCKRINGIVS (2) in foetu, quem icterica enixa fuerat, non ſolum omnem ſanguinem felle foedatum, ſed offa etiam eodem humore ita imbuta, inuenit, ac ſi luteo colore arte eſſent infecta. Sed vero in his omne corpus tali colore vitiatum eſt; Illud autem nouum videtur, et mirabile, ex alimento, ore ſumpto, rubrum colorem ducere ſola offa, non vero caeteras corporis partes. (3) Hoc enim ita fieri poſſe, me per literas edocuit Vir Iuuenis Clariſſimus et doctiſſimus IOH. HENRICVS KESSELRINGIVS, qui itinere, quod per Belgium, Britanniam Galliamque emenſus eſt, in omnium rerum, quae ad

 artem

2) *In Spicilegio Anatomico Obſ. LVII. p. 118.*

3) Offa etiam in quibusdam animalibus alium colorem habere tradit FRANCISCVS NICHOLS *in Compendio Anatomico Oeconomico*, quod *Londini hoc ipſo anno* prodiit *Praelect. V. p. 7.* Dicitur enim in quodam genere pulli Indici offa eſſe nigra, in aue Amadauadaea flaueſcentia, in piſce, qui acus dicitur, poſt coctionem viridantia. Hunc autorem, et quae poſſidere dicitur, praeparata, ceraque repleta, offa, multis laudibus extollit ſupra citatus ROBERTVS NESBITT.

artem medicam pertinent, notitia egregie profecit. Is enim ſcribit, ſe apud FRANCISCVM NICHOLS, Oxonienſem Profeſſorem, et alios, vidiſſe oſſa animalium prorſus rubicunda. (4) Sues, quibus illa nota tinctoria radix, Rubia vulgo dicta, poſtquam lanis inficiendis inſeruierat, inter ſarraginem erat obiecta, ſi hoc paſtu per aliquod tempus ſaginatae, et poſt iugulatae, fuerint, oſſa habuiſſe rubra; et hoc caſu innotuiſſe anatomicis, Oſſa, quo duriora ſint, eo exuberantiorem ducere colorem, et ideo dentes prae omnibus reliquis nouo hoc colore rubere, ſed ea tantum parte, qua maxillae haerent, et membrana continentur, quam radicem vocamus; Alteri enim prominentiori nudaeque parti, naturalem, niueum, ſplendentemque, manere candorem. Dentes vero ſic diſcolores fieri, et qui adſpectu aliquam admirationem contuentibus iniicere poſſint. Aliis literis, quas iterum ad me dedit laudatiſſimus vir, accepi, iam Gallos rem imitatos eſſe, et MORANDVM, Clarum inter Pariſienſes Chirurgum, Academiae Regiae, cuius Sodalis eſt, ſceletum galli Indici ſic rubefactum obtuliſſe. Id quod vero prae omnibus diligenti obſeruatione dignum videtur, dum oſſa colorantur, haud quidquam mutantur aliae, vicinaeque, partes, nec adeps, nec, quae in oſſibus eſt, medulla. Etiam omittendum non eſt, rem haud ſuccedere, niſi in augeſcentibus et pubeſcentibus animalibus, quorum oſſa, vt videtur, molliora ſunt, et fiſtulas habent patentiores, recipiendis his ſuccis magis idoneas. His vero experimentis,

4) Nullam mentionem NICHOLS facit c. l. huius, quod expoſui, experimenti. Plura alia vero noua habet v. g. Ligamenta tria veſicae delineat, quae veſicam ad vmbilicum attollere, et actione hac alui excretionem iuuare dicuntur. Haec ligamenta, quae nulla alia eſſe videntur, quam, quae ex arteriis vmbilicalibus et vracho relinquuntur, laxari exiſtimat, et vmbilicum deprimi actione muſculorum pyramidalium, vt poſt, contractis veſicae fibris, humor ex hac exprimi poſſit. Actionem muſculorum, qui in aure interna ſunt, explicat. Praeſertim alia lege, ſanguinis circulum motumque fieri, in corpore tum adulto, tum foetu, exiſtimat, et in adulto ſanguinem moueri ſex motibus alternis auricularum ventriculorum, arteriarum contendit. Venis etiam aliquam pulſationem tribuit: et quae ſunt alia, quae tamen partim maiori luce, partim etiam probatione, egere videntur, et de quibus alia occaſione diſſerendum erit.

mentis, praeterquam quod pulchra ſunt, et aliquid iucunditatis habent, forte etiam artis noſtrae et naturalis ſcientiae cultores ad alia pernoſcenda ducentur, quae huc vsque obſcura delituerunt. Lux enim quaedam adferri poterit illi quaeſtioni diuerſarum, quae in corpore fiunt, ſecretionum, quae ſemper difficilis et magnis controuerſiis implicita fuit. Rubia, ſi principia, ex quibus compoſita eſt, rimari velimus, terra potiſſimum abundare videtur, cum aliquantum adſtringat. Oſſium vero omni humore priuatorum materia crudior terra eſt, quam illa, ſeu conueniens alimentum ex perlabentibus ſuccis ſibi adſciſcunt. Etiam alio, ex plantis depromto, colore oſſa infici poſſe, non adeo alienum, nec impoſſibile, videtur. Nam et notus ille Indicus color, et Glaſtum, ſeu Iſatis, indigena herba, fere eandem vim habent, quam illa noſtra radicula, et illarum ſucci coeruleum, colorem impertiri poſſent oſſibus. Extemporali hac ſcriptione ideo haec proponere voluit, vt id, quod et ego molior, alii, qui in his rebus exquirendis curioſiores ſunt, ad haec, et ſimilia, tentanda incitentur.

PRO-

PROLVSIO XIIII.

DE MOTV LIGAMENTI CILIARIS IN OCVLO

PANEGYRI

GEORGII AVGVSTI LANGGVTH

D. XVI. MAII CIↃ IↃ CC XXXVIII.

PRAEMISSA.

Diuina intelligensque natura, ad ſummam illam, quam in oculorum fabricatione adhibuit, ſolertiam, adiunxit etiam illam prouidentiam, vt oculi lubrici eſſent, et mobiles, et non ſolum facile ad adſpectum conuerti poſſent, ſed etiam ita accommodari rebus videndis, vt aciem aeque in eas, quae in proximo ſunt, et oculos quaſi petunt, et feriunt, conuertamus, ſed etiam in illas, quae remotae ſunt, et maiori ſpatio diſtant. Si autem oculis res quasdam adſpicere volumus, ante nos eadem linea, diſpari vero diſtantia, poſitas, ſentimus hoc ſine motu aliquo haud fieri, ſed oculos ab vna re deiiciendos eſſe, et in alteram coniiciendos. Haec vero oculorum motio, quam in ſe ipſo experiri quilibet poteſt, quibus organis fiat, non noua controuerſia eſt, ſed olim iam agitata, his vero temporibus renouata. De eo potiſſimum diſceptatur inter auctores, num ille motus aliqua parte a ligamento ciliari proficiſcatur. Ne in verborum ambiguitatem incidam, huius diſputationis exordium ab ipſa nominum expoſitione repetendum eſſe ſentio. *Ligamentum* dicta fuit illa oculi pars, quia candidulae eius fibrae iis, quas alia ligamenta habent, non abſimiles videntur. *Ciliare* vero, quia fibrae, quae ex ligamento poſterius educuntur, et quas proceſſus ciliares vocant, pectinatim poſitae ſunt, et ad ſimilitudinem illorum pilorum, qui in pal-

Tom. II. p. 112.



Schönemann del. et sc.



palpebris ſunt, ſeu ciliorum, paululum inflexae. Eſt enim circulus quidam ſubalbidus, in parte anteriori oculi, et quidem in tunica choroidea conſpicuus, cui hoc ligamenti ciliaris nomen ab anatomicis datum eſt. Tunica enim choroidea ex ea parte in duas lamellas, ſeu tunicas, diuiditur. Prior, dum in mediam oculi partem inclinatur, perforata eſt, ſeu pupulam habet, et dicitur anatomicis vuea. Sunt tamen, qui malunt eam, quod quaſi rupta eſt, rhagoidem vocare, et iterum in duas tenuiſſimas tuniculas diuidere, quarum anteriori, quia multorum colorum eſt, iridis, poſteriori vero vueae, nomen imponunt. A dicti vero circuli, ſeu ligamenti, poſteriori ora, exſurgunt aliae fibrae arcuatae, quae ſuper exteriorem anterioremque vitrei partem feruntur, et lenti criſtallinae, ſeu potius tenerrimae, qua haec comprehenditur, tunicae inſeruntur. De harum enim fibrarum, ſeu proceſſuum ciliarium naturali actione potiſſimum controuertitur. Illud enim omni dubio caret, rhagoidem magna celeritate moueri, et pupillam ad lucis varietatem, diuerſamque rerum videndarum diſtantiam, vel ampliari, vel arctari. Quamuis vero illa anterior tunica, ſeu vuea, hanc mouendi poteſtatem habeat, plures tamen omnem motum poſterioribus fibris, ſeu proceſſibus ciliaribus, denegant. Nam id, quod VOPISCVS FORTVNATVS PLEMPIVS (1) me docuit, iam GALENVS (2) cognouiſſe videtur, his fibris humorem vitreum contineri, atque, quo minus is in anteriorem oculi partem prorumpat, impediri. Magnus vero Mathematicus, IOH. KEPLERVS, (3) primus fuiſſe videtur, qui iis, quas muſculos vocat, aliquem motum praeſtari ad videndum neceſſarium propoſuit. Exiſtimauit vero fibrarum harum contractione adduci ſcleroticam, et ſic oculum oblongum fieri. Aſt RENATVS CARTESIVS (4) diſertius prodidit, horum proceſſuum actione moueri lentem;

1) *in Ophthalmographia L. III. Cap. VIIII.*

2) *de Vſu Partium L. X. Cap. II. T. IIII. Edit.* CHARTER. *p. 531. D.*

3) *in Dioptrice Propoſit. LXIIII. p. 27.*

4) *in Dioptr. Cap. III. p. 94.*

lentem; cum quo faciunt plures recentiores, inter quos iam GVILIELMVM BRIGGSIVM (5) et FRIDERICVM RVYSCHIVM (6) nomino. Dantur nihilominus non pauci, qui huic ſententiae refragantur, inter quos inuenio GABRIELEM PHILIPPVM DE LA HIRE (7) et IACOBVM HOVIVM, (8) qui exiſtimant, hos proceſſus ciliares conſtare ex meris vaſculis, pellucidum ſuccum vehentibus. His temporibus vero fibras motorias multis, nec obſcuris, rationibus probauit GVILIELMVS PORTERFIELD, Edinburgenſis Medicus, (9) qui, cum antea (10) illos oculorum motus perſecutus eſſet, qui externis muſculis cientur, etiam de internarum partium rhagoidis potiſſimum tunicae, et noſtri ligamenti actione plura commentatus eſt. Iterum huic contradixit ille, ocularia arte famoſus, IOHANNES TAYLOR, (11) quem artis huius oſtentatio, et portentoſa ſcientiae venditatio, aeque, ac inconſiderata in medendo temeritas, in cordatiorum fere contemptionem adduxit. Is enim, quamuis concedat, ligamento hoc lentem in ſua ſede firmari, tamen negat, has fibras quidquam ad lentis motum conferre poſſe. Atque hic ipſe TAYLOR in plurimis ſecutus eſſe videtur Medicum et Academicum Pariſienſem doctiſſimum, FRANCISCVM PETITVM, (12) qui has fibras, propter ſummam, quam habent, teneritudinem, nulli motui idoneas eſſe cenſet, et de hac re ſingularem commentationem pollicetur. (13) PETITVS etiam cum HOVIO et aliis oſtendit, proceſſus ciliares vaſcula eſſe, et per haec humorem in tunicam deſtillare, qua lens comprehenditur, et quam eius cyſtidem

5) *in Ophthalmographia p. 54.*

6) *in Epiſt. problem. XIII. p. 15.*

7) *Diſſertation des differens accidens de la vüe dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences depuis MDCLXVI. jusque à MDCXCVIIII. T. VIIII. p. 621.*

8) *de Circulari Humorum motu in oculis p. 44.*

9) *in The Medical Eſſays published by a Society in Edinburgh Vol. IIII. p. 24.*

10) *l. c. Vol. III. Art. XII. p. 160.*

11) in Libro, cui titulus eſt, *Le Mechaniſme, ou le nouveau traité de l'Anatomie du globe de l'oeil, avec l'uſage de ſes differentes parties et de celles, qui lui ſont contigües à Paris MDCCXXXVIII.* Acerbior in hunc cenſura ſcripta eſt, ſub nomine ficto IOVIALIS, Medici Biturici, in Epiſtola ad EMANVELEM KOENIGIVM, Profeſſorem Baſilienſem, data.

12) *vid. Hiſt. Acad. Reg. Scient. MDCCXXX. p. 635.*

13) *l. c. p. 626.*

dem vocat. Nouum tamen, et huc vsque, quantum noui, nondum cognitam ſcaturiginem huius humoris, qui in cyſtide eſt, et quo lens alitur, inueniſſe ſibi viſus eſt TAYLOR. Anatomici norunt, in meditullio nerui optici arteriolam inueniri, quae, inter medullares huius fibras progreſſa, poſt per interiorem oculum, maxime per retinam, diuiditur. (14) Hanc arteriam ferri per vitreum ad lentis cyſtidem, atque ex ea humorem venire, qui inter lentem et huius inuolucrum deprehenditur, TAYLOR exiſtimat. Addit, ſe hoc vidiſſe in foetus oculo, impletis materia ceroſa arteriis. Fidem ego his detrahere nolo, rei veritas ab aliis, qui in anatome exercitatiores ſunt, limabitur. Vt ad ligamentum ciliare reuertar, etiam inter auctores, qui, eo aliquem motum praeſtari, concedunt, diſſenſus eſt. Nam, vt ſupra retuli, fuerunt, inter quos KEPLERVS et PLEMPIVS eminent, qui ſcleroticam hoc motu adduci, et ſic oculum in anteriora porrigi, ac quaſi oblongum reddi, opinantur. Alii crediderunt, ipſam lentem extenuari, et depreſſiorem reddi, alii tandem vtrumque negant, et rectius exiſtimant, cyſtidem, in qua libera quaſi fluctuat lens, hoc ligamento, huiusque arcuatis fibris, verſus anteriora moueri, ſimul vero etiam premi fibrarum contractione anteriorem et prominentem vitrei oram, qua lentem circumdatam eſſe nouimus. Vitrei autem haec natura eſt, vt preſſus aliquantum renitatur, ſeu, vt vocant, elaſticus ſit, quare, dum ſic eius anterior ora comprimitur, media pars, et cum hac ipſa lens, antrorſum propellitur, et a retina dimouetur. Qui ſecus ſentiunt, et ligamento omnem motum negant, potiſſimum oſtendere volunt, proceſſus ciliares nil habere, praeter vaſcula, eosque adeo teneros eſſe, vt, ſi muſculi eſſent, ad nullam

14) vid. WINSLOVII *Expoſ. Anat. T. IIII. Part. II. §. 298.* Haec res, et quia diſſecta arteriola ſe retrahit, fefelliſſe videtur GALENVM, qui multis oſtendere voluit, neruum opticum foramen habere, vide eius, vel, quisquis auctor fuerit, *Libr. de Oculis Cap. III. in Edit. Oper. Lat. a* FROBENIO *Anno MDLXI. editam Claſſe VII. p. 369.* Idem EX GALENO repetit BARTHOLOMAEVS EVSTACHIVS, *in Examine Oſſium p. 227. Edit. Venet.* qui etiam foramen delineauit *in Tab. Anat. Tab. XXXX. fig. 3.*

lam motionem forent ſatis opportuni. Si, quid ego de his ſentiam, expromere debeo, et illos errare opinor, qui proceſſus ciliares nihil, praeter vaſcula, eſſe contendunt, aeque ac eos, qui eius muſculis valentiorem motum fieri poſſe, ſibi, et aliis, perſuadent. Notum enim eſt, magnam neruorum in minimas fibras diuiſorum vim perrumpere ſcleroticam, qui ex minori ganglio educuntur, quod ex tertii et quinti paris neruulis coaleſcit. His vero, quia nullum ſenſum praeſtare poſſunt, nullus vſus eſſet, niſi aliquem motum rhagoidi et huic ligamento impertirentur. Nollem enim ego ad eam MARIOTTI (15) opinionem delabi, ſenſum non in retina, ſed in choroidea, fieri, quamuis TAYLOR illam centum rationibus iterum firmare ſtuduerit. (16) Tempus, propoſitumque, vetant, quo minus iam in hanc controuerſiam deſcendere poſſim, perſuaſum mihi eſt, cum, de quo omnes conſentiunt, hi nerui vueae motum adferant, eos etiam ſimilem in proceſſibus ciliaribus poſſe ciere. Imo in vtraque parte fibrarum motoriarum actione, ex minoribus fiſtulis, ad latus poſitis, ſuccus ille pellucidus melius exprimi poterit. Lubens enim concedo, adeſſe hic illius ſucci, quibus ſic dictis humoribus oculi proſpiciuntur, fontes. Et hoc etiam largior, ſi oculus diuerſis rerum videndarum diſtantiis paulo validiori motu accommodari debeat, hoc fibras tam raris et infirmis fieri non poſſe, ſed opus eſſe exterioribus muſculis, quorum actione ſclerotica in varium ſenſum premitur, oculus figuratur, et lens a retina, vel diducitur, vel ad hanc mouetur. Nam et de horum muſculorum motu iam aliter ſentiunt anatomici, poſtquam eos accuratiori diligentia WINSLOVIVS (17) et PORTERFIELD (18) perſecuti ſunt: At vero ad componendum oculum non ſemper magno validoque motu opus eſt, ſed ſaepe minimo, et fere inſenſibili. Quo minus vero has minimas oculi motiones huius ligamenti actioni, qua lens tollitur, vitreus premitur, adſcri-

15) vide *les Oeuvres de* MARIOTTE *p. 495.*

16) *l. c. Cap. XXVI. p. 209.*

17) *in Comment. A. R. Sc. MDCCXXI. p. 403.*

18) *l. c. Vol. III.*

ſcribam, nihil prohibere videtur. Cognitio harum rerum ideo neceſſaria eſt, cum lucem adferat medentibus, in variis oculorum vitiis, et noſcendis, et curandis. Vt enim myopes, ſenesque, quorum priores non, niſi proxime oculis admota, vltimi non, niſi remota, contueri poſſunt, iam non attingam, quippe ad quorum viſum ligamenti ciliaris nimium, deficiensque, robur etiam aliquid facere poteſt; ſaltem illud nunc addo, intelligi poſſe, cur ii, qui vertiginem patiuntur, res, quae ipſis obuerſantur, multiplicatas videant. Nam hoc fieri poteſt, ſi illae motoriae ligamenti fibrae et rhagoidis muſculi conuelluntur. Hoc enim ſi incidit, diuerſa retinae loca iterato ſenſu adficiuntur, quod hae tunicae, ipſaque lens conuulſis iſtis fibris, magna celeritate agitantur, et quaſi tremore concutiuntur, quem multiplicatum ſenſum retina non tam ſubito amittere poteſt. Quemadmodum enim, ſi craſſis tenebris candens carbo, vel quoduis corpus ignitum, celerius mouetur, id lineam deſcribit, non puncta, quia imago retinae impreſſa tam celeriter haud deletur, ac illud loco ſuo mouetur. Sic etiam in hoc caſu ex ſimili cauſa, quae ante oculos ſunt, multiplicata cernuntur, et quaſi in gyrum rotata. Qui etiam oculorum aciem incolumem tueri volunt, eos cauere decet ſedulo, ne oculos in eandem rem diutius intendant. Omnes enim ſentimus, viſum continuo oculorum obtutu fatigari, id quod fit, quia fibrae motoriae tali, quae ſine remiſſione eſt, intentione, tandem rigidae fiunt, et naturalem ſuam agilitatem perdunt. Praeter haec omnia, quia eiusmodi obtutu lens vueae valide adprimitur, multum impeditur ſuccus, qui per arachnoideam tunicam perlabitur, et lentem alit. Haec res vero occaſionem dare poteſt, vt lens indureſcat, quae poſt, opaca facta, ſe interiori potentiae opponit. (19) Iam enim, id quod quondam valde controuerſum fuit, probatum confectumque eſſe reor, nullam ſuffuſionis, ſeu cataractae, ſedem eſſe, niſi in lente, et, qua illa veſtitur, membrana. Ob hanc igitur cauſam

 aciem

19) *vide de hac re* JOHN TAYLORS *Treatiſe on the diſeaſes of the Cryſtalline Humour of a human Eye, London, MDCCXXXVI. p. 18.*

aciem ſaepe hebetem habent, ſuffuſione, aliisque morbis, laborant ii, qui immoderatius ſe in literas abdunt, et lucubrationibus oculos laedunt, vel qui fixis continue oculis, opere caelato ſculptilique ſubtiliori faciundo vitam tolerant, vel ſe in illa minori pictura exercent, quae variarum rerum formas ſummae tenuitatis punctis deſcribit; vt foeminas taceam, quae quotidiana aſſiduitate lintea conſuunt, vel acu pingunt. His et aliis optime conſulitur, ſi a rebus, quas acrioribus oculis intueri oportet, ſubinde aciem in alia flectunt, illamque, quo ſe remittat, et iterum reficiantur oculorum lumina, in remotiora loca paulatim protendunt.



PROLVSIO XV.

DE

AQVA FONTANA SALVBRIORI

CAETERIS

PANEGYRI

IOHANNIS CHRISTOPHORI HOMEROCH

D. XXX. DECEMBR. CIↃ IↃCCXXXVIII.

PRAEMISSA.

Sapientiſſimum conſilium HIPPOCRATES iis dedit, qui ignotas vrbes adeunt, vt ciuium ſanitatem tueantur, morbiſque medeantur. His enim autor eſt venerandus artis noſtrae parens, vt, cum eo peruenerint, non ſolum locorum ſitum, coelum, ventosque, ſed etiam aquas, harumque naturam, ſtudioſius requirant. Sunt certe egregia, quae is in aureo libello, *περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων*, de hoc argumento nobis reliquit, et quae, vt probabile eſt, in itineribus, artis cauſa ſuſceptis, crebra animaduerſione annotauerat. De aquarum inprimis ſalubritate etiam a ſummis Principibus non raro medicorum conſilia requiruntur, et non ſine voluptate illud legi, quod de aqua, pane, varioque vino, quo Piſani et Florentini vtuntur, ad POTENTISSIMVM SICILIARVM REGEM, CAROLVM, cum in Etruriam veniſſet, literis perſcripſit doctiſſimus Medicus, IOSEPHVS DEL PAPA. (1) Voluptatem enim ex omnibus capimus, quae ad ſalutem cuſtodiendam OPTIMI PRINCIPIS facere poſſunt, FAMILIAE AVGVSTAE ſumma neceſſitudine iuncti. Paulo ſubtilior etiam obſeruatio de aquis, et illarum ſalu-

1) V. *Trattati Varii fatti in diverſe occaſioni dal Dottore* GIVSEPPE DEL PAPA, Primo Medico dell Altezza Reale del Sereniſſ. Gran Duca di Toſcana, *in Firenze, MDCCXXXIIII. No. XII. et XIII. pag. 181 ſqq.*

ſalubritate, his temporibus neceſſaria eſt, cum in noſtros quoque mores inductum ſit, vt ii, qui vrbanioris notae homines videri volunt, aquae potum maxime probent, firmiores vero ex frumento potiones repudient, et non, niſi agreſtibus hominibus, illiberali labore defungentibus, aptas eſſe exiſtiment: Qui, ſi potum, cui adſueti ſunt, propter valetudinis curam mutant, et imbecilli aquam, quam CELSVS (2) imbecilliſſimam vocat, aliis potionibus praeferunt, laudandi ſunt, cum medentibus compertum ſit, plures, qui infirmi, literarumque cupidi, plus cibi adſumunt, quam concoquunt, nec corpus, vt decet, exercent, potum ferre non poſſe, qui acore fermentatur. Nemo autem ignorat, hoc accidere omni ex frumento facto, ſi ventriculo excipitur, in quo cibus coaceſcit. Omnibus itaque, quibus ſtomachus crebrius exaeſtuat, et vel acore, vel bile, vitioſus eſt, vtilior eſt aqua, potui data, quia per dilutiſſimas leuesque potiones noua materia miſcetur corruptae. Imo non paucis, quibus ventriculus cibi tenax non eſt, ſed reſolutus, aqua plus, quam vinum, ad comprimendum ſtomachum poteſt. Illa etiam, ſi coquitur, excipiuntur ſimplicia, et prae aliis vegetabilia, quae varias facultates habent, et ſaepe plus proficiunt, quam magnae artis compoſitiones. Haud itaque inficiari volumus, non paucos ſalutariter vti aqua, quamuis etiam illud perſuaſum ſit, multos nimio vrbanitatis deſiderio ὑδροπότας eſſe. Qui, cum hoc nouo more faciant, et quadam condecentiae affectatione, cum valetudinis diſpendio ſe aqua ingurgitent, cordatiorum deriſum vix effugere poſſunt. Atque his aeque, ac Poetis, aqua interdicendum eſt, quibus, ſi vino abſtinent, et aquam bibunt, metuendum videtur, ne frigida carmina faciant. (3) Nec tamen propter aquae

2) *L. II. Cap. XVIII.*

3) Contrariam viam ingreſſi ſunt CRATINVS, Athenienſis Comicus, et AESCHYLVS. De priori proſtat NICERATI Epigramma in *Anthologia* H. STEPHANI *Anno MDLXVI. edita L. I. Cap. 59. pag. 83.*

Ὀινός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων, καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.
Ταῦτ' ἔλεγεν Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὄδωδεν πίθου.
Τοι γὰρ ὑπὸ ςεφάνοις μέγας ἔβρυεν, εἶχε δὲ κισσῷ
μέτωπον, ὥσπερ καὶ σὺ, κεκροκωμένον.

Ita

aquae potores tantum aquarum ſalubritas exoptanda eſt, ſed propter omnes, cum illa nemo carere poſſit. Neque enim maius eſt, neque verius, quam id, quod PINDARVS (4) olim cecinit

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

cum nullius fere rei maior ad omnem vitae vſum neceſſitas ſit, quam aquae. Ea quippe cibus, quo corpus noſtrum, omnisque vita, ſuſtentatur, molliendus extenuanduſque eſt, quo is confectus per corpus diuidi poſſit. Imo, ne quaedam longius arceſſere videar, panis bonitas aliqua parte aquae debetur, id quod eos non fugit, qui panificiorum gnari ſunt. Si enim farinis bonis et ſubtili cribro decuſſis adiicitur aqua blanda, leuis, et quae facile coquitur, (5) omniaque recte pinſuntur, ſubigunturque, panis coquitur rarus, leuis, et qui ſpongioſa tenuitate imbecillis, gratus, eſt. Pariſii ideo pani, qui in vrbe coquitur, illum, tanquam ſalubriorem et ſuauiorem, praeferunt, quem ex vicino pago, Gonetio, piſtores adferunt, quippe qui meliori aqua ſubactus eſt. (6) Quia vero nobis cum vrbanis, imbecilliſque, potiſſimum res eſt, quorum

Ita transtulit ANDREAS RIVINVS *in Florilegio Graeco-Latino Epigrammatum Veterum Anno MDCLI. edito, L. I. Cent. V. pag. 847.*

Pegaſus eſt vinum celer inde eſt gratia vati:
Pulcra ſed haud paries carmina, potor aquae.
Iſta Cratinus ait, nec vtrem, Dionyſe, modo vnum
Spirabat, totam ſeriam olebat homo.
Florida abundabat domus illius vndique ſertis;
Fronde hedera, ceu tu, fronde recinctus erat.

Hoc Latinorum Carminum Princeps, HORATIVS, *L. I. Epiſt. XVIIII.* ita expreſſit:

Priſco ſi credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſunt,
Quae ſcribuntur aquae potoribus etc.

de CRATINO vide ARISTOPHANIS *Equites v. 399.* et SVIDAM v. Κρατῖνος et alibi v. Κώδιον. De AESCHYLO teſtatur PLVTARCHVS *Sympoſiac. L. VII. Qu. X. T. II. p. 715. Edit.* XYLANDRI, eum, bene potum, ſcripſiſſe Tragoedias.

4) Ὀλυμπ. *Ode I.*

5) ὕδατα ἔψειν ἄριστα HIPPOCRATES *c. l. §. XVI. T. I. Edit.* LIND. *pag. 337.*

6) *Le Pain de Goneſſe.* Vide RENATI MOREAV *Comment. in Scholam Salern. Cap. XVII. p. 273.*

rum infirmitatem offenſis magis obnoxiam eſſe nouimus, horum cauſa vel ideo aquarum ſalubritas optanda videtur, quia hoc tempore omnes calda inundamur. Loquor de aqua decocta, et herbae Theae, et fructibus Coffee, infuſa, quarum vltima apud nos cum aquis comparari poteris, quae olim ex Delphico fonte, Coſſotide, hauſtae, τὰς γυναῖκας μαντικὰς ἐποίησαν. (7) Quam ob rem et propter quotidianum aquae vſum, et ſummam eius ad vitam neceſſitatem, olim prudentiſſimis rerum publicarum moderatoribus antiquiſſima cura fuit, vt vrbibus non ſolum aquarum vbertas eſſet, ſed, vt etiam in eas perducerentur ſalubriores, et incontaminata ſinceritate gratae. Veteres enim in exquirenda aquarum bonitate longe diligentiores fuiſſe recentioribus, vel ex laudato HIPPOCRATIS libro diſcimus. Vetuſtiſſimus Hiſtoricorum, HERODOTVS, de Perſarum Regibus prodidit, eos non aliam aquam bibere ſolitos ſuiſſe, quam ex Choaſpe, fluuio Suſam praeterfluente, et hanc aquam decoctam in argenteis vaſis ſemper comitatam eſſe Regem in itineribus. (8) Maximi fecerunt veteres Romani Marciam aquam, ex Tiburtinis montibus in vrbem ductam, id quod ex TIBVLLO, (9) PLINIO, (10) et FRONTINO, (11) diſcitur. Etiam aliae fuerunt, quae ſecundas poſt Marciam tenuerunt, imo huic

7) Vide PAVSANIAM *in Deſcript. Graeciae L. X. Cap. XXIIII. p. 859.*

8) HERODOTVS *L. I. cap. 188. p. 76.*

9) *L. III. Eleg. VI. v. 58.*
Temperet annoſum Marcia lympha merum.

10) *Hiſt. Nat. L. XXXI. Cap. III. T. II. Edit.* HARD. *p. 553. Clariſſima aquarum omnium in toto orbe frigoris ſalubritatisque palma, praeconio vrbis Marcia eſt, inter reliqua Deum munere vrbi tributa.*

11) SEXTVS IVLIVS FRONTINVS *de Aquaeductibus vrbis Romae*, conf. Illuſtris Viri IOHANNIS POLENI doctiſſima *in eum Commentaria p. 162.* FRONTINVS, cordatiſſimus vir, hanc aquam ab aliis ſeparauit, et, vt tota potui ſeruiret, curauit. Confer RAPHAELEM FABRETTVM *de Aquis et Aquae Ductibus Veteris Romae Diſſert. II. p. 109.* Hic refutat HIERONYMVM MERCVRIALEM, qui *in variis Lectionibus L. II. Cap. VIIII. p. 84.* ex GALENO probare voluit, illas aquas non ita ſalubres fuiſſe. De vrbibus, quae olim, propter aquarum inopiam, deſertae, poſt, deductis in eas aquis, florere coeperunt, vide BAPTISTAE DONII *Librum de reſtituenda ſalubritate agri Romani, Florent. Anno MDCLXVII. pag. 162.*

huic, si opus fuit, in subsidium datae, aliae autem graues, et minus salubres, per vrbem diuisae, inseruierunt balneis, fullonibus, naumachiae, hortis irrigandis, cloacis eluendis, aliisque sordidis ministeriis. Nec defuerunt aliae, quae in omnem regionem, vbi necessitas postulauit, ad restinguenda incendia conuerti potuerunt. Quantam vero impensam in hanc rem fecerint veteres, quantamque curam habuerint aquarum, iam non exequar, sed in aliam, quam meditor, commentationem differo. Qui haec nosse cupit, legat virum incomparabilem, SEXTVM IVLIVM FRONTINVM, in quo inueniet, Romae aquarum officium non, nisi per principes ciuitatis viros, fuisse administratum, his, extra vrbem euntibus, lictores et insignia fuisse, quae alii habuerunt magistratus, duas familias seruorum, et vltra quingentos homines, quibus haec aquarum procuratio commissa erat, ex aerario altos fuisse. Taceo, illas maximas aquaeductuum substructiones, arcuationesque, quibus aquas, remotis, editioribusque, collibus conceptas, per magna locorum interualla vallesque in vrbes perduxerunt, ea adhibita diligentia, vt in has iusta libra, altitudineque, venirent, et in omnem partem erogari possent. Deprehendimus autem, quamuis vehementer de eo laborauerint veteres, non semper optimas aquas fuisse collectas, et in vrbes corriuatas. (12) Plures enim veterum, qui, in aquarum bonitate aestimanda, primas dederunt leuitati, non satis intellexisse videntur, aquas leuissimas saepe pernicioſas esse. (13) Certum est, reliquis leuiores esse pluuiales, roralesque, quippe cum ex subtiliori aquarum parte constent, quae calore in altum levata, atque in vapores nubesque coacta, et sic a ponderosioribus partibus segregata, fuit. Pluuiae enim, antequam destillat, admiscentur omnia, quae ex combustis, fermentatis, putre-

 factis

12) Vide de Alsietina aqua, quam Imperator Augustus deduxerat, FRONTINVM *Art. XI. pag. 47.*

13) Inter hos PRAXAGORAS, teste ATHENAEO *Deipnosoph. L. II. Cap. VII. p. 46.* et ipse ATHENAEVS *l. c. C. V. p. 42.* qui et ideo niualem extollit. Contra hos vero pugnat PLINIVS *l. c.* Ex recentioribus pluuiam extollit THOMAS SHORT in *the natural History of the Mineral Waters of Derbyshire etc. London, MDCCXXXIIII. in the introduction p. 13.*

factis et alia ratione in halitus diffusis corporibus per atmosphaeram dispersa sunt, ita, vt, propter haec admixta, illarum aquarum magna sit diuersitas. (14) Saepe imbres, qui flagrantis caniculae diebus in confiniis maiorum, hominibus et animalibus affluentium vrbium decidunt, foetorem redolent vix tolerabilem, ipsae vero aquae ex iis collectae breui putrescunt, nidoreque nares offendunt; id quod ab HIPPOCRATE etiam notatum legimus. (15) Imo, si leuitas sola in aquis laudanda esset, caeteris salubriores forent niuales, inprimis illae, quae collectae fuerunt ex niue, qua, quieto, non ventoso aëre, altissimorum montium iuga obruuntur. Tales enim aquas et leuissimas et purissimas esse ROBERTVS BOYLE testatur. (16) Compertum vero est, nullas pestilentiores esse, maioremque vim nocendi habere, quam, quae ex niue et glacie liquefacta diffunduntur. Nec aquae celerius calescentes, et quae ab igne semotae rursus refrigescunt, ideo aliis praeferendae sunt, cum et hoc in iis obseruetur, quae ex soluta niue defluunt. Nolo iam ad experimenta transire, quibus aquarum bonitas cognoscitur, cum haec ab aliis praestantissimis Viris exposita legantur. (17) Mihi vero nemo vitio vertet, si ego aquam fontanam reliquis praeferam. Illam intelligo, quae editiori, et, si delectum adhibere licet, arborum opacitate inumbrato, purisque fontibus scaturiente, loco concepta, et, vt nulla re inquinetur, muro circumdata, congruis fistulis in vrbem deducitur, in hac saliens erumpit, ac in publicos vsus dispensatur, vel, si eius maior modus est, facta partitione, per priuatorum aedes distribuitur. Cum enim a vetustissimis Medicis stagnantes pigraeque aquae, vt insaluberrimae;

14) Vide HERMANNI BOERHAAVII *Chemiam T. I. p. 602. Edit. Leydens.*

15) *l. c. de Aere, aquis etc. Sect. XVIII T. I. Edit.* LIND. *p. 338.*

16) Vid. BOERHAAVE *c. l. p. 601.* Confer, quae de aquarum grauitate et leuitate habet FRANCISCVS RONCALLVS *de Aquis Brixianis, Brixiae, MDCCXXIIII.*

17) V. Illustris Vir FRID. HOFFMANNVS *in Obs. Phys. Chym. L II. Cap. VII. p. 138.* IOH. MARIA LANCISIVS *de natiuis Romani Coeli qualitatibus Cap. VII. sqq.* et IOH. HEIMRICHIVS *de aqua communi, et eum examinandi modis.*

mae, damnatae fuerint, (18) illas oportet ſalubriores eſſe, quae profluunt, et, vt cum PLINIO loquar, curſu proficiunt. Nemo quidem ignorat, flumina ex fontibus oriri, qui, iunctis aliis riuis, amnem faciunt, et, aliorum fluminum acceſſu, tantum increſcunt, vt eorum aluei grauiſſimas naues perferre poſſint. Fluuiales itaque aquae a fontanis ortu haud differunt, nihilominus illarum naturalis ſinceritas multum inquinatur, dum omnes riui, quamuis puriſſimo fonte defluentes, aliquid auferant, quo turbantur. Illud vero tanto magis incidit, ſi fluuii pinguiores terras, ſolutioresque ripas, interfluunt. Nemo hic Lipſiae ignorat, aquas, quae ex Pliſſa fluuio attolluntur, et preſſura in vrbem coguntur, ſuperuenientibus imbribus, turbidas in eam limoſasque venire. In flumina etiam vrbium cloacae corriuantur, omneque purgamentum et ſtercorata colluuies influit, quibus omnibus fluminum aquae, quamuis a fontium capitibus purae venerint, et vtiles, impurae fiunt, et potioni minus aptae. Pariſii quidem, qui Sequanam fluuium accolunt, eius aquam turbidam, omnibusque, quas dixi, ſordibus inquinatam, auide bibunt, eaque purum molleque vinum deluunt, ſeu, vt PLAVTVS loquitur, infuſcant. (19) Nec deſunt, qui hanc aquam, vt ſaluberrimam, et potui maxime idoneam, extollunt, imo huic iſtam ſalubritatem ab ipſis ſordibus atque excrementis, mortuis etiam piſcibus, quorum putore nihil exſecrabilius eſt, impertiri autumant. Ita ſaltem ſentire videtur MICHAEL PEAGET, Pariſius Doctor, (20) qui etiam experimentis probat, in hac Sequanica aqua ſales diuerſos, communem, et mirabilem GLAVBERI, inueniri, et ideo eam ad humores, qui in viſceribus coiuerunt, diſcutiendos plurimum valere; eius etiam potu aluum molliri, atque etiam plura mala in homini-

 bus

18) HIPPOCRATES c. l. §. 10. p. 334. CELSVS *Lib. II. Cap. XVIII.* PLINIVS *c. l. p. 551.* AETIVS *Lib. Med. L. III. Cap. CLXVI. p. 63. Edit. Aldinae.* SYMEON SETHI *de Alimentorum facult. p. 129.*

19) *Ciſtellar. Act. I. Sc. I v. 21.*

20) *in Quaeſt. medica in Scholis Medicorum An. MDCCXXXV.* propoſita: *An aqua ſtuuiatilis caeteris aquarum ſpeciebus ſalubrior?*

bus auerti. Si iam ad haec diluenda animus tempusque essent, nollem negare, hanc potionem satis bene ferre adsuetos. Consuetudinis enim vis maxima est, qua altera quasi natura efficitur: et, HIPPOCRATE teste, (21) *quae longo tempore adsueta sunt, etiamsi deteriora fuerint, minus, quam illa, quae insueta sunt, afficiunt.* Siccis etiam, et quos aluus adstricta crebrius exercet, ciusmodi corrupta potio leuamen aliquod adferre potest, quod aluum soluit, cuius resolutione plures morbi non parum leuantur. Sed omnia, quae impura sunt, et ex imputrescentibus orta, aut his inquinata, suspecta esse opinor, id quod aquae palustres, ex musco virentibus stagnis haustae, probare possunt. In regionibus enim ad Orientem sitis, si flumina alueum excedunt, et agros inundant, aquae illae consistentes, putrescentesque, tum, si potui adhibentur, tum, si eorum halitibus aër infestatur, pestilentiam, eamque atrociſſimam, inferunt, quae postmodum contagiosa in alias, nostrasque, prouincias venire consueuit. Et, vt haec omnia omittam, si Sequanicae aquae medicamenti vires habent, non quotidiano potui esse possunt idoneae, cum, CELSO (22) autore, maximopere cauendum sit, *ne in secunda valetudine aduersae praesidia consumantur.* At vero non difficile est, probare, illas aquas insaluberrimas esse insuetis, cum nemo, qui Lutetiae aliquod tempus commoratus est, ignoret, omnes, qui, tum ex aliis regionibus, tum ex Galliae prouinciis, eo veniunt, et ex more vinum ista aqua dilutum bibunt, torminibus, frequenti deiiciendi cupiditate, omnibusque, quae dysenteria laborantibus incidere solent, excruciari, nec hoc auerti, nisi aquarum istarum coctura, et si loco fluuialis, fontana, quae non nisi pauciores vrbis partes intrat, bibitur. Nec omittenda est illa obseruatio, quam haud ita pridem Clarissimus Vir ANTONIVS DE IVSSIEV prodidit, qua haec non parum firmantur. (23) Anno huius seculi tricesimo primo in Parisios morbi irruerant, quibus

21) *Aphor. Sect. II. Aph. 50.* τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ἧσσον ᾖ χείρω, τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε.

22) *L. I. C. I.*

23) *Comm. H. A. R. Sc. Anno MDCCXXXIII. p. 488.*

bus illa potiſſimum vrbis pars impleta fuit, cui Sequanica aqua, et alia, quae ex fluuio Marna hauritur, potioni eſt. Cum enim iſtius anni aeſtu, et ſidere aeſtatis atque autumni flagrantiſſimo flumina multum ſubſediſſent, illae, quae modo dixi, aquae leuiores fuerunt, et magis limpidae, quam caeteroquin eſſe ſolent, mali tamen ſaporis tetrique odoris. Clariſſimus autor hoc aquarum vitium ex plantis natum eſſe exiſtimat, quarum luxuriem deprehendit illo tempore in flumine, non pleno alueo fluente, eiusque ripis maximam. Quamuis vero inficiari nolim, muſcum, et putres fracentesque herbas, quibus in quieſcentibus aquis ripae ſaxaque obducuntur, illas corrumpere poſſe, mihi tamen perſuaſum eſſe fateor, maiorem adhuc vim habere illas ſordes, et foediſſimam, quae ex tam copioſa vrbe in fluuium deriuatur, colluuiem. Nec mirum eſt, illa aquarum vitia fragrantiori aeſtu multum increbreſcere, quae, deficiente, nec ſatis incitato, fluuio, haud, vt alio tempore, eluuntur. Sed ſuperuacuum videri poſſet, multis contra fluuialem aquam pugnare, cum inter nos paucos eſſe videam, qui ea pro potu vtuntur. Maior dubitatio eſt de puteali, quae tum gelida potioni, tum cocta et herbae Theae et fructibus Coffee ſuperinfuſa, ſorbitioni hic crebrius inſeruit. Illa vero etiam propius ad naturam fontanae accedere videtur, cum puteus nihil aliud ſit, quam fons incluſus. Haud vero ignorari oportet, fontes ſaepe in altiſſimis montibus naſci, et ex his aquas ſalientes viuas, quaſi expreſſas, maiori vi erumpere, ſibique viam, quam non acceperant, parare. Puteis vero etiam humilia loca, valleſque abundant, et frequentius ad fluuiorum ripas fodiuntur, cum quibus illos etiam augeri, minuique, conſtat. Et, id quod maximum eſt, puteorum aquae conſiſtunt, nec, vt fontium, defluunt; aquarum vero ſalubritatem quiete potiſſimum minui, ſupra relatum eſt. Nolo iam de fontium origine diſputare, de qua inter doctos viros magna fuit controuerſia. Et licet illud concedam, fontes non, niſi ex pluuia, et ex diſcuſſa niue, naſci, cuius tamen ſententiae non ita facilis explicatio eſt, nihilominus fontana

aqua

aqua reliquis longe praeſtabilior cenſenda eſt, et ſalubritate excellentior, quippe quae, quamuis minus pura orta fuerit, tamen, dum terra argillaque percolatur, veluti liquatur, depuraturque. Plurimum etiam ad aquarum bonitatem conferre exiſtimo motum, et crebriorem percuſſum. Aqua enim, PLINII verbis vtor, (24) *verberata corripit aera, ſiue in altum expreſſa,* ſiue *ex ſublimi deiecta.* Aëri vero, et adhuc ſubtiliori perniciorique fluido, ſi aquis admixta ſunt, ſalubritatem maxime debere exiſtimo. Vivae enim, ſcaturientes, et cum impetu erumpentes, aquae, inſitam quaſi vim habent, qua ab aliis ſtagnantibus, vel minus incitatis, diſcrepant; quam rem teſtantur illae nebuloſae exhalationes, quae ante ſolis ortum, ex longinquo intuentibus apparent, et quas, ſi inueniendi ſint fontes, inter notas nondum emicantium, ſeu latentium, ſcaturiginum eſſe rerum peritis conſtat. Magnam inter haec duo, ad vitam adeo neceſſaria fluida, aërem et aquam, eſſe conuenientiam, nemo dubitabit. Aër vero, qui omni vento vacat, prorſus ſilet, et piger, denſus, craſſusque, nobis offunditur, grauis eſt, ac peſtilens. Si autem ei perflatus accedit, tenuis ille redditur, purus ac liquidus, in quo certior eſt valetudo. Atque haec etiam in aquis fiunt, quae, quo maiori quaſi exercitatione tenuantur, perficiunturque, eo ſalubriores ſunt. Puteorum autem aquae, nec illo interiori motu ſatis cientur, nec curſu tenuantur, ſed, ſi etiam ab initio bonae ſint, inertia poſtmodum multum peruertuntur. Ex puteis tamen maxime probabiles ſunt, quibus (loquor cum PLINIO) *exercitationis ratio crebro hauſtu contingit, et illa tenuitas colante terra.* Quod ſi putei, id quod in vrbibus rarum non eſt, cloacis et ſterquiliniis propinqui ſunt, vel, ſi in eos colluuies ex viis coeno grauibus deſtillat, eorum aquae ſtercoroſae fiunt, graues, et inſalubres. Tolerabiliores vero ſunt, et reliquis praeferendi, qui editiſſimis locis, et ab aedibus, locisque, in quibus pecudes ſtabulantur, remotioribus, fodiuntur. Damnantur etiam illae puteorum aquae, quae coenum faciunt, vaſa aenea

24) PLINIVS l. c.

aenea inficiunt, et haec, ſi decoquantur, craſſioribus cruſtis obducunt, quales iam a veteribus repudiatas legimus. Minime tamen et in his rebus perpetuum praeceptum eſſe poteſt, cum ſubinde incidere ſoleat, vt aqua melior, et ad valetudinem tuendam efficacior, ex puteo fluuioque hauriatur, deterior vero ſumatur ex fonte exſiliente. Refert enim, ex quali ſolo erumpant fontes, et per quale ſaxum, mineram, ſalem, bitumen, manauerint aquarum venae, ſub terra latentes, et ad fontes pertinentes. Nam his omnibus aquarum ſinceritatem peruerti, aquae minerales thermaeque teſtantur, quae non quotidiano potui, ſed morborum curationi, idoneae ſunt. Inſalubres etiam fiunt, caeteroquin optimae aquae, ſi fiſtulis plumbeis ducuntur, id quod et his diebus plurimis in vſu eſt. (25) Praeſtantiſſimae ſunt fiſtulae fictiles, tolerabiles vero illae, quae ex pini arboris trunco, qui torno oblongo excauatur, fiunt. Taceo iam plura alia, quae in ſeligendis, aſſeruandis, corrigendiſque, aquis obſeruari oportet. Illud vero addo, non omnibus eandem aquam, quamuis puriſſimam, ſemper vtilem eſſe, ſed omnibus, quibus valetudo corporis aliquo in pretio, accuratior obſeruatio adhibenda eſt, cauendumque, ne eam, quae non ſtatim proficit, condemnent, neue minus illam remoueant, quae caeteris parum praeſtare videtur. Si enim aliquid paululum ſaltem iuuat, profectus tempore et quotidiano vſu expletur. Plures mecum optare videntur, vt haec noſtra vrbs, quae, et natura, et pulchritudine, nobilis eſt, et omnium rerum, quae ad vitam vitaeque iucunditatem attinent, affluentiſſima, viua fontanaque aqua inſtrui poſſit.

25) Londini ſaluberrimas aquas fiſtulis plumbeis deduci, monet STEPHEN HALES in *the Appendix an the Statical Eſſays containing Haemaſtatics p. 241.* De noxa, quae eſt in aquis plumbeis fiſtulis ductis, vide PALLADIVM *de Re Ruſtica Cap. XI.* PLINIVM *l. c.* M. VITRVVIVM POLLIONEM *L. VIII. cap. VII. p. 172.* et GALENVM *de compoſ. Med. ſecundum locos L. VII. T. XIII. Edit.* CHARTER. *p. 537.* Conf. IOH. LANGII *Epp. Med. L. I. Ep. 44. p. 197.*

PROLVSIO XVI.

DE PALLORE

PER ADVERSAM VALETVDINEM QVAESITO

PANEGYRI

WOLFG. SIGISMVNDI MVLLERI.

D. VIII. MAII CIↃ IↃ CC XXXVIIII.

PRAEMISSA.

Quamuis illud veriſſimum ſit, quod M. TVLLIVS CICERO (1) de corporis venuſtate et pulchritudine prodidit, illam a valetudine ſecerni non poſſe, plures tamen inueniuntur, qui varia damnoſaque cura, cum maximo valetudinis diſpendio, formam adiuuare ſtudent, et, hanc ſine illa obtineri poſſe, exiſtimant. Foeminae, prae viris, laborant hac inſania, quarum nonnullae honeſta ac liberali forma, quae illis a natura data eſt, et quam olim ENNIVS Poëta *ſtatam*, FAVORINVS Philoſophus *vxoriam*, appellauit, (2) haud contentae, omnibus lenociniis, fuco et pigmentis, ſeu tot machinis adhibitis, ad nimiae pulchritudinis laudem, quae ſine periculo non eſt, enituntur, et contendunt. De his illud PLAVTI (3) dictum eſſe videtur:

Nam ita eſt ingenium muliebre
Bene cum lauta eſt, terſa, ornata, ficta eſt; infecta eſt tamen.

Etiamſi tales non parum deſipere videntur, quae molliſſimum cultum affectant, et cum ſanitatis deſpectu formae venuſtatem venantur, longe tamen maior dementia eas tenet, quae in ipſis corporis infir-

1) *De Officiis L. I. Cap. XXVII. T. IIII. p. 1263.*

2) Vide AVLVM GELLIVM *Noct. Attic. L. V. Cap. XI. p. 322.*

3) *in Sticho Act. V. Sc. V.*

infirmitatibus et aegrotationibus pulchritudinem quaerunt. Iam de illis loquor, quibus, ſi paulo pleniores ac coloratiores fiunt, hoc ruſticum videtur, et a uenuſtate alienum, magis vero vrbanum, pallore decolorari. Pallorem itaque per aduerſam valetudinem quaerunt, et corpus variis morbis, iisque grauibus, ac diuturnis, obnoxium faciunt. Noſtrum non eſt, omnia exquiſitius perquirere, quae faciunt, vt homines palleſcant. Hoc enim CAESAR ZAROTTVS, Philoſophus et Medicus Venetus, ſtudioſius executus eſt. (4) Protinus autem, et inter initia, illud haud ignorari oportet, corporis colorem ex tribus pendere, ex ſanguinis nimirum integritate, cordis motu, illoque robore, tum elaſtico, tum vitali, quod in omnibus partibus corporis noſtri, ſolidis, et mollibus, deprehenditur, et quod motum fluidorum per omnis generis arterias venasque manantium moderatur: Ad colorem itaque requiritur, vt ſanguis, in corpore integer ſit, nec nimis tenuis, nec craſſus, nec liuidus, nec pituita, nec bile, remixtus. Neceſſe eſt, vt talis, qualem deſcripſimus, cordis motu aequabili per omnes partes diſtribuatur: immo etiam neceſſarium eſt, vt omnes, quae eum recipiunt, fiſtulae, hisque vicinae mollesque partes, maxime cutis, bene ſe habeant, cum, ſi earum fibrae, vel rigidiores contractioresque fuerint, vel laxae, atque ſolutae, ipſe ſanguis variis motibus et mutationibus cieatur, eiusque circuitus impediatur, quibus poſtmodum etiam color commutatur. Ex his itaque intelligimus, variam frequentemque palloris cauſam eſſe. Inalbeſcunt enim, pallent, et liuent, qui nimium ſe replent, (5) et vomunt, qui ſtomachum infirmum habent, et quem cruditas heſternumque merum, item acidum vermesque infeſtant; praeter hos etiam lienoſi, hepatici, hydropici, quorum pulmo, aliudue viſcus, vomica laborat, quos vipera, aliusue ſerpens, percuſſit, qui inedia, exercitatione, vigilia, cura, venere, ſudore, crebra deiectione,

 ſangui-

4) in *Medica Martialis Tractatione, Venet. MDCLVII. p. 51 ſqq.*

5) HORATIVS *Lib. II. Sat. II. p. 76.*
- - *vides vt pallidus omnis*
Coena deſurgat dubia?
Quid ſit *coena dubia*, explicat TERENTII PHORMIO *Act. II. Sc. II.*
Vbi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.

ſanguinis profluuio, exhauſti ſunt, morboque graui, vel diuturno, confecti, qui aëra craſſum, concretum, paludoſum, ſpiritu ducunt, qui aquas inſalubres potant, vel ſe crebrius vino aduſto ingurgitant. Pallorem etiam adſerunt acre et pertinax literarum ſtudium, perpetua et attentiſſima cogitatio, magnae animi perturbationes, terror, timor, inuidia, immo.

atraeque genis pallentibus irae. (6)

Eos etiam,

quos durus amor crudeli tabe peredit. (7)

vel propter condecentiam pallere oportet. Nam, OVIDIO teſte,

Palleat omnis amans: hic eſt color aptus amanti.
Hic decet: hoc vultu non valuiſſe putent. (8)

cum quo conſentit VIRGILIVS: (9)

Nullus in ore rubor. Vbi enim rubor, obſtat amori.

Si vero, miſſis aliis palloris occaſionibus, ad eos redimus, qui data opera id conſequuntur, vt palleant, olim excuſationem habuiſſe videtur IVLIVS VINDEX, qui, vt NERONI haeredipetae imponeret, et inanem ſpem propinquae mortis faceret, cymini eſu ſibi pallorem conſciuit. (10) At enim deridendi contemnendique fuerunt aſſectatores PORCII LATRONIS, clari in arte dicendi magiſtri, qui, eodem ſemine vſi, colorem, quem ille ſibi acriori literarum ſtudio contraxerat, imitari voluerunt. (11) Hos in mente habuiſſe videtur HORATIVS, dum ſuorum morum imitatores perſtringit: (12)

Deci-

6) VALERIVS FLACCVS *Argonaut. Lib. VI. v. 205.*
7) VIRGILIVS *Aeneid. Lib. VI. v. 442.*
8) De *Arte amandi Lib. I. v. 729.*
9) in *Ciri v. 150*
10) vide PLINII *Hiſt. Nat. L. XX. Cap. XIIII. T. II. Edit.* HARD. *p. 212.* et de IVLIO, qui primus contra NERONEM conſpirauit, vide DIONEM CASSIVM *Hiſtor. Rom. Lib. LXIII. p. 724.*
11) vide PLINIVM *l. c.*
12) *Lib. I. Ep. XVIII. v. 17 ſqq.*

Decipit exemplar vitiis imitabile, quod ſi
Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum.
O imitatores ſeruum pecus, vt mihi ſaepe
Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus!

Nefarie vero flagitioſeque palluit M. LIVIVS DRVSVS, qui, PLINIO teſte, caprinum ſanguinem bibiſſe dicitur, vt pallore et inuidia veneni ſibi dati CAPIONEM inimicum inſimularet. (13) Num fuerint, qui amoris cauſa ſibi de induſtria pallorem contraxerunt, me ignorare profiteor, etiamſi hoc de Gallicis mulieribus praeterito ſeculo ſcripſerit ZAROTTVS. (14) Eas enim, inquit, ad formam procurandam, purpuriſſo non vti, quin potius omne ſtudium curamque adhibere, vt *pallentes evadant ac luteae, amoris ignem affectato illo faciei pallore iactantes.* Nouimus enim, hoc in noſtrae aetatis mores minime cadere, cum compertum ſit, in Galliis foeminas infecta medicamine facie nunc rubere, et non pallentibus, ſed purpuriſſatis, genis, operam dare amori. Apud LVCIANVM SAMOSATENSEM (15) IOVI zelotypa IVNO exprobrat pallorem, quem ex libidinoſo furtiuoque amore ortum eſſe putat. Inter noſtrates vero nonnullae foeminae puellaeque pallorem ideo optant, quod ſibi perſuaſum habent, faciem ſanguine rubentem non niſi viragines, vultu motuque corporis vaſtas agreſtesque decere, haud vero teneras, vrbanasque, et, quas CATVLLVS (16) *lacteolas* vocat, puellas. Tales forte conſimiles ſunt POPPAEAE SABINAE, OTHONIS et NERONIS VXORI, quae, cum ſe aliquando minus pulchram in ſpeculo cerneret, ſatius duxit mori, quam ſeneſcere. (17) Si vero iam auxilia noſcenda ſunt, quibus adhibitis illum odioſum ruborem eiicere, gratumque pallorem induere,

 ſolent,

13) *Lib. XXXVIII. Cap. VIII. T. II. p. 468.* Vide de DRVSO S. AVR. VICTOREM *de Viris illuſtribus Cap. LXVI. p. 252.*

14) *l. c. Cap. VII. p. 74.*

15) *In Ioue Tragoedo T. II. p. 128. Edit.* GRAEVII.

16) *in Epigr. ad Camerinum Edit.* VOSSII *p. 120.*

17) Vide DIONEM CASSIVM *Hiſt. Rom. Lib. LXII. p. 714.*

ſolent, de iis mihi ſermo non eſt, quae vniuerſi corporis cutem curant, eamque, vt modo commemorata SABINA fecit, lacte macerant. Haec enim non ſolum faciem pane cruſtauit, qui lacte aſinino madebat, ſed etiam ſe crebrius in balneum, ex eodem lacte paratum, demiſit; quare, in exilium profecta, ne copia huius lactis deeſſet, quingentas aſinas ſecum duxit, quae haud ita pridem partus ediderant. (18) Aliis etiam pigmentis, inter veteres, vſae ſunt mulieres, quibus faciei fucatum candorem afferrent, (19) ceruſſa, Cimolia et Melina terra, immo ipſo crocodilorum terreſtrium, nec non ſturnorum, in Oriente oryza veſcentium, ſtercore. (20) Frontem itaque genasque ſtercorauerunt, in ſpem maioris amantium numeri, vt coloni agrum, in ſpem feracis ſegetis, et frugiferae meſſis. Superuacuum eſſet, hoc iam multis perſequi, et oſtendere, quantam vim nocendi habeant haec fucati candoris medicamenta, quibus inter alia ipſa cutis breui rugoſior ac deformior redditur. Mihi tamen imperare non poſſum, quo minus iam notem ac vituperem illa peſtifera pharmaca, quae varia et chemica arte ex argento viuo parantur. Nam aliquando honeſtiſſimae foeminae, quin et ipſi viri, qui cutem purgare, et varos, lenticulasque, curare, volunt, his compoſitionibus abutuntur, et ſe grauiſſimis morbis obnoxios reddunt. Nota mihi fuit foemina nobilis et honeſta, quae, vt haec faciei vitia occuleret, intemperantius vſa eſt liquore, qui multum ſic dicti ſublimati habuit. Exulceratae ei fuerunt fauces, adeo, vt malum, ab initio neglectum, poſt nullam curationem receperit, ſed fuerit mortiferum.

Atque

18) Vide DIONEM CASSIVM c. l. et IVVENALEM *Satyra VI. v. 462 ſeqq.*

19) Vide magnum indicem horum medicamentorum in OVIDII, vel quisquis autor carminis eſt, cui titulus: *Medicamina faciei v. 50 ſqq*

20) HORATIVS *Epodon XII. v. 9 ſqq.*

- - - nec illi
Iam monet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili.

De ſtercore crocodili confer DIOSCORIDEM *de Materia medica L. II. c. 98.* CLEMENTEM ALEXANDRINVM in *Paedagogo L. III. T. I. Edit.* POTERII *p. 255.* et de hoc pariter, ac ſturnorum excrementis, in fucum adhibitis, GALENVM de *ſimpl. medicam. facultatibus L. X. §. 29. T. XIII. Edit.* CHARTERII *p. 294.*

Atque HIERONYMVS MERCVRIALIS (21) teſtatur, ſed crebrius adhuocatum fuiſſe ad foeminas, eodem veneno infucatas, quibus ex eo et facies et pectus intumuerant. Tacec, tales mercurio dealbatas, aeque ac alias cinnabari, in qua etiam mercurius eſt, delibutas, inquinatasque, foeminas, non raro turpiter lippire, iisque tandem dentes denigrari, cum oſſibus dentibusque nihil magis inimicum ſit argento viuo. Dentes vero ſcabri, nigri, labantes, cadentesque, graues longasque valetudines corpori adferunt, et ori ſummam deformitatem. Sunt autem alia, quibus foeminae ſibi adeo exoptatum pallorem dare ſolitae ſunt, quae, quod intus ſumuntur, longe nocentiora ſunt. Multa enim obſeruatione innotuit rerum noſtrarum peritiſſimis viris, (22) proteruas petulantesque puellas, vanas inſanasque mulieres, ſaepe alieniſſima et duriſſima quaeuis deuoraſſe, non aliam ob cauſam, quam, vt colorem, qui ex ſanguine diffuſo faciei inſiderat, in pallorem mutarent, quem morum elegantiae magis accommodatum eſſe exiſtimant. Dum enim ſtomachum valde infirmant, ſibi pallorem induunt, quem ex ſtomacho oriri, ſi is vel valentiori, vel nimio alimento, vel aliis, oneratur, nemo ignorat. Num cumini ſemen hominem ſingulari virtute pallidum faciat, me quidem latet. (23) Illam vero de caprina carne, quamuis inueteratam, et a non paucis autoribus (24) traditam opinionem, quod veſcentibus pallorem affundat, vanam eſſe reor. Nam praeterquam, quod paulo valentior eſt, nec adeo boni ſucci, et ideo ventriculo non ſatis idonea, (25) illa

21) *De decorat. Cap. XII. p. 18.*

22) Vide inter alios MARC. MAPPVM in Diſſert. *de Primario catameniorum vitio, ſuppreſſione, Argent. MDCLXXXVI.* IOH. FREINDII *Emmenologiam in Opp. Londini MDCCXXXIII editis p 90.* Illuſtr. FR. HOFFMANNI *Diſſert. de Genuina chloroſis indole, origine et curatione p. 22.*

23) Vide de hoc DIOSCORIDEM *L. III. Cap. LXVIII. p. 207.* PLINIVM *L. XX. Cap. XIIII. T. II. p. 212.* Q. SERENVM SAMMONICVM *de Medicina Cap. XIII.* et *Cop. L.* cui aeque ac PERSIO *Sat. V. v. 54.* dicitur *cuminum pallens.* HORATIO autem l. ſ. c. *exſangue cuminum.*

24) Vide PLINIVM c. l. et plures locos in ZAROTTO.

25) Illud iam HIPPOCRATES animaduertit *de Victu acutorum* in Edit. LIND. *T. II. p. 317.* qui caprinis et bubulis carnibus

illa ad pallorem non magis facere poterit, quam ad pulchritudinem caro leporina. (26) Maioris efficaciae ſunt creta, calx, arena, gypſum, lapilli, cerae Hiſpanicae, qua tabulas epiſtolasque ſignamus, fruſtula, fila ex cannabe et lino, zingiber, aliaque, quae omnia iam recenſere longum foret. Nec deſunt, quae acetum bibunt, (27) nec aliae, quae, crebrius inciſa vena, tantum ſanguinis ſibi detrahunt, vt ſimiles fiant POMPEIAE PAVLLINAE, SENECAE VXORI, quae, TACITO teſte, (28) *ora membraque in eum pallorem albentia habuit, vt oſtentui fierent, multum vitalis ſpiritus eſſe egeſtum.* Illud tamen omittendum non eſt, foeminis interdum hoc condonandum eſſe, ſi rebus, quae ventriculo alieniſſimae ſunt, ſe implent, in quas non raro immenſo ac inſuperabili deſiderio et appetitu feruntur. Hoc enim, quod chloroſi et vterino morbo aegris, itemque grauidis, rarum non ſit, norunt medentes. Huic effrenatae, et, quae vix vlla ratione regi continerique poteſt, appetentiae, quamuis raro nulla inſit culpa, facilior venia eſt, quam illi turpiſſimae petulantiae, qua, ſolius formae augendae ſtudio, ita

nibus Φύσιν ἀνυπέρβλητον eſſe dixit, confer inter alios ALEXANDRVM TITVM PETRONIVM *de Victu Romanorum, Romae, MDCLXXXI. Lib. III. p. 142.* et IOH. MANELPHI ERETANI SABINI *Menſam Romanam, Romae, MDCL. C. XXX. p. 119.* Ventriculo autem validiori, hominis multum exercitati ad coquendum eſt facillima. De athleta Thebano, hac carne ad magnum robur ſaginato, aſt male olente, vide ATHENAEVM *Deipnoſoph. L. VIIII. Cap. XIIII. p. 402.*

26) Nam et de hac olim commentitia fabella tradita fuit, illa veſcentes fieri formoſiores. AELIO LAMPRIDIO in *Vita Alexandri Seueri in Hiſt. Aug. T. I. p. 955.* teſte, in ALEXANDRVM SEVERVM, Imperatorem, cui quotidie lepus appoſitus fuit, poëta maledicentior hos verſiculos ſcripſit:

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum Regem.
Quam Syrum ſera detulit provago,
Venatus facit, et lepus comeſus
Ex quo continuum capit leporem.

Ibi etiam adducitur Epigramma MARTIALIS *L. V. Epigr. XXX.* Conf. BALDI ANGELI ABBATII *Opus diſcuſſarum Concertationum, Piſauri, MDLXXXXIIII.*

27) Vide FRID. HOFFMANNI *Diſſert. de Diaeta virginum p. 14.*

28) *Annalium L. XV. Cap. LXIIII. T. II. p. 677.* PAVLLINA enim iuſſu NERONIS ſibi cum marito venas exſoluerat, illa vero hoc ſuffocato obligatis venis fuit ſeruata, et pallida manſit.

ita in propriam valetudinem graſſantur, vt eam non raro omnem amittant. Commemorabile huius rei exemplum a magni nominis Medico, IOHANNE IACOBO WEPFERO, relictum legimus; (29) Puella tredecim annorum, quae ſibi eandem de pallore perſuaſionem induerat, arenam, et ſuccini, in globulos tornati, atque etiam cerae Hiſpanicae, fruſtula auide deglutiit, et diris vexata fuit ſymptomatis. Tandem ſexto, poſtquam haec ſumſerat, menſe, ea vomitu reiecit, et nihilominus per multum tempus chloroſi implicata manſit, quae tandem, prouenientibus catameniis, euanuit. Crebrius hoc vecordibus, et vrbanitatis nimium ſtudioſis, foeminis incidere opinor, id quod tamen illae medicos plerumque celant, veritae, ne, ſi hanc ſuam inconſideratiſſimam intemperantiam confiteantur, inuitae erubeſcant. Prudentiores fidem habent magno ſapientiae et facundiae doctori, CICERONI, (30) qui alio loco ſcribit: *Formae dignitas coloris bonitate tuenda eſt, color exercitatione corporis.*

29) in *Ephem. Nat. Curioſ. Dec. II. A. VIII. Obſ. LXVIII. p. 123.* Aliud exemplum de virgine, quae propter eandem cauſam multam cretam deglutierat, ex menſium ſuppreſſione et chloroſi tandem demortua, vide in IOH. CRVGERI *Tr. de virgine chloroſi laborante §. 21. p. 18.*

30) *de Officiis L. I. Cap. XXXVI. Vol. IIII. p. 1271.*

PROLVSIO XVII.

DE SOMNO INFANTVM EX AGITATIONE MOTVQVE CVNARVM PANEGYRI

IOH. EHRENFREDI THEBESII.

D. XXII. IVNII CIↃ IↃCCXXXX.

PRAEMISSA.

Morti nihil tam ſimile eſt, quam ſomnus, qui eius vera imago atque ſimulacrum recte dicitur. Naturaliter vero et nobis et cunctis animantibus inſitum eſt, vt mortem horreamus, qui ſomnum ſaepe vehementer et ita exoptamus, vt etiam omnia, quae eum allicere poſſunt, in auxilium adhibeamus. Neque id cuiquam mirum videbitur, qui cogitat, ſine ſomno animal viuere non poſſe, cum ſub eo in viſceribus ſubigatur perficiaturque ille tenerior ſuccus, qui alendis inſtaurandisque minimis idoneus eſt, et qui, ad cerebrum delatus, atque in eius cortice ſecretus, per totum corpus, ad praeſtandas plures admirabiles actiones, diuiditur. Animantium enim vario generi illud ſub ſomno accidere videtur, quod arboribus plantisque hyeme. Nam in harum radicibus eo tempore, quo terra frigore horret, confici videtur tenerrimus ſuccus, qui ſolis acceſſu ſe diſpandit, aliumque craſſiorem humorem, qui ex terra trahitur, in motum ciet, idque efficit, vt et radices et arborum ramis gemmas protrudant, vtque ex his oculis egerminantibus, folia frondesque pullulaſcant, et tandem latius effundantur. Non vero tantum propter corporis conſeruationem ſomnum expetere ſolemus, ſed etiam ideo, quod in eo omnium aegritudinum leuatio reperitur, qui CICERONI (1) labo-

1) *De Diuinat. L. II. Cap. LXXII. p. 180.*

laborum et ſollicitudinum perfugium, SENECAE Tragoedo vero (2) malorum et curarum domitor olim dictus fuit. (3) Praecipue vero ſomnus neceſſarius eſt illi primae teneraeque aetati, qua puer in lucem editus celerius adoleſcere, et in procerum corpus, eosque artus, quos adulti habemus, excreſcere debet. Exploratum enim omnibus eſſe opinor vniuerſum in vtero conceptum, pro modo ſuae molis, a primo ortu et primis diebus plus increſcere, quam, vbi is magis adoleuit, et maturus factus eſt. Puer etiam excluſus primis menſibus plus augetur, quam omni inſequente aetate. Sed conceptus, qui vtero continentur, vitam dormientis viuunt, et infantes etiam perpetuus fere ſomnus ita complectitur, vt, ſi valent, dormiendo dies noctesque tranſigant. Si vero his ſomnus eripitur, tenerum corpus, nec alitur, nec increſcit, ſed macie extabeſcit, imo tandem vitiato omni eius habitu frangitur, atque opprimitur. Varia enim in valetudine hoc fieri, conſtat, frequentius vero, dentientibus gingiuis, et

quo teneris erumpunt tempore dentes,
Dum ſibi vi dens ipſe viam molitur, et acri
Humore, vt terebra, gingiuis mollibus inſtat
Improbus, et punctu aſſiduo retinacula frangit,
Saeuoſque interea toto mouet ore dolores. (4)

nec non

Sin dira excruciant ipſum quoque tormina ventrem,
Et velut infeſto vellunt praecordia morſu. (5)

Hanc igitur ob cauſam, homines varia adhibuerunt, vt ſomnum adeo exoptatum in dolorum atque aegritudinum leuationem arceſſerent. Nihil iam de medicamentis ſoporiferis, et ipſo opio, quod

2) *In Hercule Act. IIII. v. 1066. et in Medea Act. I. v. 76.*

3) De ſomno et eius vtilitate plura conſcripſit GEO. FRANCVS, DE FRANCKENAV *Satyra Med. XVIII.*

4) SCAEVOLA SAMMARTHANVS in *Paedotrophiae L. III. p. 101.*

5) *c. l. p. 102.*

quod primo loco eſt, dicam, quod gentes ad orientem, quibus ex religione vinum totum circumciſum eſt, quotidie deuorare ſolent. Legimus, olim Scythas, qui etiam omnem aetatem abſtemii agebant, eam dulcedinem, quam alii ex vinolentia capiunt, in fructuum herbarumque odoratarum, in ignem coniectarum, fumo inueniſſe. Pyram enim ex his ſtructam circumſedentes fumum hauſerunt, et, ebrii facti, ſaltare, canere, tripudiare, coeperunt, donec tandem eos temulentus ſopor oppreſſit. (6) Alii hoc etiam de Thracibus memoriae prodiderunt. (7) Ex his diſcimus, quantum noſtri mores cum moribus illorum vetuſtiſſimorum populorum congruant, cum et nos ex peti fumo, quem per fiſtulam haurire conſueuimus, nobis, et voluptatem, et quandoque etiam ſomnum, comparare ſoleamus. Imo ebrioſi, qui ſe vino, vel alio vinolento, ac meraciori, potu, ingurgitant, non ſemper ſe largius inuitant, propter voluptatem, quam ſapore percipiunt, nec propterea quod vinum

Spem reducit mentibus anxiis,
Viresque; et addit cornua pauperi. (8)

Sed plures ſe eo non aliam ob cauſam obruunt, quam, vt ſopiantur, et vt, tum acerbiorem animi aegritudinem, tum ſaeuientem corporis dolorem, quo conflictantur, ad breue tempus leniant, quos tamen, vbi edormiuerunt, exhalaueruntque crapulam, et curae,

6) Vid. HERODOTVS *L. I. c.* 202. MAXIMVS TYRIVS *Differt. XI. p.* 123. *Edit.* DAVISII.

7) Vide POMPONIVM MELAM *de Situ Orbis L. II. Cap.* 2. *p* 29. Confer de his ALEXANDRVM AB ALEXANDRO *Genialium dierum L. III. Cap. XI. T. I. p.* 675. Nota eſt vis ſoporifera, quae carbonibus accenſis ineſt, et quae pluribus exitioſa fuit. Vide Venerandi Senis, Illuſtris FR. HOFFMANNI, *Commentationem de Fumo Carbonum noxio, et quandoque lethali.* Philoſophus Poeta T. LVCRETIVS CARVS rem ita exprimit *L. VI. de Rerum Natura v.* 802.

Carbonumque grauis uis, atque odor inſinuatur
Quam facile in cerebrum, niſi aquam praecepimus ante.

Plura etiam de hoc argumento habet doctiſſimus Vir IOH. IACOBVS CHIFFLETIVS *in L. I. Daedalmatum Cap. III. p.* 5.

8) HORATIVS *L. III. Od. XXI.*

rae, et dolores, vehementius plerumque ſollicitant, anguntque. Omitto nunc alia, quae ſomnum hominibus conciliare poſſunt, lenem fricationem, blandos ſuſurrros, auribus obſtrepentes, et ſymphoniam eas permulcentem, qui iam pauca ſaltem de illo exercitationis geſtationisque genere proponam, quo, agitatis lectis, cunisque, hominibus, praecipue infantibus, ſomnus reducitur. Veteres enim lectulis penſilibus crebrius ad id vſi ſunt, quorum inuentor ASCLEPIADES fuiſſe dicitur. (9) Hic enim, cui ſemper in ore fuit, Medici officium eſſe, vt tuto, vt celeriter, vt iucunde curet, (10) antiquiſſimam curam habuit, aucupandi aegrorum gratiam, quare multa blandimenta excogitauit, et inter ea modo dictos penſiles lectulos, quorum iactatu, et morbos extenuare, et ſomnos allicere, ſtuduit. Eodem fere tempore balnea penſilia primus inſtituerat famoſus ille voluptuariae ac delicatae diſciplinae magiſter, SERGIVS ORATA. (11) Lectulorum vero ſuſpenſorum exercitatione poſt ASCLEPIADEM etiam alii Medici aduerſus varios morbos vſi ſunt, quam geſtationum variis modis adnumerauerunt CELSVS, (12) et AETIVS. (13) Modum etiam ei

conſti-

9) V PLINIVS *H. N. L. XXVII. C. III. T. II. Edit.* HARD. *p. 392.*

10) teſte CELSO *L. III. Cap. IIII.*

11) Primus is inuenit oſtrearum viuaria. Vid. PLINIVS *H. N. L. VIIII. Cap. 54. T. I. p. 534.* et quae VALERII MAXIMI *L. VIII. C. 1.* verba ſunt: *Ne gulam Neptuni arbitrio ſubiectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitauit aeſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diuerſos greges ſeparatis molibus includendo, vt nulla tam ſaeua tempeſtas incideret, qua non Oratae menſae varietate ferculorum abundarent.* Vide plura *c. l.* Oſtrearia in Baiano primus locauit, et primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adiudicauit. Nomen etiam a piſcibus, qui auratae dicti ſunt, accepit, quod hi ei cariſſimi eſſent. Vide MACROBII *Saturn. L. II. C. XI.* quemadmodum eandem ob cauſam Calcimedonti Rhetori nomen locuſtae V. ATHENAEVS *L. III. Cap. XXIII. p. 104.* et Liciniis cognomen Muraenae impoſitum fuit. Vid. MACROBIVS *c. l.* VARRO *de Re ruſtica L. III. Cap. III.* et COLVMELLA *L. VIII. Cap. XVI.* Oratae cognomen vero ab annulis duobus aureis et grandibus deducit SEXTVS POMPEIVS FESTVS *de Verb. ſignif.* quibus Sergium vſum fuiſſe ferunt.

12) *L. II. Cap. XV.*

13) *L. III. Cap. VI. in Edit. Graeca apud Aldum pag. 48.* Ex eo loco diſcimus, duos lectulorum mobilium modos fuiſſe. Aliquando enim aegri mouebantur lecto ſuſpenſo, aliquando in lectulo fulcra mobilia iuxta angulares pedes

conſtituit HERODOTVS Medicus. (14) Eam vero, veluti phthiſicis vtilem, olim THEMISON, (15) et, poſt hunc, CAELIVS AVRELIANVS, (16) propoſuerunt, et ad ſomnum, phreniticis procurandum, CELSVS, (17) AETIVS, (18) et THEODORVS PRISCIANVS. (19) Prodeſt etiam, AETIO iudice, iis, qui lentis febriculis diu detinentur, et qui alia longa valetudine confecti ſunt, nec non poſt ſumptum elleborum. (20) Hac exercitatione etiam plures, et praecipue longos, atque iam inclinatos, morbos curari, ſomnumque afferri, AVICENNA, (21) qui Graecos in plurimis ſecutus eſt, ſcripſit. Alios nunc taceo, non tamen mihi imperare poſſum, quin adducam experimentum, vbi foemina, quam dyſenteria, et mala inteſtinorum tormina, excruciauerant, a ſimili exercitatione leuamen petiit. Ea enim in lintre excauata, quae vindemiae colligendae aptata erat, ſuper ſtratum lectulum decubuit, et hanc aſſidue agitare iuſſit. Sic enim, leuatis doloribus, aliquantum ſomno quieſcere potuit, quam primum vero lintris motus intermiſſus fuit, illi intolerabiles cruciatus reuerterunt. Natura itaque conſultrix et prouida vtilitatum opportunitatumque omnium homines cunarum vſum docuiſſe videtur, cum ab antiquiſſimis temporibus infantes in eas repoſitos, atque, mediantibus cunabulis, ſeu faſciis, iis alligatos fuiſſe, legamus. De cunarum apud veteres differentiis, de ſeruis, et ancillis cunariis, ſiue eas mouentibus, de

des habente. Διαφορὰ δε ὡώρας πλεῖσαι μὲν ἰδιώταται δε εἶυται ἡ μεν ἡνδὶ κλίνης ἢ κρεμαμένης ἢ ὑπὸ βάθρας ἐχούσης κατὰ τὰς γωνιαίας πόδας. ἡ δὲ ἐν Φορείῳ. Melius hoc CELSVS his verbis exprimere videtur: Vni pedi lecti fulcimentum ſubiiciendum eſt, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus. Confer HIERONYMVM MERCVRIALEM *de Arte Gymnaſtica L. VI. Cap. XI. p. 377.*

14) Apud ORIBASIVM *Collect. Med. L. VI. Cap. XXV. in Collect.* H. STEPH. *p. 296. Geſtatio, quae lectulo penſili fit, numero quidem non facile definiri poteſt, quanta eſſe debeat, verum conſequi ratione debemus, tanto tempore vtendum ea eſſe, quanto quiſpiam in ſella perlatus quadraginta ſtadiorum iter conficeret.*

15) Vid. CAELIVS AVRELIANVS *de Morbis Chronicis L. II. Cap. XIIII. p. 427.*

16) *l. c. p. 425.*

17) *l. c.*

18) *l. c.*

19) Aliis dictus OCTAVIVS HORATIANVS *L. II. Cap. II.*

20) *l. c.*

21) *L. I. Fen. III. Doctr. II. c. 2. p. 171.*

de Cunica etiam Dea, quae ab AVGVSTINO (22) adducitur, legi poteſt THOMAS BARTHOLINVS, (23) qui etiam ex LAMBECIO figuram addidit, quae in vetuſtiſſimo Bibliothecae Vindobonenſis codice conſpicitur. Non ſolum igitur tenues lallantis nutriculae neniae, fabellarum feſtiue enarratarum delectatio, crepundiorum ludi, et crepitaculorum ſonitus, puſionum ſenſibus ita blandiuntur, vt iis ſomnus inuitetur, ſed hoc etiam mobilis cubilis, ſeu cunae, agitatione fieri, peruulgatum notumque eſt. Et, quia infantibus, qui adoleſcere debent, facilis longusque ſomnus adeo opportunus ac neceſſarius eſt, illos, vel cunis, vel nutricum brachiis, agitari expedit. Praeter ſomnum vero, quem hic motus concitare ſolet, infantes etiam illud commodi ex eo conſequuntur, vt aliquid exercitationis eorum corporibus accedat, quae ad ſanitatem tuendam, corpusque firmandum, plurimum poteſt. Infantibus enim haec exercitatio accommodata eſt, quemadmodum alii geſtationis modi, a medicis olim aegris imperati, in lectica, in ſcimpodio, vectio in curru, nauigatio, agitatio in lectulo ſuſpenſo, vel mobili, eſſe ſolent infirmis, et ex graui morbo conualeſcentibus. Videntur quidem corpora in his geſtationibus quieſcere, quia membra immota iacent, quorum actione in omni alia exercitatione corpori maxima ſalubritas praeſtatur, dum motis membris humores, arterias venasque permanantes, valentius quaſſantur, attenuanturque, fibrae vero multum roborantur. Igitur id plures in eam opinionem adducere poſſet, geſtationem et cunarum agitationem, magis ad quietem, quam ad exercitationem, referri debere. Hos autem, pulmonum actionem, qui ſe adſpirantes contrahunt, reſpiritu dilatant, conſiderare oportet. Requiritur enim, vt aer, cuius aſpiratione homines ſuſtinentur, ſit animabili ſpirabilique natura, cum experimentis cognitum ſit, aera quieſcentem, craſſum, concretumque, nec non nimis tenuem, pulmonibus noſtris

22) de *Ciuit. Dei L. IIII. Cap. VIII.* Confer EZECHIELIS SPANHEMII *Comment. in Callimachum T. II. p. 8.* p. 44.

23) de *Puerperio Veterum p. 100 ſqq.*

ſtris idoneum haud eſſe. Illud etiam vel vrinatores, qui merces ex naui eiectas ex aquis extrahunt, docuerunt, hominem, non diu in eodem aere, caeteroquin bono, viuere poſſe, ſed neceſſariam eſſe huius commotionem, ac quaſi aliquam ventilationem, quam rem nouis experimentis haud ita pridem probauit vir ad naturalem ſcientiam experimentis illuſtrandam natus, STEPHANVS HALESIVS. (24) Nemo autem dubitat, in ſpiritus capacibus pulmonibus aeris beneficio ſuccum, quo alimur, ex aſſumpto cibo potioneque paratum, perfici, et in ſanguinem potiſſimum verti, qui poſt, cordi infuſus, per arterias in totum corpus diffunditur: Ex quibus intelligitur, continuam, aequabilem, et, quae ſine difficultate ſuccedit, reſpirationem, ſi hac aer purus et liquidus, ſerenus, temperatus, magis tamen frigidiuſculus, aliquo perflatu, vel ventilatione, nouatus, in pulmonem ducitur, corpori vitam et ſalubritatem afferre. Nec etiam omittendum eſt, ſpiritum, et profundum, et aequabilem, potiſſimum ſub ſomno, duci, quae res ad conficiendum ſupra commemoratum ſuccum plurimum facere videtur. In omni igitur geſtatione, ſiue homines vigilent, ſiue, id quod infantibus in cunis frequens eſt, dormiant, illa aeris agitatio ſalutaris eſt, qua is ad dilatandos pulmones, quaſſandos cogendoſque in extremis eorum arteriis varios ſuccos, opportunus redditur. Inficias tamen ire nolim, eam geſtationem, qua locus aerque, progrediendo mutatur, huic, quae in cunis lectisque penſilibus fit, eſſe praeferendam, quae tamen, vel nutricibus moleſta, vel hyeme non ſemper ſecura, eſt. Atque igitur, id quod iam GALENVS (25) praecepit, exercendi etiam ſunt recens nati pueri, et, vel in cunis ac lectis penſilibus agitandi, vel vlnis nutricum gerularumque attollendi, iactandique; quae res non ſolum ad reſpirationem, ſed etiam ad expeditum humorum circuitum, horumque perfectionem, nec non ad facilem blandumque ſomnum, plurimum facit. Summo tamen ſtudio cauendum eſt, eaque ſemper mo-

24) *in the Analyſis of the Air, or in the Statical Eſſays Vol. I. p. 259.*

25) *de Valetudine tuenda L. I. C. VIII. T. VI. Edit.* CHART. *p. 51.*

moderatio adhibenda, ne haec geſtatio motioque teneriora corpora nimium concutiat, et cerebrum, quod in infantibus ſummam teneritudinem habet, laedat atque offendat. Si enim cunae, non blando, ſed concitatiori, motu agitantur, vel, ſi remora quaedam cunarum fulcimentis ſubiecta eſt, quae motum impeditum et aſperiorem reddere poteſt, ſemper metus eſt, ne, dum cunae quatiuntur, etiam violentur tenella cerebri ac neruorum ſtamina, et exiliſſima receptacula, quibus ſanguis aliique humores in capite continentur. Summa enim illarum partium teneritudo illud ſine dubio efficit, vt pueros primis menſibus frequentius comitialis morbus neruorumque diſtentio occupet, id quod omnes medentes norunt. Nec a vero alienum eſſe vidctur, hos vehementiores concuſſus non ſolum diros hos morbos facere, ſed etiam puerorum ingenia hebetiora reddere, poſſe. Illis enim, qui ſic afficiuntur, idem accidere videtur, quod ebrioſis, qui, dum quotidie vino madent, tandem arterias, quae ad cerebrum pertinent, concitato ſanguinis motu ita diſtendunt, vt etiam ſicci perpetuo ſtupore torpere videantur. Arterias enim hac valenti totius corporis commotione etiam dilatari, a vero propius eſt. Apud vulgum res in prouerbio eſſe conſueuit, qui, ſi hominem vecordem atque ineptum delineare volunt, eum cunarum motu ſtupidum factum eſſe pronunciant, *er ſey thumm geboyet*. Nec etiam omni tempore haec exercitatio opportuna videtur. Nam, ſi pueri febrem habent ardentem, quae vehementius vrget, hac corporis motione ſanguis magis citatur, et febris intenditur, cui opportunior videtur quies, et ſi aegri ſic continentur, vt ſomnus per hanc et abſtinentiam accedat. Nec cunarum agitatione vtendum eſſe exiſtimo, ſi ex varia occaſione metuitur neruorum diſtentio, vel, ſi ea pueri iam laborant; in quibus omnia vitanda ſunt, quae ſenſus neruosque afficiunt. Haec vero, quae leuiora videntur, cum non parum ad infantum ſanitatem cuſtodiendam valeant, a medentibus negligi haud debent.

PROLVSIO XVIII.

QVA,

MEDICOS DE INSANIS ET FVRIOSIS AVDIENDOS ESSE, OSTENDIT.

PANEGYRI

ERICI KVESCH

D. XXIII. DECEMBR. CIↃ IↃCCXXXX.

PRAEMISSA.

Si medentium Ordini ſententia dicenda eſt de hominibus, qui, poſtquam truculenta, horendaque, facinora patrarunt, iudici, cui de his cognoſcendum eſt, inſaniae ſuſpicionem mouent, id non raro perarduum eſſe, ac difficile, fateor. Sceleſti enim homines, vt furoris ſimulatione culpam poenamque a ſe auertant, omnibus machinis adhibitis enituntur, quibus ſaepe tela ſubminiſtrant rabulae, atque latratores, vel inani gloriola, vel mercedula, inducti, qui nummis vendere verba ſolent. In eiusmodi caſibus, vbi de vita atque ſalute hominis decernendum, illud nobis verendum eſt, ne inſons, et qui ex lege aliquid excuſationis habere poſſit, ad vltimum ſupplicium rapiatur, ne vero etiam facinoroſus grauibusque flagitiis contaminatus fraude ſua atque malitia impunitatem conſequatur. Quapropter cordato medico, cui haec oculis obuerſantur, nihil minus optabile videtur, quam, vt frequens de eiusmodi infeſtis caſibus pronuntiandi ſit neceſſitas. Nec certe opus eſt, vt quis nos officii commonefaciat, cum id, quod vulgus haud ignorat, nec nos lateat, homicidam propter criminis atrocitatem, et ipſam rei publicae ſecuritatem, id etiam iubentibus diuinis humanisque legibus, morte eſſe puniendum.

Ca-

Caueant modo illi, qui omni data occaſione magnifica atque verboſa exhortatione vtuntur, qua alios quaſi ex ſomno excitare, et in ſuam, quam defendendam ſibi ſumſerunt, ſententiam perducere manibus pedibusque conantur, ne in ἀυθαδείας reprehenſionem incurrant, et videantur res ſuas adeo diligere, vt nihil, ab aliis profectum, ferre, ne dicam, probare, poſſint. Abſit enim, vt in honeſtos grauesque viros, ſi forte quaedam varietas inter eorum noſtramque ſententiam fuerit, ſuſpicionem conferamus, eos aliquid ex vana incertae mentis leuitate dixiſſe. Eſt enim haec imbecillitas humana, vt de rebus, quibus non omnis perſpicuitas atque ἐνάργεια eſt, alius aliter ſentiat, id quod etiam ab vtroque ex optimae mentis conſcientia fieri quandoque poteſt. Omni potius cura atque opera enitendum eſt, vt, ſi forte in his rebus quaedam occultata tenebrisque circumfuſa ſint, ea, quantum fieri poteſt, indies magis patefiant, ac illuſtrentur. Atque id a rerum peritis fieri oportet, et, vt Stratonici, citharoedi, verbis vtar: ἄδοι τὶς ἢν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. (1) Qui enim in alieno choro pedem ponunt, in hos eiusdem boni viri dictum quadrare videtur: Μὴ ἀνώτερον τᾶ σφυρᾶ. (2) Igitur, ſi de inſania, eiusque variis generibus, iudicium ferendum eſt, hoc ab iis potiſſimum fieri oportet, quibus omnia, quae ad omnem hominis naturam propius perſpecta ſunt, atque cognita, pertinent. Haud quidquam valere poſſunt leges, et qui putant, in legum nonnullarum verbis latentes notas hominis, non ſimulato, ſed vero, furore agitati, inueniri poſſe, ii non rectius ſentiunt, quam, ſi quis ex HIPPOCRATIS verbis leges excuteret de puniendis foeminis, quae grauidae partum in vtero enecauerunt, et, variis adhibitis auxiliis, abortum fecerunt. Medici igitur de dignoſcendis inſanis audiendi ſunt, id quod, iam argumentis certis atque diſtinctis probare, operae pretium erit. Non vero aliam ob cauſam haec a me ſcribuntur, quam, vt oſtendam, Medicos, ſi de actionibus, quae ex inſania profectae ſunt, iudi-

 cium

1) V. ATHENAEI *Deipnoſoph. Lib. VIII. C. X. p. 351.*

2) c. l. conf. PLINII *Hiſt. Nat. L. XXXV. C. 18. T. II. Ed.* HARD. *p. 696.*

cium ferunt, rationes habere apertas, certasque, alios vero, qui id, quod maiores ſapienter inſtituerunt, iam abolendum eſſe, ſine vllo argumento, contendunt, nullas. Neceſſarium vero videtur, vt quaedam altius, et quaſi a capite, repetam, quibus probari poterit, omnis verae amentiae atque furoris ſedem in corpore eſſe, atque eam etiam aliunde ortam huius affectionibus, vel commutationibus, ali, atque ſuſtentari. Eſſe in nobis aliquid, quod cogitat, (3) a corpore diſtinctum, nemo dubitabit. Quae enim corporis phyſici, vel, vt alii vocant, materiae, proprietates cognitae ſunt, eas omni cogitatione repugnare, et ab hac toto coelo differre, certum, et omnibus exploratum, eſſe, opinor. Nec vero etiam exiſtimandum eſt, illius, quod cogitat, naturam omnem cogitatione abſolui, ſed illud ex hac potiſſimum facultate cognoſcitur, quod cogitando etiam diſcendoque quaſi ali ac ſuſtentari deprehenditur. Anima enim ſine corpore, et ſine illa cogitatione, ad quam corporis miniſterium requiritur, exiſtere poteſt, quamuis ea, quamdiu corpori iuncta et hoc quaſi circumretita eſt, ſe ipſam aliter cognoſcere non poſſit, adeo, vt eius etiam ſe ipſam intuentis acies quaſi hebeſcere, et illa, dum de ſe ipſa cogitat, perturbari videatur. Omnis enim cogitatio per ſenſus, veluti per interpretes, ac nuntios rerum, oritur, et, ſi anima etiam ſuas cogitationes percipit, et de iis cogitat, illas tamen, de quibus cogitat, ex ſenſibus primum ortas eſſe, concedendum eſt. Senſibus vero, quos externos vocant, mirifice ad hos vſus factis, atque in corpore, capite potiſſimum, collocatis, intexti ſunt crebri multique nerui, ex cerebro educti, quibus mediantibus, omnem ſenſum atque perceptionem fieri, nemo, qui in phyſicis non plane plumbeus eſt, ignorat. Nam duobus potiſſimum humoribus vita corporis noſtri tenetur, ſanguine et neruorum ſucco. A corde enim arteriae, a cerebro et cerebello nerui, ad omnes corporis partes ducti, atque directi, pertinent. Per priores ſanguis omnisque calor et ſuccus, quo omnia aluntur, in viſceribus confectus atque

3) Vocabulo cogitationis omnem animae functionem intelligo.

atque praeparatus, in vniuerſum corpus diffunditur, ſanguis vero iterum per venas in cor influit. A neruis autem, et vitale robur, et omnis ſenſus, omnisque etiam motus, proficiſcitur. Sine neruis nullus in corpore ſenſus eſſe poteſt, qui etiam, ſi ii ex varia cauſa adducuntur, multum intenditur, et, ſi infirmi fiunt, atque reſoluti, hebeſcit, ac penitus amittitur. Neruis vero, quorum admirabilis quaedam implicatio eſt, dum, iis mediantibus, anima ſentit, nihil aliud accidit, quam, vt a rebus, quas ſentimus, earumque mole, figura, duritie, motu, aliisque, quibus corpora inter ſe diſcrepant, afficiantur, ita, vt minima ſaltem mutatio in iis, atque eorum extrema externaque parte, fieri videatur. Nolo nunc ad illam philoſophorum controuerſiam deſcendere, vtrum anima, vbique in corpore praeſens, in ipſis neruis ſentiat, an hoc fiat in cerebro, ita, vt ille in neruo factus motus ad cerebrum per neruum, veluti chordam tenſam, et ad id pertinentem, vel per fluidum perniciſſimum motum habens, quod in neruis eſſe ex multis indiciis cognoſcitur, adferatur. (4) Hoc notum, ac medentium obſeruationibus manifeſtum, eſt, compreſſo ab humore, aliisque rebus, vel praeciſo in animali viuo cerebro, et omnibus eius partibus, omnem ſenſum amitti, id quod etiam incidit, ſi neruus, qui ſenſum praeſtat, a quacunque re preſſus, vel, ſi is diſruptus, diſſectus, et a cerebro diuiſus, eſt. Ex hac vero nerui commotione in nobis excitatur idea, ſeu prima et inchoata intelligentia, ac quaſi ſpecies quaedam, quam etiam in nobis percipimus. Haec autem ſpecies, ſiue idea, quae illa nerui commotione in nobis gignitur, differt, tum ab ea nerui ac cerebri affectione, tum etiam ab illa rei, quam ſentimus, natura, eiusque motu. Homines enim, quamuis oculis videant, profundiſſime, niſi id aliunde acceperint, ignorant, qui fiat, vt refulgens radiis ſuis varium colorem habentibus lux in neruo optico hanc commotionem efficiat,

4) Nouis experimentis priorum ſententiam haud ita pridem confirmare ſtuduit ALEXANDER STVART *de ſtructura et motu muſcalari*, *Lond. MDCCXXXVIII. p.24.*

qua anima ſenſum accipit. Etiam ſonus humanae linguae, ſeu articulata vox, in homine, qui ſermonem intelligit, ideam gignit, quam non raro vehementes animi perturbationes ſequuntur, cum alius, idiomatis ignarus, ſonum, et praeter hunc haud quidquam, percipiat. Igitur obſcurum nobis eſt, vnde ſit, vt certae ideae animo comprehendantur, dum in ſenſibus, quos natura ſingulari artificio machinata eſt, quidam nerui aliqua ratione commouentur. Illa ſpecies, ſeu idea, eſſe ſolet clara, diſtincta, viuida, atque perfecta, ſi talis fuit illa nerui ſentientis a re, quae ſentitur, affectio, et haec etiam aliquoties fuit repetita, et ſi caeteroquin ſenſui, neruis, et cerebro, integritas eſt. Iam vero quaſi tranſitus fit huius mutationis, quae in corpore accidit, in ipſam animam, quippe quae illam ſpeciem, ſiue ideam, per ſenſum aduenientem eique obiectam percipit, id quod, quomodo fiat, me ignorare profiteor. Illud noui, a corpore eiusque motibus cogitationem oriri, a cogitatione corpus moueri, et ſaepe vehementer commutari. Si tamen exiſtimandum eſt, id aliquo loco fieri, illud in cerebri medulla contingere, a vero propius, vel eam ob cauſam, eſſe videtur, quod omnes nerui, ſenſum praeſtantes, ad eam feruntur, et quod, cerebro compreſſo, aboletur omnis ideam gignendi percipiendique facultas. *Senſorium commune* vocant illam cerebri partem, ad quam omnes illi nerui pertinere videntur. Idea vero ſic ex ſenſu genita et huic cum aliqua ἐνεργείᾳ quaſi impreſſa manet, ita, vt etiam aliis ideis, poſtea ortis, non facile deleatur. Ea potius ſubinde non ſolum ipſius nerui, hunc ſenſum praeſtantis, ſed etiam aliorum aliqua affini commotione repetitur, id quod nobis, id volentibus, aeque ac inuitis, accidere, conſtat. Igitur ideae nobis obuerſantur, repetuntur, imo gignuntur, aliae, rerum etiam, quae procul a ſenſibus abſunt. Cum autem poteſtatem habeamus, has, rerum non ſolum olim perceptarum, ſed etiam aliarum, ex his compoſitarum, fictarumque, ideas producendi, facultas oritur, quae *imaginatio*, vel *phantaſia*, dicitur, cuius maximae vires ſunt, et, quae non raro a variis rebus, quibus alii, et-

iam

iam viſceribus innexi, nerui, atque ab his cerebrum, afficiuntur, non minus excitatur, quam a rebus, quae ſenſus feriunt. Si imaginatio illa quacunque occaſione ex idea viuida, et ſaepius repetita, exercitata, et quaſi inflammata, eſt, accedit opinio firma, et perſuaſio, rem, quam homo percipere ſibi videtur, etiam exiſtere. Quoniam idea non ſolum retinetur, ſed etiam, ſi iterum repetitur, nos, iam olim illam a nobis fuiſſe perceptam, recordamur, imo, quoniam per affines, atque quaſi propinquiores, ideas eam, quam iterum, vt reuertatur, optamus, poſſumus reuocare, alia eſt facultas, quae *memoria* dicitur. Tandem etiam idea rerum ſenſibus perceptarum *voluntatem* incitat, vel non incitat. Si poſterius accidit, illa idea ἀδιάφορος eſt, ſi vero ea voluntas incitatur, oriuntur τὰ πάθη, animi perturbationes, ſeu affectus, qui omnes amore atque odio continentur. Si vero illa πάθη, vel re, mediantibus ſenſibus, percepta, atque inde genita, vel per memoriam repetita, idea, incitantur, ea etiam corpus conuellunt, et ita afficiunt, vt in eo inſoliti motus cieantur. Inter hos tamen motus diſcrimen eſt. Nam quidam affectus, ſubito, magnaque cum vehementia, tempeſtatis ad inſtar, orti, ita corpus quatiunt, vt quandoque etiam ſubitus, et inſperatus, vitae finis ſequatur, alii vero, qui magis cunctanter procedunt, corpus etiam valde, et nonnunquam adeo, affligunt, vt illud, longis deſperatisque morbis obnoxium factum, etiam ad mortem perduci quandoque ſoleat. Nec omittendum eſt, a quibusdam affectibus certos quoſdam muſculos cieri, id quod, vel riſus, atque fletus, teſtantur. Illos muſculorum motus pictores norunt, qui hominum affectibus commotorum faciem poſitumque arte ſua exprimere atque imitari ſolent. Id etiam, magno adhibito ſtudio, moliuntur, qui ad pietatis imitationem, et aulici, qui ad principum magnatumque mutationes, vultum totumque corpus componere ſtudent. Supereſt illa palmaria ac princeps facultas, quam, reliquarum omnium praeſidem atque moderatorem, *rationem* vocamus. Haec, vt CICERONIS (5) verbis vtar,

5) *de Finibus L. II. C. XIIII.*

vtar, *cauſas rerum et conſecutiones videt, ſimilitudines transfert, disiuncta coniungit, et cum praeſentibus futura copulat, et omnem vitae conſequentis ſtatum complectitur.* In beſtiis, praecipue praeſtantioribus, quae etiam ſenſibus inſtructae ſunt, quibus imaginatio atque memoria denegari haud poteſt, et quae, ira, aliisque perturbationibus, incitatae, ſaepe furentes ac violentos impetus faciunt, eſt rationis ἀνάλογον. Homo enim, adhibita alia facultate, quam *attentionem* vocare licebit, non ſolum de cogitationibus atque actionibus ſuis cogitare, res, quae reapſe ita iunctae ſunt, vt ſeparari nequeant, diuidere, et quaſi abſtrahere, poteſt. Oritur ergo ex ea facultate illa intelligendi vis, qua res diuidere, ad claſſes et genera reuocare, poſſumus, quam cognitionem alii *notionem vniuerſalium* vocant. Numeros, omnemque quantitatem, nos homines nouimus, atque aeſtimamus, quamuis res, in qua illa eſt, nulla ſit: Qua mentis noſtrae facultate nititur logica et matheſis. Dum etiam actiones hominum plurimum intuemur, et inter ſe comparamus, vel diuidimus, naſcitur notitia virtutum atque vitiorum, nec non, quae his conſtituuntur, praemiorum, atque poenarum. Homo igitur, adhibita illa attentione, ſe ipſum contueri, et ideas, in ſe genitas, atque ab his orta deſideria, perpendere, eas ad praeſcriptam legem normamque dirigere, et omnium rerum euentorumque, praecipue propriarum actionum, conſequentiam praeuidere, poteſt. Haec ſi diligentius adhibita illa attentione excutiuntur, a viuida, quae naſcitur, atque diſtincta, cognitione gubernatur voluntas, ita, vt praecipiente ratione nobis imperare, appetitus, etiam eos, qui ex corporis conſtitutione oriuntur, alimentorum atque voluptatis venereae deſideria regere, animi motus atque affectus coercere, poſſimus. Nam, ſi quid ego ſentio, illi, qui, omnibus his appetitionibus motibusque abrepti, iis conſentaneas actiones ſuſcipiunt, et flagitioſe ac turpiter faciunt, ſcelus conantur, inconſideratae temeritatis pleni, nulla neceſſitate preſſi, ſumma, et capitis, pericula adeunt, vel aliud quid prauum atque peruerſum producunt, illi, inquam, omnes

eam

eam adeo neceſſariam attentionem haud adhibuerunt. Hac enim ſi vſi fuiſſent, omnibus recte perpenſis atque excuſſis, intellectus dilucidam notitiam conſecutus eſſet, qua poſt etiam ipſa voluntas ad meliora flecti potuiſſet, atque dirigi. Hanc attentionem aliorum monitis, conſilio, adhortatione, praeceptis, et legibus, excitari, iuuari, atque roborari, nemo ignorat. Quemadmodum vero corpus in omnibus motibus, ſic etiam mens in ſuis actionibus, exercitatione multum firmatur. Igitur etiam homo, hac diligentius adhibita attentione, per conſuetudinem, et quaſi exercitationem, expetitam facultatem firmamque facilitatem habitumque conſequitur, ſe ſuasque actiones regendi, quare is prudens, a prouidendo, recte, omniumque conſenſu, dicitur. Stultus enim, neglecta egregia atque diuina hac facultate, attentione, ſolis appetitionibus, ex corpore ortis, atque inde natis animi commotionibus, obedit, quibus is agitatus, iis ſimilis, qui in mari ſine gubernaculo fluctuant, ſcopulos euitare neſcit, ſed omnia ſtulte atque incaute agit, et tandem ſaepe fortunarum, honoris, omniumque rerum, aeternae etiam felicitatis, naufragium facit. Homo ob id legibus gubernatur, beſtia ſenſu, et ſenſus, quo ea olim affecta fuit, memoria. (6) Sed, dices, quorſus haec omnia ſpectant? quo tendit haec ambagibus plena molitio? Id, quod in homine accidit, qui integro ſtatu et omni valetudinis proſperitate vtitur, me exequi oportuit, vt nunc oſtendere poſſim, omnes has animae cogitantis functiones, et inter has etiam illam principem ac praeſidem, rationem, turbari atque euerti rebus, quae in corpore incidunt, et ſi hoc aliquo morbo impeditum, vel oppreſſum, fuit. Duo autem ſunt, ex quibus frequentius graues longaeque valetudines naſcuntur, ſi fibrarum omnium naturale, et illud neruorum vitale, robur reſolutum eſt, et, ſi ſanguis, nec bonus eſt, nec

6) Ne ambiguitas in verbis ſit, quilibet videt, me hic per ſenſum ſignificare ipſum motum neruis impreſſum atque perceptionem, ſupra autem eodem vocabulo denotaui illud in corpore organon, quo medio ſentimus, videmus, audimus.

nec ſuo, quo decet, motu per ei accommodatas arterias, venasque, perlabitur. Naturale fibrarum robur ab elementorum cohaeſione dependet, ex qua etiam oritur illa, in quibuſdam veluti prae caeteris in arteriis tendinibusque conſpicua vis, qua fibrae, alia vi extrinſecus ſuperueniente, preſſae cedunt, adduci flectique poſſunt, mox vero, illa ſublata, in priſtinam ſedem ac figuram reuertunt, atque ſe contrahunt. Nerui vero habent aliam virtutem, quam ex illo ſucco, qui in cerebro et cerebello praeparatur, eosque permanat, conſequuntur. Si vtrumque hoc robur, et praecipue arteriarum, ad cogendum mutandumque, ac quaſi concoquendum, omnem humorem adeo neceſſarius renixus, valde imminuitur, ſuccus crudus manet, nec ad corpus alendum, nec ad alios teneriores ſuccos, inter quos etiam ille eſt, quem in neruis eſſe dixi, conficiendos ſatis idoneus. Cordis motus ſi turbatur, et, cum ſanguis non ſatis ſubactus eſt, vitiantur omnia humida, et illud etiam, quo fibrae aluntur, quae debiles laxaeque fiunt, et corpus infirmum reddunt. Etiam, ſi ſanguis, nec bonus, nec eo, quo decet, motu ad cerebrum profunditur, neruorum ſuccus non perfici poteſt, quare etiam in neruis illa vitalis vis reſoluitur. His ita poſitis, non dubitari poterit, ad ſenſum atque cogitationem haec duo, quibus omnis fere corporis valetudo tenetur, etiam requiri. Certe ad omnem ſenſum, et cogitationem, neceſſarium eſt, vt ſanguis, qui ex toto corpore in cor confunditur, bene confectus ſit, vtque is ex hoc in omne corpus ſuo, ſedatoque, motu perlabatur, vt vero etiam fibrae neruique habeant aequabilem ſuam firmitatem. Atque igitur exiſtimandum eſſe opinor, has animae facultates turbari, inuertique, ſi motus illi in corpore, vel languidi ſunt, vel concitatiores, vel alia ratione turbati, ac inconditi, et ſi humores corrupti ſunt. Crebra etiam animaduerſione haec perſpecta ſunt, ita, vt de iis nemo dubitare poſſit. Quod enim ad ſenſus extrinſecus in corpore collocatos attinet, oculis, in aere quaſi volitantes conſpiciuntur bullulae, fere pellucidae, ſi in tunica choroidea ſub retina venae minores, lym-

lymphae accommodatae, intumuerunt, maculae vero obſcuriores et nigreſcentes, ſi id accidit arteriis, venisque, per quas ſanguis ducitur. (7) Si neruus opticus conuellitur, oculis obuerſantur micantia ac coruſca fulgura, quibus omnia, quae homo videt, collucent. Ex conuulſis neruoſis fibris ligamenti ciliaris, forte etiam ex celeriori humorum motu per retinam, et ſi huius fibrae, ſummam teneritudinem habentes, non aequaliter intenduntur, atque eam conuelluntur, naſcitur illud imbecillitatis genus, quod ἀμβλυωπίαν vocamus. (8) Homo enim videt, ſed minus diſtincte, ita, vt res, quas ille cernit, vacillare, moueri, numero etiam augeri, atque multiplicari, videantur. Ebriis, et, qui vertigine caduca laborant, hoc frequens eſt. Nihil dicam de eo valetudinis genere, quo homo rerum, quae ſub aſpectum veniunt, non niſi dimidium cernit, reliquum non cernit, quod etiam oritur, ſi nerui optici pars reſoluta fuit. (9) Quemadmodum vero anima per oculos videt, per aures audit, ſic etiam illa per cerebrum, et huius fibras, percipit, et cogitat. Nolo repetere, cerebro, a quacunque cauſa compreſſo, perire omnem ſenſum, atque cogitationem. Infantibus nulla fere cogitatio, nec rerum ſenſibus perceptarum memoria, eſt, quia fibrae nimiam teneritudinem habent, quae, vergente aetate, iterum torpeſcunt. Illud vero non modo mirabile, ſed etiam portenti ſimile, nonnullis viſum fuit, foeminam, quae per viginti annos ſuae mentis haud fuerat, (*ſubiect to the Fits of Lunacy*) de alta praeruptaque rupe delapſam, et ita proſtratam, vt ei humerus etiam fractus fuerit, ex hoc caſu illa valetudine fuiſſe leuatam: (10) non aliam certe ob cauſam, quam quod in cerebro hoc vehementi motu mutatio facta fuit. Vanas

 igitur

7) Vide ARCHIBALDI PITCARNII *Elementa Medicinae Phyſ. mathem. Lib. II. C. XIII.* et EIVSDEM *Diſſ. med. p.* 12.

8) V. *The Medical Eſſays publiſhed by a Society in Edinburg, Vol. IIII. Obſ. XIIII. pag.* 207.

9) ABRAHAMI VATERI *Diſſ. de Viſus vitiis duobus rariſſimis, duplicato et dimidiato, Witteb. MDCCXXIII.*

10) V. NICHOLAS ROBINSONS *New Syſtem of the Spleen-Vapours and Hypochondriack Melancholy, London, MDCCXXVIIII.*

igitur imagines accipit anima, et ideae excitantur alienae, non ſolum, ſi externi ſenſus mutati ſunt, ſed etiam, ſi cerebrum aliter affectum eſt, id quod quilibet deprehendere poteſt in homine, qui, ſomno vinoque merſus, vel febrem habens, aliena loquitur. Cum vero illae ſaepius commemoratae ſpecies, vel ideae, in cerebro, per neruos, et horum aliquam commotionem, gignantur, fieri poteſt, vt, ſi, vel ipſi ſenſibus accommodati, vel alii nerui, ad cerebrum etiam pertinentes, ſimili ratione fuerint commoti, etiam ſimilis efficiatur idea. Melancholiae enim atque inſaniae, cuius plura genera ſunt, prima origo non ſemper in cerebro eſt, ſed ſaepe in viſceribus. Nihil dicam de variis venenorum generibus, quae in cane rabido, tarantula, aliisque animalibus, et herbis ſoporiferis, hyoſcyamo, ſtramonio, aliisque, ſunt, ſed ex innumeris fere vnum, in vulgus etiam notum, adducam. Foeminae non raro deſipiunt, ſi iis menſtrua non proueniunt, (11) viri, ſi haemorrhoides, alias ſanguinem fundere ſolitae, ſuppreſſae ſunt, (12) cum vtrumque ſanguinis profluuium aliquam purgationem habeat. Virgines quandoque inſaniunt, ſi iis, voluptates appetentibus, non licet venere vti. Tales vero omnes breui ad ſanitatem perueniunt, et mens componitur, ſi illis humoribus, qui, ad viſcera incli-

11) Conf. HIPPOCRATEM *de Virginum morbis, Edit.* LIND. *T. II. p. 356.* et EVNDEM *de Superfoetatione* §. 24. *T. II. p. 660.*

12) V. HIPPOCRATEM *de morbis Epidem. L. V. §. 31. T. I. p. 766.* Hoc ego olim expertus ſum in homine ruſtico, ad quem me adduxerat Doctiſſimus Vir BENIAMIN GOTTL. GARMANNVS, CHRISTIANI FRIDERICI filius, arte, quam facit in patria, quae nobis communis, Chemnicium, eſt, nobilis et clarus, mihi vel propter amicitiam, quae inter nos a teneris contracta cultaque fuit, diligendus. Homini illi agreſti, cum malis inteſtinorum torminibus excruciaretur, perſuaſio erat, inteſtina omnia ab vxore, etiam non praeſente, magna vi adhibita, ex abdomine educi, et in orbes glomerari. Atque obſeruauimus, tormentum, prodeunte in conſpectum vxore, multum intendi. Iam plures, morbum ex veneficae mulieris faſcino ortum eſſe, clamitauerant, ſed, cum ex certis indiciis deprehenderemus, ora haemorrhoidum ſanguinem fundere, ſolita ſuppreſſa eſſe, dedimus medicamentum, quo aluus ducta fuit. Deiecit cum ſanguine multam atque tenaciorem pituitam, et, omni inſania diſcuſſa, conualuit.

clinati, horum neruos adficiunt, exitus datur. (13) Nam humidis, quae in corpore relicta corrumpuntur, partes neruosas, et per hos cerebrum, affici, vt anima etiam vanas imagines accipiat, a vero propius est. In nulla tamen cogitationis specie maiores mutationes fiunt, quam in phantasia, praesertim, si aliae ideae, memoriae infixae, repetuntur, et multo magis, si phantasia vehementioribus, et cum impetu erumpentibus, vel animo pertinacissime insidentibns, πάθεσι concitatur, et quasi incenditur. Vanae enim imagines, quas tales miseri accipiunt, ita inhaerent, et mens illis adeo addicta est, vt nulla adhibita ratione deleri, et ex animo euelli, queant. Sed vero hic obloquentes audio: igitur, si phantasia per τὰ πάθη incitatur, concedendum erit, hanc mutationem non a corpore, sed a voluntate, fieri, cum omnis affectus in voluntate consistat. Sed, qui ita sentiunt, eos oportet et nosse, qualis haec sit, vbi ea sibi relicta et sine animi perturbatione est, et quoque considerare illa τὰ πάθη. Phantasiam quibusdam corporis motibus excitari, docent Poetae, qui, postquam vino incaluerunt, plena grauiaque carmina fundunt. Nam

ENNIVS *ipse Pater nunquam nisi potus ad arma*
Prosiluit dicenda. (14)

At vinum etiam et inter pocula plures diserti fiunt, qui ad aquam, et in foro, magis muti sunt, quam pisces. Si igitur ingenium rebus, quae in corpore sunt, acuitur, aliturque, minor dubitatio erit de πάθεσι. Corporis habitus, et sic dictum temperamentum, aetas, victus, homines ad nonnullas animi commotiones perturbationesque haud minus procliues reddit, quam ad varias corporis aegrotationes Totum vero discrimen inter homines in illa hu-

13) Mulier insaniens, per vrbem Italiae peragrans, incidit in tabernam meritoriam, et vna nocte plurium venere defatigata fuit. Ei, cum per multos annos menstruis purgata haud esset, accidit multi sanguinis profluuium. Mane, non sine magno pudore, menti restituta discessit. Vide ALEXANDRVM BENEDICTVM *de re medica L. I. p. 23.*

14) HORATIVS *L. I. Epist. XVIIII. v. 7.*

midorum mobilitate atque in fibrarum partiumque ſolidarum robore eſſe videtur. Ad animum abiectum iacentemque hominis meticuloſi erigendum ſaepe plus valet vini Opimiani potio, quam rationes argumentaque grauiſſima, et ad perſuaſionem maxime appoſita. Animi quoque ferocitas deprimitur, audacia et bellica virtus frangitur, ſanguinis profuſione, aliisque, quibus corpus exhauritur. Quod contra magno etiam et expertae virtutis Duci MARLEBORVGHIO ante obitum accidiſſe legimus, (15) et, quod ipſe in aliis aliquoties obſeruaui, viri olim ſtrenui atque firmiores, imo celſo et erecto animo praediti, ſi eorum corpus neruorum reſolutio infeſtat, hunc animum adeo abiiciunt, vt, re fere quauis, quae vel mediocrem, tum voluptatem, tum dolorem, adferre poteſt, commoti, lacrymas profundant. Etiam medentibus notum eſt, quosdam aegros, praecipue, qui hypochondriaco malo conflictantur, vix non omnes, adeo timidos et nullius fere animi eſſe, vt vitae ſalutisque ſuae deſperent, alios autem, inter quos ii prae caeteris ſunt, quos periculoſius aqua inter cutem, et tabes, male habet, quamuis extremus ſpiritus iis in primis fere ſit labris, optima felicis euentus ſpe teneri atque ſuſtentari. Huius rei cauſam cum NICOLAO ROBINSONIO (16) eſſe exiſtimo, quoniam in priori valetudinis genere nerui ſenſum habentes maxime affliguntur, in altero vero humores vitiati ſunt, horumque minora receptacula. Nec ob haec, et alia, opinor, quenquam inficiaturum eſſe, τὰ πάθη, quae iure animi morbi dici poſſunt, ex corporis habitu atque aegrotatione naſci, augeri, roborari, inuerti, ac deprimi. Id vero etiam de memoria confitendum eſt, ſine qua phantaſia vix conſiſtere poteſt, quae varia etiam corporis valetudine aboletur. Si nullus ſanguis ad cerebrum confluit, id quod in Syncope, quieſcente corde, et in apoplexia, compreſſo cerebro, fit, perit omnis ſenſus, et nulla rerum, quae illo tempore contigerunt, recordatio eſt. Si in epilepſia teneriores cerebri fibrae, et cum his muſculorum nerui, vehementius diſtenduntur, aeger nullum, tum ex hac

15) ROBINSON *c. l. P. I. C. VI. p. 83.* 16) *c. l. P. II. C. III. p. 194.*

hac diſtentione, tum ex vrente etiam igne, extrinſecus admoto, dolorem ſentit, nec etiam, quid ſibi acciderit, nouit. Caeteroquin innumerae proſtant obſeruationes, memoriam ex nimia venere et vſu medicamentorum calidorum, (17) ex febre maligna, (18) ex colica ſpaſmodica, (19) aliisque, intercidiſſe. Id olim ex peſtilenti morbo, qui Graeciam depopulatus eſt, contigiſſe, et conualeſcentes tantam rerum ſuarum obliuionem cepiſſe, vt, neque ſe ipſos, neque neceſſarios, agnouerint, ex THVCIDIDE (20) diſcitur. Equidem, vt propius ad exitum perueniam, ex his conceſſis concludi poterit, omnem phantaſiam ex ſenſu et memoria naſci, eam vero mirifice excitari, tum illis animi perturbationibus, tum variis morbis, atque rebus, quae in corpore praeter naturam exiſtunt. Superuacuum foret, mirabiles, et non raro furiatas, phantaſiae vires multis iam exſequi, et praeſtantiſſimorum Medicorum hiſtoriis illuſtrare. (21) Phantaſia enim, rebus, quae in corpore ſunt, excitata, arripit nonnunquam aliquam ideam, praecipue, ſi haec, vt ſupra retuli, per τὰ πάθη, vel aliquam conſuetudinem, viuidior facta, et cerebro cum aliqua ἐνεργείᾳ impreſſa, fuit.

17) V. GEORGII WOLFGANGI GILGII *Diſſ. de Memoriae laeſione ex nimio veneris vſu, Altd. MDCXCI.*

18) V. HERMANNI PAVLI IVCHII *Diſſ. de Singulari memoriae imbecillitate ex febre maligna, Erf. MDCCXXXI.*

19) V. CHRISTIANI VATERI *Diſſ. de Memoriae et capitis laeſione grauiſſima a colica ſpaſmodica, Witteberg. MDCCXXII.* conf. *the Poſthumous Works of* ROBERT HOOKE, *pag. 140.*

20) *Hiſtor. L. II. Cap. L. p. 129.*

21) Iam HIPPOCRATES *de Virginum morbis c. l.* de puellis, viro maturis, varia morborum genera, et inter haec etiam illud, recenſuit, quo miſeris voluptas eſt, qua mortem, veluti bonum aliquod, amant. ALEXANDER TRALLIANVS *L. I. C. XVI. p. 35.* de melancholicis, inter plures alios, etiam retulit eos, qui φιλῶσι τὸν Θάνατον, et alios, qui φιλῶσι τὴν σφαγὴν, ſeu, qui, vt id interpretes reddunt, iugulari optant. Plura alia egregia habet TRALLIANVS, qui de PHILODOTO Medico etiam prodidit, eum quendam, qui, ſibi caput praeciſum eſſe, putauit, impoſito repente plumbeo pileo, curaſſe. Conf. inter alios MARCELLI DONATI *Hiſt. med. mirabiles L. II. c. 1.* EX ROBINSONIO *P. II. c. 2. p. 191.* illud addimus, fuiſſe virum nobilem doctumque et in philoſophia etiam exercitatum, qui putauit corpus ſuum eſſe *a Hobby-Horſe, Steckenpferd*, vel id, quod Poeta his verbis exprimit:

equitare arundine longa.

Hic omnes inuiſentes amicos, oblato tergo, inuitauit, vt id conſcenderent.

fuit. Qui libidine et amore incenſi ſunt, ſi illis ex alia occaſione animus perturbatur, effrenata etiam libidine agitantur, qui in rerum ſacrarum contemplationibus atque lectionibus multum verſati ſunt, tandem, incitata phantaſia, vaticinantium in modum, voces triſtificas magno cum impetu promunt, et fatale patriae excidium produnt, tandemque etiam cum his neruorum diſtentionem paſſi inconditis plane ac concitatiſſimis corporis motibus agitantur.(22) Non parum confert ad haec omnia, ſi cerebri medulla tenerior, et ad has ſpecies recipiendas magis accommodata, et quaſi nimis irritabilis eſt. Quemadmodum enim nerui ex varia occaſione, praecipue, ſi illi aliquantum adducuntur, magis ſentiunt, ita etiam illae tenerrimae cerebri fibrae, quibus interni ſenſus praeſtantur, ex variis cauſis, plus minuſue, his aptatae ſunt, et aliae fibrae, quae ad muſculorum neruos pertinent, etiam maiorem habent mobilitatem. Phantaſiae autem ex alieno ſenſu falſaque idea ortae, ſuis cauſis incitatae, ac, his manentibus, quaſi corroboratae, accedit tandem, vt PLINII (23) verbo vtar, attonita perſuaſio, quam miſeri, qui ita affecti ſunt, ſibi de re, quam ſibi ſentire videntur, induunt. Haec longe validior eſt, quam omnis ratio, et ſuperat etiam ac deprimit illam diuinam attentionem, et cogitationum propriarum actionumque intelligentiam; Quare in aëre piſcantur, qui argumentis, etiam dilucidis ac grauibus, hanc phantaſiam impugnare, et iis vanam perſuaſionem auertere, atque ex animo euel-

22) Vid. *Le Naturaliſme des conuulſions dans les maladies de l'Epidemie conuulſionaire, a Soleure (Lutetiae) MDCCXXXIII.* cuius Autor fuit PHILIPPVS HECQVET, Medicus Pariſienſis pluribus ſcriptis editis clarus. Aliud genus inſaniae deſcribit ARETAEVS *de Cauſis et ſignis morborum diuturnorum L. I. C. VI.* Quidam *membra ſibi conſcindunt, Diis ſuis, quos id a ſe expoſcere credunt, ex religioſa quadam opinione gratificari ſe exiſtimantes. Id genus furoris in perſuaſione quadam omnino conſiſtit, cum in aliis rebus ſapiant. Excitantur autem, aut tibiae cantu, aut hilaritate, aut temulentia, aut praeſentium hortatu. Furor hic a Diis immittitur. Poſtquam autem conquieuerunt, hilares, et cura ſoluti ſunt, Deorum ſacris ſe initiatos eſſe cenſentes, decolores tamen, et extenuati, et infirmi ex vulnerum doloribus diu remanent.*

23) *H. N. L. XXV. C. I. T. II. p. 498.*

euellere, conantur; quibus omnibus nihil aliud plerumque obtinent, quam, vt ea, per repetitam his argumentis ideam, maiores vires acquirat. Qui ſacro furore cientur, hanc viuidam ideam et incitatam phantaſiam cum perſuaſione lucem vocant ſibi intus obortam, haec omnia ad numinis diuini inſtinctum, afflatumque, referunt, atque ſic ſaepe, et ſe ipſos, et alios, nimis credulos, fallunt. Vbi ideo anima his vanis imaginibus pertinaciter addicta eſt, morbus eſt, cui occurrere, vel mederi, non poſſumus, niſi is, et omne, quod illam phantaſiam alit, atque incitat, tollatur. Si vitium in humidis eſt, id, quod corruptum fuit, educi, vel inuerti, oportet. Si, quod frequens lienoſorum virorum et hyſtericarum foeminarum malum eſſe opinor, (24) totum corpus infirmum eſt, et fibras atque neruos perquam imbecillos habet, corpus exercitatione, frictione, ſalubri victu, abſtinentia, firmandum eſt, quibus rebus, diu multumque adhibitis, morbus, interdum deſperatus, vincitur. Morbus vero etiam dicendus eſt illa cerebri affectio, quae ex aliis cauſis orta fuit. Nemo enim negabit, plures deſipere, qui caeteroquin corpore ſalubri ſunt, qui vero, vel ex vehementioribus deſideriis, et animi perturbationibus, vel ex acri literarum ſtudio, ac meditatione, de omni mentis ſanitate deturbantur. De illis animi perturbationibus, vel πάθεσι, iam conſtare arbitror, illa maximam vim in perturbando conuellendoque corpore habere. Qui vero, incitatius ad ſtudia incumbentes, ex intenta longaque meditatione, atque ingenii exercitatione, vere deſipiunt, horum cerebrum etiam male affectum eſt. Nam, huius miniſterio animam cogitare, ſupra retuli. Laeſo enim, et exulcerato, ſicco, et arido facto, et multis aliis modis vitiato, cerebro, mentem etiam mutari, omnemque praecipitari, corpora, poſt obitum inciſa, Medicos docuerunt. (25) Et veriſimile eſt, cerebri

24) Id ſingulari ſtudio executus eſt ſaepe iam adductus ROBINSONIVS *c. l.*

25) Vid. plures obſeruationes in THEOPHILI BONETI *Sepulchreto Anatom. L. I. Sect. X. p. 206 ſq.* conf. HENRICI AB HEER *Obſ. med. c. Spadacrene editas Obſ. III. p. 45.* aliam THEODORI ZWINGERI *in Ephem. Nat. Cur. Dec.*

cerebri teneriores fibras, quae ad omnem cogitationem neceſſariae ſunt, nimia exercitatione infirmari, conuelli, aliaue ratione mutari, atque affici, quemadmodum in aliis corporis ſedibus nerui, facultatem ſenſus praeſtantes, per nimium ſenſum, ſuam facultatem amittunt. Si vero ex eiusmodi occaſionibus labes cerebro illata fuit, illa plerumque manet, et raro permittit, vt animus poſſit iterum componi. Nam et hoc obſeruatio docuit, eos, qui ex literarum ſtudio deſipere coeperunt, longe difficilius ad ſanitatem redire, quam illos, quibus inſania ex vitiato aliquo humore, aliaue corporis valetudine, quae tolli poteſt, enata fuit. Iam vero etiam illud patefieri, atque illuſtrari, poterit, in quo potiſſimum totius rei cardo vertitur. Cum enim homines, qui, cupiditatibus ardentes, illisque πάθεσι, et vehementioribus perturbationibus, incitati, parum ab inſanis ac furentibus diſcrepare videantur, illud quaeritur, qualis inter inſanum furentemque et inter ira incenſum ſit diſtinctio, cum et hic de poteſtate, id eſt de conſilio, de ratione, de mente, exiiſſe videatur. Sed diſcrimen exitu, et temporis longinquitate, atque breuitate potiſſimum, deprehenditur. Qui enim animo, ira, libidine, aliisque cupiditatibus, percito, rabioſe agunt, illi, poſthabita mentis attentione, dominatum permittunt τῷ πάθει, ſed ad breue tempus. Nam, poſtquam ira, aliaeque cupiditates, deferbuerunt, id quod celerius plerumque accidit, ſi valde vehemens fuit ac praeceps animi commotio, mens iterum componitur, et hominem, qui ſe ipſum contuetur, dedecentis malique facinoris poenitet, pudet atque piget. De iis loquor, qui, incitata per τὰ πάθη voluntate, contra rationem agunt, non de aliis, quibus animus iam obfirmatus, et aſſuetudine mali efferatus, eſt. Homo vero demens, et cuius anima vanis imaginibus addicta eſt, ſi is ex furore egit, poſt commiſſum etiam flagitium, ſibi plerumque applaudit, maxime, ſi, patrato facto, id, cuius cupiditate is indu-

Dec. II. A. VI. Obſ. 234. *p.* 450. et IOHANNIS DOMINICI SANTORINI *Obſ. Anat. Cap. III. p.* 33. quo etiam referre poſſum id, quod in huius vrbis valetudinario aliquando obſeruaui, vide *Compendium Chirurgiae §.* 531.

inductus fuerat, conſequi potuit, vel illud ſe conſecuturum eſſe ſperat. Nam in tali iam ab impreſſa viuida ac ſaepius repetita idea immutatum eſt cerebrum, per hoc corrupta phantaſia, et ab hac quoque concitata voluntas, vt idea ſemper fere homini obuerſetur, quae omnem rationem deprimit, et quaſi exſtinguit, hominem vero vrget, cogit, et ad id, quod in turbato animo habet, exſequendum compellit. Ratione igitur haec idea in vere deſipiente ſuperari nequit, quae in aliis, ſanis, animi vero perturbatione commotis, modo adhibere velint illam homini diuinitus datam attentionem, leuato illo primo illius impetu, nouas iterum vires colligit, et animum ad meliora conuertit. Nec illud omittendum eſſe ſentio, eos, qui vanis imaginibus addicti ſunt, et corrupta phantaſia laborant, minime in aliis ratione carere. Tales prudenter de omnibus loquuntur, et, vt CELSI (26) verbis illud exprimam, *etiam artes adhibent, ſummamque ſpeciem ſanitatis in captandis malorum operum occaſionibus praebent.* Dolus itaque inſanientium eſt, qui etiam, poſt commiſſum flagitioſum factum, huius, et omnium, quae illo tempore inciderunt, recordantur, imo, qui, eodem CELSO teſte, *dum leuari vinculis cupiunt, ſanos ſe fingunt, et prudenter ac miſerabiliter loquuntur.* Hoc vero vnde ſit, ex hactenus dictis intelligi exiſtimo. Idea enim illa infixa non totum cerebrum, omnesque huius fibras, ſed pauciores ſaltem, laedere videtur. Inſania itaque morbus eſt corporis, quo hominis cerebrum ita afficitur, vt is, vel de omnibus, vel de nonnullis demum, rebus recte cogitare et voluntati ſuae

 impe-

26) *de Re medica L. III. cap. 18.* ARISTOTELES *de Mirabilibus Auſcultationibus in Edit.* PETRI DVVAL *de anno MDCXXVIIII. T. I. p. 1152.* retulit, de caupone Tarentino, eum nocte quidem inſaniuiſſe, interdiu vero vina vendidiſſe, ſed clauiculam domus ſuae in zona ita conſeruaſſe, vt eam, quamuis plures ſuripere tentauerint, nunquam amiſerit. Et GALENVS *de Symptom. differ. Cap. III. Edit.* CHARTERII *T. VII. p. 35.* prodidit de THEOPHILO, Medico aegrotante, eum in caeteris omnibus prudenter diſſeruiſſe, et praeſentes exacte nouiſſe, ſed tamen ei illud perſuaſum fuiſſe, tibicines quosdam in angulo quodam domus aſſidue tibiis modulari ac ſonos edere. Eum igitur precibus obteſtatum eſſe omnes, vt hos domo eiicerent.

imperare nequeat. Is vero insanire dicitur, qui intra verba desipit, aut leuiter etiam manu peccat, furere vero alius, qui se violentius gerit, et, vel sibi, vel aliis, nocet. In causam vero, ex qua haec valetudo orta fuit, nullam discrepantiam conferre possumus. Nam furor ἐνθουσιαζόντων, ex acriori rerum sacratissimarum meditatione ortus, non minus vrget, et homines compellit, vt sibi, aliisque, manus in perniciem armatas adferant, quam is, quem effrenus et libidinosus amor peperit. Etiam insanus est, cuius dementia non continua est, sed interualla habet, quibus mens interdum redit. Nisi enim hoc concedas, sani, mentisque compotes, dicendi sunt omnes, qui ex febre desipiunt. Hi enim, vbi spatia inter febris accessiones sunt, dum haec, vel ex toto in remissione desistit, vel leuior fit, ad se sanamque rationem redeunt, quod illo intermissionis tempore sanguis minori impetu et magis composito motu per cerebri arterias diducitur. Tales vero nihilominus, aucta febre, et dum altera accessio accedit, iterum aliena loquuntur, insurgunt, et saepe violenter, etiam manu, agunt. Atque, vt tandem vela contraham, si insania morbus est, non animae, sed ipsius corporis, plerumque etiam ex alia corporis valetudine natus, quis quaeso alius de hoc morbo, num is verus sit, num simulatus, statuere poterit, quam Medicus, qui, vt corporis naturam et morborum abditas continentesque causas perspectas habeat, omni data opera enititur, et qui etiam harum valetudinum, quibus is non raro medetur, notitia iudicem instruere melius, quam quisquam alius, potest. Quocirca huius iudicio res omnino permittenda est, id quod, vt iis satisfiat, apud quos nonnunquam plus valet aliorum autoritas, quam ratio, ex praestantioribus Iureconsultis, praeter IOHANNEM BRVNNEMANNVM, (27) et BENEDICTVM CARPZOVIVM, (28) etiam iubet vir acrioris iudicii, CHRISTIANVS THOMASIVS. (29) Haud aliena, neque

27) *De Inquisitione Processu Cap. VIII. §. 86. p. 65.*

28) *Quaest. Criminal. P. III. Qu. 95. p. 323.*

29) *In Dissert. de Praesumtione furoris atque dementiae, Halae, MDCCXVIIII.*

neque illud, curabunt Medici, num insanis poena irrogari queat, num vero illi debeant vinculis coerceri. Illi modo, qui Medicis de his rebus omnem fidem derogare conantur, videant, ne iis accidat, quod ante non ita multos annos, Iurium Doctoribus, qui, si IOHANNIS WIERII, IOHANNIS WEBSTERI, aliorumque Medicorum, monitis obtemperassent, non tot miseros, pauperculas inprimis anus, veneficii damnatas, sagarum nomine, ad miserrima et crudelissima supplicia dedissent. Nam corruptae phantasiae labem, aliqua quasi contagione, etiam interdum in alios homines, atque latius manare, historia de virginibus Milesiis, (30) aliaeque innumerae, docuerunt.

30) Vide de his PLVTARCHVM *de Virtutibus mulierum T. II. p. 249. et* A. GELLIVM *Noct. Atticar. L. XV. Cap. X. p. 678.*

PROLVSIO XVIIII.

DE VVLNERIBVS SVPERCILIIS ILLATIS, CVR CAECITATEM ADFERANT?

AD LOCVM HIPPOCRATIS IN COACIS PRAENOTIONIBVS,

PANEGYRI

IOHANNIS CHRISTIANI MENTZ.

D. XVIII. AVG. CIↃIↃCCXXXXI.

PRAEMISSA.

Inter veteres, qui artem medicam profeſſi ſunt, neminem HIPPOCRATE melius de ea ſcripſiſſe, non minus illius, quae nobis ſuperſunt, volumina probant, quam, eum prudentiſſime morbos praeuidiſſe, eosque efficaciſſime curaſſe, hiſtoriarum monumenta. Et omnes, qui, poſtquam ab optimis Profeſſoribus communia medicinae praecepta acceperunt, firmam quandam in medendo facilitatem cupiunt, optantque, eam nulla re melius conſequentur, quam, ſi eius ſcripta ſtudioſius intentiusque legant. Prae caeteris vero fatendum eſt, HIPPOCRATEM optime praeſagiiſſe, et inſtantis valetudinis ſigna, atque, quid in ſingulis morbis metui, vel ſperari, poſſit, accurate veriſſimeque propoſuiſſe, quam laudem ei omnes, etiam recentiores, qui verum ſine ambitione ſcrutantur, concedunt. Habemus huius rei praeclara ſpecimina in variis libris, maxime in Coacis Praenotionibus, quae, ſiue ab HIPPOCRATE, ſiue ab eius maioribus, et Coacis medicis, fuerint conſcriptae, multo labore, aſſidua obſeruatione, compluribusque experimentis, conſtant. Negandum vero non eſt, in his, et aliis, ab HIPPOCRATE relictis, libris non pauca inueniri, quae, quod is preſſo genere dicendi vſus eſt, recondita, et a vulgari intelligentia ſenſuque disiuncta, videntur. Quare omnes, quibus HIPPOCRA-

TES

TES in aliquo pretio eſt, magnam delectationem habent, ſi ea, quae obſcuriora videri poterant, iam recentiorum ſtudio et nouis obſeruationibus perſpicua euidentiaque fiunt; ad quam rem plurimum facit Anatome, noſtris temporibus maiori ſtudio agitata, atque ſubtilius exculta. Hanc voluptatem et me haud ita pridem accepiſſe, profiteor, ex lectione Diſſertationum, quas exercitatiſſimus Anatomicus, IOHANNES MARIA VALSALVA, olim conſcripſit, et quas cum eius Tractatu de Aure nouiter, additis longe praeſtantioribus commentariis, Vir incomparabilis IOHANNES BAPTISTA MORGAGNVS in lucem edidit. Cum enim de noua illa medendi ratione meditarer, quam VASALVA aduerſus amauroſin, a vulnere oculo illato ortam, adhibuit, dum is neruum, qui ex orbita ſuper oculum educitur, vehementi fricatione et pollicis preſſione pertractauit, in memoriam venit locus ille HIPPOCRATIS, quo is de vulneribus ſuperciliis inflictis, quod caecitatem afferant, pronunciauit. Propoſitum igitur eſt, data hac ſcribendi occaſione, ea, quae a VALSALVA prodita, a MORGAGNO autem, partim confirmata, partim emendata, ſunt, iam ſequi, et ad illud HIPPOCRATIS enunciatum accommodare. Verba, quibus hic illud exprimit, haec ſunt: Τὴν ὄψιν ἀμαυρῶνται ἐν τοῖσι τρώμασιν ἐς τὴν ὀφρὺν, καὶ μικρὸν ἐπάνω. ὅσο δ' ἂν τὸ τρῶμα νεώτερον ᾖ, μάλιστα βλέπουσι· χρονιζομένης δὲ τῆς ἕλκης, ἀμαυροῦσθαι μᾶλλον συμπίπτει. *Viſus obſcuratur in vulneribus ſupercilio, et paulo altius, illatis. Prout autem vulnus recentius eſt, maxime vident: cicatrice vero diutius tardante, ac ſeneſcente, magis obſcurari contingit.* (1) Verba haec haud ſatis interpretando explanauerunt excellentes, et, tum ingenio, tum diligentia, praeſtantes, viri, qui caeteroquin ea, quae HIPPOCRATES in Coacis coarctauit, et peranguſte quaſi referſit, in commentariis ſuis dilucide explicuerunt. Inter hos enim LVDOVICVS DVRETVS (2) cenſet, largam ex tali vulnere fieri ſuppurationem, et hanc tandem in vlcus degenerare, ex hoc vero

1) *In Coacis Praenot. Sect. III. N. 391. Edit.* LIND, *T. I. p. 573.* 2) *In Coacas p. 429.*

vero, ſuperincreſcente etiam cicatrice, ichorem in oculum deſtillare, quo huius acies claritasque (συνάυγεια) corrumpatur. IACOBVS HOLLERIVS (3) putat, ex hoc vulnere, propter viciniam et conſenſum cum vicino oſſe, communibus membranis, et quibusdam venis, laborare oculum, et obſcurari. Hoc etiam fieri, ſi ſinus illi, qui in oſſe frontis ſunt, in nares peruii, ſuppreſſa pituitae excretione repleantur, grauenturque. Nam et ex hac occaſione oriri grauem dolorem, cum humoris pars in oculum diuertat, cuius acies tandem etiam hebetari inde ſoleat. Aliis conquiſitis rationibus differit DESIDERIVS IACOTIVS, (4) qui oculorum caliginem a tribus potiſſimum oriri exiſtimat: a fluxione in membranas oculi, a partium vicinarum temperie, et a cicatrice, quae a vulnere relinquitur. Fluxionem ſuperuenire ex percuſſo inflammatoque pericranio. Ex hoc enim inflammationem euocari in eas partes, quae ei iunctae ſunt, praecipue in tunicam adnatam et muſculos oculum mouentes. Nam pericranium cum illa tunica committi, cicatricem autem, quae ex vulnere relinquitur, efficere, vt palpebra parum deſcendat, et oculum non contegat. Ex hac autem occaſione periclitari corneam, eamque nudatam, fieri aridam, ita, vt ea pupillae etiam officiat. Si his addere licet PROSPERVM MARTIANVM, (5) is, id quod caeteri non animaduerterunt, ſubſenſiſſe videtur, hanc oculi imbecillitatem a neruis vulnere laeſis oriri, *vulnus* enim ait *eſſe in parte, per quam nerui procedunt.* Eius tamen interpretationem haud minus obſcuram eſſe, et mancam, quilibet, qui eum euoluere velit, deprehendet. Si autem laudati illi viri animum ad ipſa verba paulo diligentius attendiſſent, deprehendere potuiſſent, hanc oculorum infirmitatem, de qua HIPPOCRATES loquitur, nec ex laeſis tunicis, muſculisue, nec ex vitiatis humoribus, naſci, ſed ex male affecto neruo

3) Vide HIPPOCRATIS *Coaca Praeſagia, cum interpretatione* IACOBI HOLLERII et DESIDERII IACOTII, *Lugduni, MDLXXV. Sect. III. L. I. §. 19. p. 1003*

4) *c. l.*

5) Magnus HIPPOCRATES Cous PROSPERI MARTIANI *Notationibus explicatus, Romae, MDCXXVI.*

neruo optico, a quo videndi facultas proficiſcitur. Ἀμαυρῶνται enim oculi non ex aliis cauſis, morbisque, quae in medentium oculos incurrere poſſunt, quibus alia cognitaque nomina ſunt, ſed ὅταν παντελὴς παρεμποδισμὸς ᾖ τῦ ὁρᾶν, χωρὶς φανερᾶς αἰτίας, *Si abſoluta impeditio viſus eſt ſine manifeſta cauſa.* (6) Et GALENVS (7) accurate diſtinguit τὸ ὄμμα ἀχλυῶδες καὶ τὸ ἀμαυρόμενον, *oculum caliginoſum et hebeſcentem.* In caliginoſo hominem non ſolum obſcure videre, ſed etiam videre, quaſi per quandam caliginem, caliginem (ἀχλὺν) eſſe aeris turbationem, quae mediam craſſitudinem habeat inter nubem et nebulam, ἀμάυρωσιν vero eſſe ἀμυδρὰν τῶν ὀργάνων αἴσθησιν, χωρὶς τῆς κατὰ τὴν ἀχλὺν Φαντασίας *obſcurum organorum ſenſum, ita, vt ab initio nulla viſio, vel caligo, appareat.* Alio loco (8) huius hebetudinis cauſam diſertis verbis exponit, et oſtendit ἐν τοῖς ὀξέσι νοσήμασι τὸ ἀμαυροῦσθαι τὰς ὄψεις, ἀῤῥωστίαν καὶ νέκρωσιν σημαίνειν τῆς ὀπτικῆς δυνάμεως. *In acutis morbis oculos hebeſcentes imbecillitatem et interitum ſignificare facultatis illius, qua viſus praeſtatur.* Inuenio etiam, HESYCHIVM (9) ἀμαυρομένυς per σκοτοζομένυς explicare. Igitur oculi haud hebetantur, (ἀμαυρῶνται) niſi nerui, vel tunicae neruoſae, male affectae fuerint, id quod a ceraſte ictis accidit, quibus, autore PEDACIO DIOSCORIDE, inter alia mali morbi ſigna, ὀφθαλμῶν ἀμάυρωσις ἐπιγίνεται. (10) Ex quibus omnibus, et quoniam HIPPOCRATES plerumque propriis et ſignificantibus verbis vſus eſt, clarum eſſe opinor, oculos eorum, quorum ſupercilium percuſſum

6) GALENVS *in Iſagoge, ſ. Medico, Cap. XVI. Tomo II. Edit.* CHARTER. *p. 392.* cum quo fere conuenit PAVLVS AEGINETA *Lib. III. Cap. XXII. p. 35. Edit.* ALD. Ἀμάυρωσίς ἐστιν ὁ παντελὴς ὡς ἐπιτοπολὺ τῦ ὁρᾶν παρεμποδισμὸς, χωρὶς φανερῦ πάθυς περὶ τὸν ὀφθαλμόν. Confer Locum ex ACTVARIO in HENRICI STEPHANI *Dictionar. Med. p. 207.*

7) *In Comment. II. in Lib. I.* προῤῥητικῶν *Praedict. XXXXV. in Edit.* CHARTER. *T. VIII. p. 731.*

8) *In Comment.* I. HIPPOCRATIS *Epidem. L. VI. Text. XXIIII. T. VIII. p. 381.*

9) *p. 70.*

10) Vide Eius *Theriaca, ſ. Libr. de Venenatis animalibus, Cap. XVI. Edit.* SARRACENI, *p. 430.*

ſum fuit, acie defici, propter aliquam neruorum, praecipue optici, imbecillitatem. Antequam vero hoc oſtendam, alius verbi proprietas perpendenda eſt. Τὸ τρῶμα ſignificat, ſi qua corporis ſedes vehementer percuſſa fuit. Hoc, vel cum vulnere eſſe poteſt, quod vulneris genus colliſum dicitur, vel eſſe poteſt, ſi ictus partem ita laeſit, vt in ea ſine vulnere ſanguis ſuffundatur, id quod in vexatis fieri nouimus. Nam, vt GALENVS (11) docet, τρώματα ὀνομάζει ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ τὰς μεγάλας βλάβας ἐκ τινὸς τῶν ἔξωθεν γινομένας, εἰ καὶ χωρὶς τραύματος. *Vocat* HIPPOCRATES τρώματα *magnas plagas, extrinſecus illatas, etiam ſine vulnere.* HIPPOCRATES (12) etiam eum, cui maxilla ictu e ſede ſua mota fuit, appellat τετρωμένον. Vt vero, his praepoſitis, iam exequar, quinam ſint nerui, qui infeſtantur, ſi ictus ſupercilium laeſit, et qua ratione ex eo oculi acies hebeſcere poſſit, quaedam ex Anatomia erunt repetenda. Omittam vero neruorum origines, et alia omnia, quorum cognitio ad id, quod mihi propoſitum eſt, haud pertinet. Maior multumque deſidens ſinus, qui oculum recipit, ſiue orbita, duo foramina habet, per quae nerui ex cerebro ad oculos tendunt. Hos vero neruos, qui ex medulla, cerebro ſubiecta, oblongatam vocant, educuntur, numeris ab Anatomicis comprehendi, conſtat. Secundi paris nerui, qui, quod viſus facultatem praeſtant, optici vocantur, ad oculum pertinent, per duo foramina oſſis ſphenoidei ſimplicia, et quae anguſtiore orbe, finiuntur. Tertium, quartum, ramus ſuperior quinti paris, qui ramus ophthalmicus WILLISII dicitur, et alter ſexti paris, per aliud obliquum, et magis in longum diductum, foramen eiusdem oſſis illum oculi ſinum ingrediuntur, et oculo, eiusque muſculis, inſeruntur. Neruorum vero admirabilis im-

11) *In Comment. IIII. in Lib. VI.* HIPPOCRATIS *Epidem. Textu XII. p. 524.*

12) *de Articulis Sect. II. §. 26. T. II. p. 782. Edit.* LINDEN. Addit GALENVS *in Comment. T. XII. Edit.* CHARTER. *Textu XVIII. p. 339.* πάσας γὰρ τὰς βλάβας οἱ Ἴωνες ὀνομάζουσι κοινῶς τρώματα Ita legendum eſſe crediderim. CHARTERIVS *l. c.* habet πτώματα. *In Edit. apud* ALDVM *P. V. p. 279.* inuenio κοιν ὀπλύματα, et *in Edit.* HIERONYMI GEMVSAEI, *Baſil. MDXXXVIII. P. V. p. 602.* κοινοπλύματα.

implicatio et diuiſio eſt. Late funditur tertium par, quod in quatuor partes diuiditur. Prior ramus ſubit muſculum, quo oculus attollitur, et exigit alium neruum, qui ad muſculum, quo palpebra ſuperior leuatur, tendit. Caeteri huius nerui rami, paulo poſt diducti, ad reliquos muſculos, et quidem, alter ad rectum internum, qui oculum ad naſum adducit, tertius ad inferiorem, quo oculus deprimitur, et quartus longius procedens, ad muſculum obliquum minorem, peruenit. Plerumque autem ab hoc vltimo fibra procedit, ex qua, accedente alio minore neruo, qui a neruo ophthalmico educitur, ganglion formatur, quod WINSLOVIVS, quem in pluribus ſecutus ſum, *lenticulare* vocat. Exiles nerui, ex hoc minimo ganglio educti, contingunt, comprehenduntque opticum neruum, et in oculi interiora, poſtquam per tunicam ſcleroticam penetrauerunt, transmittuntur. Neruus quarti paris ſuper reliquos neruos ad muſculum obliquum maiorem, cui a trochlea nomen eſt, dirigitur. Quintum par ab ortu in tres maiores neruos diducitur, quorum duo poſteriores, qui ſinguli per ſua foramina, quae etiam os ſphenoides habet, ex caluaria educuntur, ad inferiores capitis partes conuertuntur. Prior autem, qui a WILLISIO ophthalmicus dictus eſt, in tres partes diducitur. Prima pars, circa quam, propter ea, quae infra dicentur, nos attentiores eſſe oportet, membranae, ſiue perioſtio, quo intus ille profundior ſinus, ſiue orbita, contegitur, annexa, (13) ſub hoc procedit, et ad ſupercilium, vbi id angulo oculi interno propius eſt, fertur. Illa enim ſuperior orbitae ora modice intumeſcens et extantior, quo oculus, tanquam vallo, munitur, ea parte, vel foramen habet peruium, vel deſidentem ſinum, per quem ille neruus educitur. Ab hoc vero neruo in orbita, et quidem plerumque propius a foramine, per quod is in orbitam ingreditur, ramus procedit, qui ad muſculum ſuperioris palpebrae fertur, exiles vero fi-

13) Ita hoc obſeruauit IACOBVS BENIGNVS WINSLOVIVS *Expoſ. Anat. Traité des Nerfs* §. 35. MORGAGNVS docet, eum per ſummam pinguedinem oblique duci. Vide neruum in ſua ſede delineatum ab ARENT CANTIO, quem MORGAGNVS adducit, *Impet. Anatom. Tab. II. fig. 3.*

brae adipi et membranis iunguntur. (14) Neruus ille, relicta orbita, per varios muſculos, frontalem, ſupercilii motorem, orbicularem, adipem ac cutim, diuiditur. (15) Ab altero nerui ophthalmici ramo fibra deſcendit ad illud neruoſum ganglium, de quo ſupra, occaſione tertii paris, dixi. Haec fibra etiam interdum altius, et ex ipſo neruo, antequam is in ramos diducitur, oritur. Caeteroquin ab eo altero ramo, qui, ſuper neruum opticum procedens, in interiora, et naſum verſus, inclinatur, muſculi, et oculum, et palpebram, leuantes exiles fibras accipiunt. Eius vero pars per foramen in orbita conſpicuum, ad interiora peruium, ad cerebri membranam tendit, et cum neruis, per quos ſenſus odoris nobis datur, per illa oſſis ethmoidei multa et tenuia foramina diſſipatur. Id vero, quod eius reliquum eſt, per oculi angulum interiorem, illam, quae in eo eſt, carunculam, lacrymarum itinera, muſculos, orbicularem, ſupercilii motorem, et naſi pyramidalem, diſtribuitur. Tertius nerui ophthalmici ramus in glandulam lacrymalem dirigitur. Supereſt neruus ſexti paris, cuius vna, alteraue, fibra a ſua origine cum neruo ophthalmico, antequam is illud oſſis ſphenoidei foramen et orbitam ſubit, committitur. Alium ramum exigit, qui per illud flexuoſum iter, per quod arteria carotis ſurſum procedit, deorſum verſus fertur, de quo hactenus, num nerui intercoſtalis principium dicendus ſit, pluri-

14) VALSALVA ab eo neruo fibras ad annulum, de quo protinus dicam, deſcendere, prodidit, *Diſſ. Anat. II. §. XI. p. 144. T II.* MORGAGNVS vero vidit, aliquando ex hoc ramo neruum minorem ad muſculum rectum, quo oculus attollitur, pertinere, et addit, hoc iam a GABRIELE FALLOPIO obſeruatum fuiſſe *T. II. Ep. XVI. §. 56. p. 234.*

15) Ex collatis pluribus caluariis deprehendo, eſſe ea parte ſaepe vnum foramen peruium, ſaepius inciſuram, eamque praecipue in ſenibus, profundiorem. Quandoque et inciſura eſt, et ſuper hanc foramen, quandoque etiam foramen fere ſuper mediam orbitam eſt. Etiam ſunt capita, in quibus duo foramina reperiuntur. Cum neruo enim etiam educitur ramus arteriae carotidis. Conf. ALEX. MONRO *Anatomy of the humane Bones p. 86.* Neruum hunc delineauit BARTHOLOMAEVS EVSTACHIVS *Tab. XVIIII. 2, 36.* vbi IOHANNES MARIA LANCISIVS in Explicatione addit: *Nervis his vulnera iis locis periculoſiora ſolent euadere p. 49.*

plurimum fuit disputatum. (16) Illa pars, quae ad oculum tendit, tota in musculo recto, quo oculus a naso abducitur, finitur. Atque ab his quidem, quae de neruis praemittenda fuerunt, transeundum foret ad musculos rectos et obliquos, quibus oculi, quasi lubrici, quo volumus, ad adspectum conuertuntur. Prolixa tamen descriptione, quam pagellarum angustia excludit, supersedere potero, qui etiam illud, veluti confectum, compertumque, non vrgeo, musculos rectos, si simul motu cientur, oculum in posteriorem partem, et orbitam versus, obliquos vero eum in priorem partem ducere. (17) Iam vero illud dispiciendum est, vnde quatuor recti, cum obliquo maiore, et illo, qui superiorem palpebram attollit, incipiant. Non consentiunt inter se autores de eorum origine, (18) cum vero plura, propter breuitatis rationem, omittenda sint, protinus dicam, quid repetita sectio et diligentior obseruatio MORGAGNVM docuerit. Neruus opticus, qui illud ossis sphenoidei foramen ingreditur, velamine quasi a dura cerebri membrana adscito, comprehenditur. Haec membrana vero, quae etiam in aliis sedibus ex duabus tunicis composita est, hic diuiditur. Altera tunica, relicto neruo, cum periostio, quod orbitam intus cingit, committitur, altera vero, neruo iuncta, cum hoc procedit, et cum scelerotica iungitur. Haec vltima tunica sedem praestat sex illis oculi et palpebrae superioris musculis, ita, vt hi maiorem partem illi alteri tunicae, qua neruus inclusus est, aliquantum

16) Id multis argumentis iterum contra WINSLOVIVM et PETITVM, alios-que, probauit MORGAGNVS *l. c. §. 48. p. 223.*

17) Hoc, prius a GVILIELMO COWPERO *in Myotomia Reformata C. VIIII. p. 24.* propositum, clarius exposuerunt WINSLOVIVS *in Comm. A. R. Sc. MDCCXXI. p. 403.* et GVILIELMVS PORTERFIELD *in the Medical Essays published in Edinbourgh Vol. III. Obs. XIII. p. 160.* confer, quae habet MORGAGNVS *c. l. Ep. XVIII. §. 2. p. 307.* Commemorabile est id, quod MORGAGNVS *l. c. Ep. XVIII. §. 6. p. 312.* proposuit, de homine, qui ex ictu grauiori, capiti illato, subito occaecatus fuit. Huic dexter oculus, e sede sua quasi propulsus, prominentior, alter vero depressior, et contractior, fuit. Nam in dextro resoluti fuerunt musculi recti, in altero obliqui.

18) Autorum sententias multis exponit MORGAGNVS *c. l. Ep. XVI. §. 20. p. 189.*

tum tamen etiam perioſtio, orbitam contegenti, inhaereant, haud vero, id quod aliis muſculis frequens eſt, quorum tendines perioſtium penetrare videntur, ipſi oſſi inſidant. VALSALVA negat, vllum optico neruo ex dura matre eſſe velamentum, ſed aſſerit, duram matrem neruum protinus, ac is in orbitam peruenerit, relinquere, nec ſcleroticam ab hoc durae matris velamento, ſed a muſculorum tendinibus, et altera cerebri membrana, quam piam matrem vocamus, choroideam autem ab arachnoidea, oriri. (19) Is vero, ſibi inueniſſe viſus eſt, annulum ab illis muſculis, quaſi coeuntibus, formari, et eo neruum opticum arctius comprehendi, quem annulum *moderatorem nerui optici* appellat. Minorem etiam annulum in iisdem muſculis addit, qui neruum tertii paris, ſeu oculi motorem, complecti dicitur. Vtriusque, annuli et neruorum, imaginem in adiectis tabulis ita delineauit, vt ad priorem optici annulum, omnes quidem muſculi, plurimum tamen attollens, et abducens, ad alterum vero, minorem, et nerui motoris, annulum, quem non ita diſtinctum eſſe fatetur, et cuius in altera diſſertatione nullam mentionem facit, alii duo recti muſculi, quibus oculus, et ad naſum adducitur, et deprimitur, plurimum facere videantur. Ab his vero annulis, data varia occaſione, neruos, praecipue autem opticum, conſtringi, imo etiam intendi, et adduci, vel quoque, remittentibus ſe muſculis, relaxari, affirmat, qui hanc plurium et admirabilium caſuum, quibus oculi patent, et quorum rationem exponere quandoque difficile videtur, frequentiorem cauſam eſſe opinatur. Addit duo experimenta, quae obſeruando notauit. Vir nobilis ex graui diuturnoque morbo infirmus neruorum diſtentioni et leuioribus apoplexiae acceſſionibus obnoxius, cum aliquando per vrbem rheda veheretur, vidit aedificia eleganter et pulchro apparatu ſingularique opere ornata. Id magis declarat MORGAGNVS, qui viro illi, cum ei tandem ingraueſcens morbus mortem inferret, adfuit, et, qui etiam eius corpus

19) Quomodo hoc vltimum fieri poſſit, dubium eſt, cum etiam MORGAGNVS, ſe hoc non intelligere, fateatur, *Ep. XVI. §. 16. p. 184.*

pus post obitum incisum vidit. Ait enim, aegrum miro opere dispositos colores, et zonas quasi aureas, singulari ordine circumductas, adeo sibi videre visum esse, vt ad eas, veluti ad veras, repetente tamen euanescentes, propius accesserit. Addit MORGAGNVS, hominem ante mortem pectoris hydrope et neruorum distentione laborasse, atque tandem cum oris spasmo extinctum esse, inciso autem corpore, sub caluaria, praecipue inter meninges, multam aquam fuisse inuentam: Sed alterum VALSALVAE experimentum magis ad rem nostram attinet, et notabile est, cum illud medentes ad leuandum graue oculorum vitium perducere possit. Verbis vtar VALSALVAE: *Noti cuiusdam chirurgi vxor, cum gallum Indicum capere vellet, ab eo percussa est impacto vngue in alterum oculum. Paucus e vulnere exstillauit sanguis, et visus illico amissus est. Varia adhibita sunt remedia, incassum tamen omnia. Triduo post, ad me accedit mulier, auxilium implorans. Oculum diligenter inspicio, si forte aliqua laesio deprehendi possit. Sed, nec externae partes, nec internae, quidquam indicant laesi. Dum igitur mecum ipse meditor, quidnam interius insensibiliter vitiatum esset, vnde visus amissio penderet; suspicio incidit, de annulo, nerui optici moderatore, qui, a vulneris dolore conuulsus, spirituum affluxu impedito, malum istud induxisset. Itaque animaduertens, neruum, supra orbitam oculi erumpentem, transire prope annulum, ipsique propagines nerueas impertiri, illum, qua ab orbita erumpit, valida pollicis compressione agitaui. Vix hoc factum est, cum statim pristina oculo visio restituta est.* Cum vero VALSALVA hanc medendi viam ab annuli, a se inuenti, notitia potissimum traxerit, de eo, cum nemo alius Anatomicorum eius vnquam mentionem fecerit, audiendus est MORGAGNVS. (20) Is vero hunc annulum, qualem VALSALVA delineauit, perfectum, et neruum opticum comprehendentem, haud vidit, multoque minus alterum, minorem. Sed vero ostendit, etiamsi annulus nullus sit, id, quod ab huius contractione VALSALVA

20) *Ep. XVI. §. 23. p. 193. et Ep. XVI. p. 305.*

VA oriri putauit, praeſtari poſſe a muſculis, cum neruus opticus inter eos, praecipue rectos, *quaſi inter digitulos interiectus ſit.* Ab his igitur, magis, pro re nata, minusue, ſtringentibus, mutari poſſe nerui craſſitudinem, multo tamen facilius longitudinem. Oſtendit tamen, neruum non aliorum muſculorum, quam obliquorum, actione intendi poſſe, cum recti, ſi ſimul motu cieantur, oculum potius in poſteriorem partem reducant, et ſic neruum non tendere, ſed magis relaxare, queant. Neruum vero orbitam ingreſſum non recta procedere ad oculum, ſed eſſe curuatum. (21) Cum igitur, nec obliquis muſculis adductis, tendi poſſe videatur neruus, veriſimile eſſe, eum, iis duobus, minus, rectis vero omnibus agentibus, magis, incuruari. Nihilominus vero, quamuis ſic non ita multum per intentionem affici poſſit opticus neruus, eum tamen, conuulſis multa occaſione muſculis, diſparili ratione coarctari, et inde variam oculorum imbecillitatem, amauroſin, vulgores, aliaque, quae hominibus obuerſantur, oriri poſſe. Adducit RAYMVNDVM VIEVSSENS, (22) qui rem diſertis verbis declarauit, id vero a neruis, ex tertio quintoque pari eductis, et neruos opticos ambientibus, et circumligantibus, fieri, exiſtimauit. Tandem certis autorum obſeruationibus probat, ex acuto dolore, neruorumque diſtentione, haec oculorum vitia, praecipue amauroſin, ita orta fuiſſe, vt illa imbecillitatum genera poſt iterum potuerint elidi. (23) Haec vero, quae Vir iudicio eruditiſſimus

21) Vide figuram WINSLOVII *in H. A. R. Sc. MDCLXXI. c. l.* quam etiam MORGAGNVS adducit.

22) *Neurograph. L. III. Cap. II. p. 166.*

23) Iam CELSVS *L. VI. C. VI. §. 37.* vbi de mydriaſi loquitur, notat, in hoc vitio, quod plerumque cum amauroſi eſt, *ſine vlla manifeſta cauſa occaecatos, cum aliquandiu nihil vidiſſent, repentina profuſione alui, lumen recepiſſe.* Ex colica hoc accidiſſe, et a MORGAGNO adductis, et aliis, obſeruationibus diſcitur. Vide FELICEM PLATERVM *Obſerv. Lib. I. p. 102.* IOHANNEM SCHENCKIVM *Obſ. L. I. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. A. III. Obſ. 81. p. 119.* Ex terrore accedente poſt epilepſiam *l. c. A. V. Obſ. 28.* ex partu FRANC. MAVRICEAV *Obſeruations ſur la Groſſeſſe, Obſ. 568. p. 470 ſq.* ex epilepſia, ex qua homo per decem dies caecus fuit, FRANCISCVM DE LE BOE SYLVIVM *Caſibus med. LII. p. 16.* Omittendum non eſt id, quod nobis de foemina ruſtica reliquit

mus propoſuit, omnes comprobabunt, quibus ea, quae in his, et ſimilibus, oculorum infirmitatibus incidere ſolent, vel propria, vel aliorum, obſeruatione cognita ſunt, et perſpecta. Nolim tamen inficiari, aliquando etiam in his caſibus cerebrum, et, ob id, etiam neruum opticum, retinamque, affici, et ad breue tempus reſolui, id quod a MORGAGNO etiam monitum lego. Radiantes vero fulgores igneasque et tremulas faſcias, quae non raro oculis obuerſantur, a conuulſis his muſculis, commotoque ab iis optico neruo, venire, veri longe ſimilius eſt. HIPPOCRATIS obſeruationibus, Phoenicem, cui ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ δεξιοῦ τὰ πολλὰ ὥσπερ ἀστραπὴν ἐδόκεε λάμπειν, *cui viſum eſt ex oculo dextro plerumque veluti fulgur elucere*, breui poſt dolore capitis, neruorum diſtentione, ac maxillae ſpaſmo, correptum fuiſſe. (24) Sed etiam Mneſianacti collum conuulſum eſt, cui, per forum ambulanti, μαρμαρυγαὶ (ſplendores) oculis obuerſabantur. (25) Atque inuenio, ARETAEVM τὰς μαρμαρυγὰς inter inſtantis epilepſiae notas retuliſſe. (26) His

ſiquit IOHANNES LVDOVICVS HANNEMANNVS *in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. V. Obſ. 117. p. 234.* Haec horis matutinis ad decimam vſque omnia videre et legere, etiam ſine impedimento, potuit. Poſt illam vero horam, oculi quotidie caligare coeperunt, et literae, ſi legere voluit, maiores, aſt fractae, apparuerunt. Ei cantharides, extrinſecus cuti admotae, profuerunt.

24) HIPPOCRATES *Lib. V. Epid. §. 31. T. I. p. 792. Edit.* LIND.

25) *Lib. VII. Epidem. §. 25. p. 850.*

26) De cauſis et ſignis morborum acutorum Cap. V. quod eorum, quae nobis ſuperſunt, principium eſt. Ἢν δὲ πλησίον ἴδηος ἢ τοῦ παροξυσμοῦ, κύκλῳ μαρμαρυγαὶ πρὸ τῆς ὄψιος πορφυρέων, ἢ μελάνων, ἢ πάντων δμοῦ συμμεμιγμένων, ὡς δοκέειν τὴν ἐν ὐρανῷ τετανύσθαι ἶριν. *Si inſtantis acceſſionis timor ſit, ſplendores quidam ante oculos purpurei, vel nigri, vel ex omnibus coloribus inter ſe permixti, in circulo obuerſantur, vt iris in coelo praetenta videatur.* Confer de his ſplendoribus doctiſſima Commentaria PETRI PETITI in hunc locum, anno huius ſeculi viceſimo ſexto primum edita *p. 2.* et in editione ARETAEI ab HERMANNO BOERHAAVIO curata *p. 137.* Confer etiam Indicem Graecum in ARETAEVM a MICHAELE MAITTAIRE compoſitum, in editione, quam IOHANNES WIGAN propoſuit, et IOHANNIS GORRAEI *Definitiones med.* CAELIVS AVRELIANVS *Morb. chron. L. I. Cap. IIII. de Epilepſia, Edit.* ALMELOVEN. *p. 292.* quem cum HIPPOCRATE citat MORGAGNVS, haec Graecis dicta Marmarygmata, ſ. marmarygas, explicat per *oculis quaſi*

His ego addere poſſum, quae in viro obſeruando notaui, qui, cum vertigine ex viſcerum ac neruorum imbecillitate laboraret, ſaepius de his fulgoribus et igneis tremulisque faſciis, interdum diu et per ſemi horam vni alteriue oculo obuerſantibus, conqueſtus eſt. Nam, in hoc, eodem alioque tempore, vidi tremorem in ſuperiori palpebra et ſupercilio, quem ipſe, etiam cum aliqua moleſtia, percipiebat. Vt vero tandem ab his ad vulnera ſuperciliis illata veniamus, iam ex his caſibus, et ex illa neruorum atque muſculorum implicatione, intelligere licet, cur oculi ex eiusmodi plaga aciem, imo omne lumen, amittere poſſint. Repente enim hoc extingui poteſt, ſi ille ſupercilii neruus grauiter laeſus diſtenditur, a quo hoc vitium ad tertii paris neruos, qui diuiſi ad muſculos opticum neruum comprehendentes feruntur, tranſire poteſt. Supra enim relatum fuit, ab vtriusque nerui fibris, inter ſe coeuntibus, ganglion formari, et minoribus neruis, quos hoc exigit, opticum comprehendi. Aliis vero obſeruationibus diſcitur, neruorum minimorum, aliis iunctorum, implicationem interdum maximas commotiones in corpore praeſtare. Hoc vel ſternutantes probant, quorum pectus, totumque corpus, grauiter concutitur, et quaſi conuellitur, non aliam, quantum nouimus, ob cauſam, quam, quod minor ille neruus, qui ab ophthalmico ad nares fertur, quadam re in membrana, quae nares cingit, fuit agitatus. Ex ſupra dictis enim notus eſt nexus quinti et ſexti paris, a quo vltimo neruus intercoſtalis incipit, vel, vt alii volunt, quod a neruo intercoſtali ramos, qui cum arteria carotide ſurſum verſus feruntur, accipit. Intercoſtalem neruum cum paris octaui neruis crebrius committi, nemo neſcit. Ergo ſimilis motus illo neruo oculi muſculis adferri poteſt, et his opticus neruus, ſi vehementer premitur, et maiori vi praeſtringitur, ita laedi, vt is, quamuis muſculi ac nerui, qui illum valenter compreſſerant, ſe protinus remittant, nihilo-

propendentia, macularum marmoris ſimilia; qui etiam epilepſiae imminentis ſignis addit *ſcintillarum micas, aut circulos igneos, quos circumferri prae oculis ſentiunt aegri.*

hilominus deficiat. Illud enim in maioribus neruis, a quibus vitalis actio proficiſcitur, quandoque euenire videtur. Quae coniectura ſimilitudinem veri ex eo conſequitur, quod in illorum corporibus, qui vno fere momento cita et improuiſa morte extincti fuerunt, nihil prorſus alieni reperiri quandoque ſoleat. Rem etiam, experimento in cane facto, olim VALSALVA, et, aliis rationibus, LANCISIVS, atque MORGAGNVS, probauerunt. (27) Huius rei maiorem fidem facit VALSALVAE experimentum, cum in illa muliere acies non ex alia ratione occaecata fuiſſe videatur, quam, quia ex vulnere oculi illato muſculus grauiter diſtentus, et hoc opticus neruus praeſtrictus, vel alia ratione affectus, fuit. Ob id etiam illud genus imbecillitatis frictione, illi ſaepe commemorato neruo adhibita, tolli potuit. Et alio tempore VALSALVA hanc frictionem praecepit viro, cuius oculus ex reſiliente glebula plumbea leue vulnus acceperat, ex quo, quamuis exterior coniunctiua tunica lacerata eſſet, oculus, ſine vlla alia noxa, ſtatim videndi facultatem amiſerat. Nihil vero euidentius eſt, et ad HIPPOCRATIS ſententiam firmandam magis aptum, quam id, quod a MORGAGNO relatum legimus: (28) *Rheda, qua matrona vehebatur, inuerſa, diffractisque ſpecularibus, fragmentis cryſtallinis mulier fuerat duobus circa oculum ſiniſtrum locis, vtroque tamen extra orbitam, vulnerata, altero, quem minus attendendum cenſui, breui ab angulo minore, interuallo; altero autem ſupra ſupercilium, verſus angulum maiorem, quem nimirum ipſum eſſe locum animaduerti, qua reflexae ex orbita ad frontem, repunt eius propaginis rami, quo de ramo ſermo eſt. Quid ergo acciderat? Cum reliquo toto ca-*

pite,

27) VALSALVA *Tr. de Aure Cap. V in Oper. p. 69.* neruos cordis ad iugulum canis filo arcte conſtrinxit, et illico ſoluit, deprehendit vero, neruos adeo in ſtrictura inſenſibili labefactari, vt canis intra aliquot dies, eodem modo, ac, ſi nerui amputati fuiſſent, mortuus ſit. Quod experimentum adducit, et nobile vocat, LANCISIVS *de Mort. ſubit. L. I. Cap. XI. in Oper. Ao. MDCCXXXVIIII. editis p. 14.* De eo plura adfert MORGAGNVS, et oſtendit, humorem in cerebro poſt ſubitam mortem inuentum non ſemper huius cauſam eſſe, ſed ſaepe effectum, *Aduerſ. Anat. VI. Animadu. 84. p. 109.* et quaedam repetit *in Epiſt. in* VALSALVAM *XII. §. 27. p. 503.*

28) *Epiſt. XVIII. §. 7. p. 313 ſeq.*

pite, atque adeo corpore, nullum praeterea vulnus eſſet, laeſio nulla, cumque nihil, in cornea tunica, intra oculum, vitii appareret; hic nihilominus continuo videndi vim vsque adeo amiſerat, vix vt Matrona incertam aliquam et confuſam lucem, ſi fax oculo obiiceretur, vel poſt quadrageſimum perciperet diem. Non addit Celeb. Vir, num ſequenti tempore lumen iterum receperit mulier. Eſt tamen aliquid in HIPPOCRATIS ſententia, quod ab his experimentis diſcrepare videtur. Is enim ait, homines, ea ſede vulneratos, plurimum videre, ſi vulnus recens fuerit, oculum autem hebeſcere, χρονιζομένης τῆς ἕλης. Haec verba ambigua videntur. Nam interpretes ea ita accipiunt, quaſi HIPPOCRATES dixerit: *tardius creſcente cicatrice*, quam vulneri tardius induci conſtat, ſi illud valde colliſum eſt, et magna ſuppuratione eget, vel, ſi ex eo, nudato etiam affectoque oſſe, eiusque membrana, malum vlcus ortum fuit. (29) Sed vero etiam verba in aliud poſſunt duci, vt per τὴν χρονιζομένην ἕλην intelligamus cicatricem, tempore confirmatam. (30) Vtrumque vero incidere poteſt, vt, vel neruus grauiter ictus multa ſuppuratione maloque vlcere magis et magis laedatur, vel etiam, vt, ſi ſemel vulneri obducta cicatrix ſit, et neruus cum ea, vel etiam cum ipſo oſſe, concreuerit, ſpes recuperandae aciei minor ſit. Rem tamen accuratius explicandam iis relinquo, qui harum rerum intelligentiores ſunt, qui etiam alios commemorabiles caſus omitto, quibus doceri poſſet, in his, etiam exiguis, plagis, quae ſuperciliis infliguntur, plura, et genera, et tempora, periculorum eſſe. Mihi tamen imperare non poſſum, quin his inſeram illam hiſtoriam, quam nobis vir doctrina clarus, ELIAS CAMERARIVS, reliquit: (31) Cum iuueni angulus internus oculi ſiniſtri, in confinio palpebrae ſuperioris, exiguo vulnuſculo percuſſus eſſet, ita,

29) Confer DVRETVM et HOLLERIVM *c. l.*

30) Confer *Verſionem* ANVTII FOESII *in eius* HIPPOCRATIS *Edit. de Anno MDLXXXXV. Sect. II. p. 189.* qui haec verba ita reddit: *inueteraſcente autem, aut tardante.* HIERONYMVS MERCVRIALIS in HIPPOCRATE *Claſſe III. p. 487.* et LINDENIVS *c. l. cicatrice diutius tardante ac ſeneſcente.*

31) *in Ephem. Nat. Cur. Cent. III. Obſ. LV. p. 130.*

ita, vt vulnus ad os penetraſſet, palpebra autem vix laeſa eſſet, protinus dolor tumorque ortus, ſimul vero dextrum latus reſolutum, fuit. Oculus dexter caligare coepit, ſiniſter vero, accepto vulnere, protinus omnem aciem amiſit, in quo, praeter pupillam parum diffuſam et dilatatam, nihil alieni cerni potuit. Hac vero μυδριάσει laborant ii, quibus opticus neruus reſolutus eſt. Nec homo aperire potuit oculum, quod palpebra ſuperior reſoluta eſſet. Vſu thermarum, et palpebra paulatim ad conſuetudinem ſuam rediit, et membra etiam dextri lateris, quae defecerant, ad aliquam ſanitatem peruenerunt, vt aeger potuerit ambulare, et iter facere. Siniſter oculus, qui prorſus obcaecatus erat, nulla ope adiuuari potuit, dextro vero, qui ab initio caligauerat, ita lux ſanitasque reddita et reſtituta fuit, vt aeger de maiori et multum per illum morbum aucta huius oculi acie gaudere potuerit. Longum foret, et difficile, iam coniectura proſequi, qua ratione adeo exiguum vulnus tam varia et admirabilia malorum genera praeſtare potuerit. Illud a vero alienum non eſt, ea ab illius, noſtri, vel alius rami, illorum neruorum, qui ad varias oculi partes pertinent, fuiſſe profecta.

PROLVSIO XX.

DE

SOMNO IN CVBICVLIS PERCALEFACTIS PANEGYRI

SAMVELIS KRETSCHMARI

D. XXVII. OCTOBR. CIↃ IↃCCXXXXI.

PRAEMISSA.

Qui valere et ſeneſcere cupiunt, eos ita agere oportet, vt naturale corporis et partium ſolidarum robur exquiſitiori cura tueantur, cum morbis nihil magis obnoxium ſit, quam illarum infirmitas. Ad hoc vero multum valere, et exercitationem, et victum, et moderatum veneris, ſomni, aliarumque rerum, quibus vita continetur, vſum, peruulgatum eſt. Sed inter eos, qui ſani ſunt, at vero imbecilli, quo in numero magna pars vrbanorum, omnesque pene cupidi literarum, ſunt, reperiuntur plures, quibus nimia valetudinis cura, molliorque corporis cultus, varia incommoda afferre ſolet. Sunt enim multi, qui, quoduis morborum genus praemetuentes, victus cultusque conſuetudinem ne minimum mutare vnquam audent, quibus ſollicitus metus, quo omnis vitae iucunditas impeditur, magis nocet, quam res, quae timetur. Alii, vt morbos auertant, in ſecunda valetudine, aduerſae praeſidia, conſumunt, et, dum valetudinem variis auxiliis, deuoratis etiam quotidie medicamentis, ſuſtentare volunt, ſibi morbos excitant. Iam de iis dicam, qui, quod frigus timent, dormitoria cubicula, in quibus ſe ſomno dare ſoliti ſunt, percalefaciunt, et hoc calore corpus effoeminant, omnesque neruos emolliunt. Hoc vero vt clarum ſit, ac euidens, conſiderare oportet

tet aera, quem rariores, ac ſpongiis aſſimiles, pulmones hauriunt, et qui etiam corporum, quae eo circumfuſa ſunt, exſpirationes moderatur. Nec omittendum eſt, aëra ſe in ipſum corpus fundere, cum, eius non minimam vim humidis noſtris admixtam eſſe, variis experimentis intelligatur. Neceſſe vero eſt, vt aër, ſine quo animantium corpora, nec ali, nec creſcere, poſſunt, et qui his quaſi vitalem ſpiritum praebere videtur, calore tenuatus ſit, eo tamen moderato, et ad temperationem corporis apto. Nam, et frigoris, et caloris, exſuperantiam animalia grauiter offendere, imo vita expellere, nemo ignorat. Id vero ſemper in controuerſia fuit, quid calorem animalibus praeſtet. Animus non eſt, ea, quae veteres de calore innato, alii de ſanguinis fermentatione, nec non alii de flammula cordis, commenti ſunt, nec diuerſas recentiorum ſententias, exponere, argumentisque oppugnare, et refellere. A vero propius eſt, omnem animalium calorem ab humidorum, et ſanguinis praecipue, motu et attritu in arteriis venisque proficiſci, cum is omnis extinguatur, quam primum ille motus prohibetur, quo ſanguis ex corde per arterias in omne corpus diffunditur. Contra ea caloris uis intenditur, ſi ſanguis, vel valentiori impulſu, vel celeriori motu, agitatur, et per arterias proiicitur, quod vtrumque in febribus fieri ſolet. Hunc vero etiam non parum auget renixus, quare, ſi arteriae ac venae in aliqua ſede ita comprimuntur, vel vinculis conſtringuntur, vt motus non omnis prohibeatur, ſed impeditior fiat, in ea parte calor multum augeſcit. Negandum tamen non eſt, ipſum ſanguinem plurimum conferre, ſi is, nec abundat, nec deficit. Etiam, qui modice craſſus rubensque eſt, longe facilius incaleſcit, quam, qui nimium tenuis, aqua et pituita miſtus, et calore liuidus eſt, qualis in piſcibus, et in aegris, eſſe ſolet, quos aqua inter cutem male habet. Nec minus compertum eſt, vitalem calorem in animalibus augeri, minuique aliis, veluti iis, qui per varias vias humidis admiſcentur, praecipue autem aëre, quo corpus circumfuſum eſt. Huius enim ardore corpus inflammari, frigore autem gelari, omnes nouimus. Cum ve-

ro

ro aliquis dubitare poſſit, ſanguinem, omneque corpus, ex attritu incaleſcere; id quidem oculis cernimus, corpora dura, dum teruntur, inflammari, idque multo magis, ſi valentior preſſura et maior celeritas adhibetur. Et corpora haec, quo duriora ſunt, eo maior in iis ex attritu naſcitur calor, ita, vt etiam exardeſcant, et verum ignem concipiant. Hoc chalybi ferroque duriſſimo incidit, ſi ad illud ſilex alliditur, quod non ſolum ignitur, ſed in globulos funditur, imo in vitrum vertitur. (1) Sed vero cum haec, nemini ignota ſint, nec facile in dubium vocari poſſint, de eo tamen non omnes conſenſuros eſſe prouideo, hoc, quod in ſolidis durisque corporibus fit, etiam fieri in fluidis, cum non pauci cum THOMA WILLISIO (2) putent, *liquida*, vtut plurimum concuſſa et agitata, *haudquaquam intepeſcere*. Liquida vero magnum diſcrimen recipiunt, et, quamuis aqua pura, in fiſtula, vel canali, diu multumque commota, parum tepeſcat, tepeſcunt tamen humida craſſiora et ex elementis compoſita, quae oleum, vel ſulphur, habent, quod ignem concipere et flammam alere poteſt. Et mulierculae, pingue lactis cremoremque in ligneo vaſe in butyrum denſantes, experiri poſſunt, etiam ſerum quaſſando fuiſſe tepefactum. Hanc rem omnem, inter alios, aperte planeque explicauit doctus et ingenioſus Auctor, GEORGIVS MARTINIVS, (3) qui etiam probat, calorem, non tam ab attritu minutarum ſanguinis particularum inter ſe et ſibi impingentium oriri, quam ab attritu earum et arteriarum aliorumque receptaculorum, per quae ille humor maiori vi premitur atque vrgetur. Oſtendit etiam, in maioribus arteriis, maiorem vim ſanguinis continentibus, longe minorem incurſionem particularum in illarum latera fieri, et his pauciores particulas impingi, et ob id, ſi caetera paria ſint, et ſi ſanguis aequali celeritate moueatur, et aequalis etiam renixus ſit, eum longe minus in iis concaleſcere, quam in minoribus fiſtulis. In his

1) Vide ROBERTI HOOKS *Micrographiam Obſ. VIII. p. 44. Schem. 5.*

2) *In Diſſert. de Sanguinis incaleſcentia, ſeu accenſione, p. 31.*

3) *In Tractatu de Animalium calore* qui cum alio, *de Similibus Animalibus, Londini Anno MDCCXXXX.* editus eſt.

his enim eum multum coarctari, premique, et ita moueri, vt inter illas et ſingulas fere ſanguinis particulas attritus ſit. Cum vero, id quod adductis experimentis confirmat, aequalis fere ſit calor in omni corpore, ſi cutim excipias, quae ab aere alluitur, et plurimum mutatur, huius aequabilitatis non aliam cauſam eſſe docet, quam, quod ſanguis in arteriis maioribus longe maiori pernicitate velocitateque propellatur, quam in exiguis minorum fiſtularum itineribus. In his enim illum tardiſſime moueri, hanc autem tarditatem, quae corpori frigus allatura eſſet, corrigi illa plurimarum particularum incurſione in illarum fiſtularum latera et valentiori earundem preſſione. Cum ſic ab intelligente diuinaque natura corpori prouiſum ſit, vt in eo aequabilis vbique calor eſſet, ad varias functiones praeſtandas aptus, ac neceſſarius, etiam ad hanc prouidentiam illud ſapientiſſimum conſilium acceſſiſſe docet, vt homo varium diuerſumque calorem ferre poſſit, et eius viciſſitudinibus, niſi illae valde immoderatae ſint, et repentinae, non ita grauiter afficiatur. Nam, nemini ignotum eſſe, frigore fibras multum adduci, corpusque denſari, atque minores fiſtulas in cute arctari, omnem vero calorem quaſi ad interiora reprimi, et verum eſſe, quod HIPPOCRATES (4) prodidit: τὰς κοιλίας χειμῶνος καὶ ἦρος θερμοτάτας φύσει εἶναι. Ob id enim hyeme omnibus viſceribus maius robur ad praeſtandas omnes naturales actiones, praecipue ad cibum aſſumendum, concoquendumque, eſſe. Aeſtate autem, dum corpus relaxatur, illum internum calorem ſe remittere, ita, vt illud ab aduentitio, ſi is vehementior eſt, non ita grauiter afficiatur. Ex his autem, et aliis, quae ingenioſius ab auctore diſputata ſunt, cum natura caloris, quo corpus animale tenetur, perſpecta ſit, et patefacta, poterimus ſtatuere, quantum calor ille externus et aduentitius, cuius ardore totum corpus inflammari et concaleſcere ſolet, etiam ſub ſomno poſſit nocere. Iam vero obſeruatio docuit, homini, cuius corpus integrum et ſine morbo noxaque eſt,

4) *Sect. I. Aphor. XV.*

eſt, quamuis is ſub vario coelo viuere poſſit, ſalubrius eſſe moderatum frigus, quam nimium calorem. Frigore enim, dum omnes fibrae contrahuntur, denſanturque, ille renixus augetur, quem, ad internum calorem neceſſarium eſſe, ſupra retuli. E contra fibrarum robur ſe, ſi aëris calor augetur, multum remittit, ita, vt illae, et, quae ex his coagmentatis facta ſunt, viſcera, plurimum relaxentur. Illa vero naturali viſcerum actione, praecipue pulmonum, quibus ſpiritum trahimus, emittimusque, exteritur perficiturque omnis a cibo in ventriculo et inteſtinis ſecretus ſuccus, qui candidus, etiam in rubentem ſanguinem vertitur. Dum vero ob id omnis ſanguis, chylo remixtus, per pulmones ducitur, ex iam dictis probabiliter confici poteſt, eum longe melius coactum confectumque iri, ſi arteriae naturale robur habeant, et paulo maiorem et neceſſarium renixum praeſtare poſſint. Ad id vero plurimum facere frigus, ex eo intelligitur, quod hoc non ſolum pulmonum fibrae adſtringuntur, ſed, quod eo etiam ipſe aër denſatur, quo, ſi grauior eſt, et maiorem elaſticitatem habet, pulmones, qui eum hauriunt, magis diſtenduntur, arteriae autem venaeque per pulmones ductae, et in his a corde diffuſus ſanguis, chylo aliisque ſuccis remixtus, valentius comprimuntur. Coarctatis vero, certa ratione, his arteriis, datoque valentiori renixu, humor cogitur, coquiturque, et in ſanguinem rubentem, quo ad conficiendos caeteros ſuccos indigemus, longe facilius ac melius conuertitur, quam, ſi ab aëre calido fibrae relaxantur, et in diſpanſis arteriis ſanguis, aëre, qui intus eſt, turgidus, non ſine difficultate et mora, promouetur. Ob id etiam naturae prouidentia factum eſt, vt ſpiritus aërque, qui ab homine ducitur, ſemper frigidior ſit, quam pulmones, et reliquum corpus, eſſe ſolent, et vt pulmones, atque omnis, qui per eos labitur, ſuccus, ex illo aliquantum refrigeſcant, Si enim aëris, qui ſpiritu in pulmones ducitur, tantus calor eſt, quantum corpus noſtrum naturaliter habet, homo vel praefocatur, vel certe intolerabilibus angoribus vexatur, ac conficitur, quod ſanguis omnis vehementer concaleſcit. Sanguinem vero lympham

aeque

aeque nimio calore ac quiete et frigore cogi et contrahi, aliis obſeruationibus compertum certumque eſt, (5) De quibus, cum alibi dicendum ſit, iam hoc ſatis eſſe opinor, vt concludere poſſim, nimium calorem illam pulmonum actionem, ſanguinisque rubentis confectionem, impedire, cum aere, qui calore nimium tenuatus eſt, nec illi ſatis poſſint dilatari, nec etiam ſuccus in arteriis, venisque, per quas ducitur, recte poſſit moueri, confici, ac in rubentem ſanguinem conuerti. Ad ſomnum tandem veniamus, quo, cum veteri Philoſopho loquor, (6) *animus contrahitur quaſi, labitur, ac concidit*, non aliam ob cauſam, quam, vt corporis vires reficiantur, idque iterum aptum fiat ad omnem ſenſum atque animalem motum praeſtandum. De ſomni natura et admirabili ad redintegrandas animi corporisque vires efficacitate in medicorum et philoſophorum libris vberius diſputatur, et fuſius, quae iam multis perſequi concluſae ſcriptionis anguſtia non ſinit. Omnia, quae in eo et vigilia incidere ſolent, oſtendunt, alternam requiem propterea animalibus neceſſariam eſſe, vt, dum animo corpus

5) Vide, quae habet HERMANNVS BOERHAAVE *in Chemiae T. I. p. 274. Edit. Lugd. Bat.* Conf. IOH. ARBVTHNOTS *Eſſay concerning the Effects of Air on human Bodies, Chap. VI. §. XXVIII. p. 159.* et *Chap. VIIII. §. XXXII.*. STEPHEN HALES *Haemaſtaticks p. 97.* oſtendit, rubentes ſanguinis globulos maiorem elaſticitatem conſequi ex valentiori preſſione in pulmonibus per aëra frigidum. Experimenta BOERHAAVII in dubium vocauit, et illis alia oppoſuit, MARTINIVS *de Animalium calore, Cap. I. p. 138. et p. 144.* qui vero iis nihil aliud probauit, quam hominis fabricationem eam eſſe, vt eius corpus vario, et multum inter ſe diſtanti, calori accommodatum ſit, adeo, vt is etiam per aliquod tempus in aëre viuere poſſit, qui ſimilem, vel etiam maiorem, feruorem in ſe contineat, quam, qui naturaliter in corpore eſt. Haud tamen negat, id non ſine magno incommodo, et ſanitatis etiam diſpendio, imo vitae periculo, in locis aeſtuoſiſſimis fieri. Experimentis maiori diligentia factis controuerſia diiudicari poterit, et oſtendi, quantum calorem homo ferre poſſit, cum plura animalia, etiam illa, quae diutius, quam alia, vitam retinere ſolent, veluti feles, in caldariis celerius fuerint extincta, quibus ex ore magna vis rubellae et foetidiſſimae ſaliuae ante mortem effluxerat. Haec vero, quae ſpatio quadrantis horae inciderunt, probant, cum ex eiusmodi feruore humida corporis celerrime putreſcere ſoleant, quantam vim ad perniciales acutosque morbos gignendos augendosque habeant nimii calores, ſiue ab igne fuerint, ſiue a ſole.

6) ZENONIS verba ſunt, quae adducit CICERO *de Diuinatione Lib. II. Cap. LXVII. p. 175.*

membraque, quibus ille ſuſtinetur, et illi interpretes ac nuncii rerum, ſenſus, ſubtrahuntur, atque, dum hi omnes quieſcunt, vigente interea et non perturbata omni vitali atque naturali actione, nouus ſuccus paretur, cerebro neruisque, quibus omnis ſenſus et animalis motus praeſtatur, accommodatus. Si enim huius ſucci in corpore penuria, et illud eo quaſi exhauſtum, eſt, obdormiſcimus, et ſomno conſopimur, id quod etiam fit, ſi ille humor, ſanguini confuſus, per arterias ad cerebrum pertinentes in cortice cerebri haud ſecerni, nec per medullae fibras neruosque diuidi, poteſt. Quare continens ſomnus iis eſſe ſolet, quibus cerebrum, ab humore ex ſuis receptaculis miſſo, vel a diffracta caluaria, compreſſum eſt, vel, ſi ex alia cauſa arteriae in cortice praecluſae ſanguinem, aliumque ſuccum, non recipiunt. Omni vero animali poſt naturalem placidumque ſomnum experrecto noua vis nouusque vigor eſt, et mira quaedam ad omnes illas functiones adminiſtrandas alacritas. Hoc vero, quod per ſomnum efficitur, non alia quauis re, nec vllo cibi potionisque genere, obtineri poſſe, compertum eſt. Curandum igitur omnino, vt ſomno recte vtamur, et eo illam, quae nobis adeo neceſſaria eſt, refectionem conſequamur, cum ſomnus, ſi is placidus non eſt, in acerrimum, et omnes vires frangentem, laborem conuerti poſſit. Hoc vero in iis accidere, qui eum in percalefactis dormitoriis cubiculis capiunt, ex hactenus dictis intelligitur. Tenuato enim per calorem aere, extrinſecus adueniente, ille in arteriis venisque cum ſanguine concluſus aer natura ſua diſpanditur, quo etiam illae arteriae venaeque, per quas is mouetur, maiorem in modum diſtenduntur, ita, vt deficiat ille renixus et ſanguis non aequabili et facili, ſed impeditiori, motu per pulmones agatur. Etiam chylus ſanguini confuſus non ſatis concoqui poteſt, ſed crudus manet, ita, vt materia deſit, ex qua alius ſuccus, ad inſtaurandas vires ſpiritusque neceſſarius, praeparandus eſt. Concaleſcente etiam ſanguine, totum corpus incenditur, et humor crudus ad cutim, quae ſub ſomno ſe non parum remittit, propelli-

pellitur, ſudorque elicitur. Sudor vero omnis in recte valentibus alienus eſt, in aliis vero, vel morbi index eſt, vel ab hoc proficiſcitur. Longe itaque ſalubrius, et pulmo, et ſanguis, etiam tempore hyberno, refrigerantur, ſi in loco paulo frigidiori dormitur, ita, vt corpus ſtragulis mollibus, non nimis tamen grauibus, et moleſtis, quibus illud etiam afficitur, et accenditur, bene opertum ſit. Hoc ſignificaſſe videtur CELSVS, (7) cuius verba haec ſunt: *Erectior mens eſt, et melius concoquitur, vbi frigus quidem eſt, ſed cauetur.* Etiam hoc, quod iam propoſui, quamuis a pluribus, etiam iis, qui de ſomno ad ſanitatem componendo ſcripſerunt, neglectum fuerit, a praeſtantiſſimis tamen Medicis notatum lego. HIPPOCRATES, vel, quisquis eſt Auctor eorum voluminum, quae hiſtorias morborum epidemicorum complectuntur, id paulo obſcurius declarauit, qui homini, qui natura calidus eſt, commendat τὸν ὕπνον ἐν ψύχει ἐπιβεβλημένῳ, *ſomnum in frigore, ſtragulis operto.* (8) Et paulo poſt: ἐνθέρμῳ φύσει, καὶ θερμῇ ὥρῃ, κεῖται ἐν ψύχει παχύνει, ἐν δὲ θερμῷ λεπτύνει. *Eum, qui natura percalidus eſt, et calido tempore cubile in frigido craſſum facit, in calido extenuat.* Corpus vero denſatur, vel craſſius fit, ſi omnes ſucci in eo recte conficiuntur. Hoc enim ſub ſomno fieri, idem auctor agnouit, qui eodem libro (9) prodeſſe dicit τὸν πόνον τοῖσιν ἄρθροισι, καὶ σαρκὶ σῖτον, ὕπνον δὲ σπλάγχνοισι, *laborem articulis, cibum carni, ſomnum viſceribus.* Inter alios vero ab aetate noſtra propiores adduco duos excellentes Medicos, ſingulari prudentia et multo vſu atque exercitatione praeditos, NICOLAVM PISONEM, (10) et FRIDERICVM HOFFMANNVM. (11) Prior vertiginoſos *ſomno diurno, eoque, qui in loco calido capitur*, prohibet, alter vero laudat *pro ſomno capiendo cubicula ampla et perſpirabilia*, ea vero, *in quibus aer arcte concluſus, vel fornacibus calefactus, eſt, vehementer improbat.*

7) *Lib. I. Cap. VIIII.*
8) *Epidem. L. VI. Sect. IIII. §. XXXV. T. I. p. 808. et 809.*
9) *Sect. V. p. 810.*
10) *De cognoſcendis et curandis morbis, praecipue internis, Lib. I. C. VIIII. p. 59.*
11) *In Medicinae Ration. Syſtemat. T. I. P. III. Cap. XII. p. 609.*

probat. Et quilibet in ſe experiri poteſt, in cubiculis calefactis ſomnum fere laſſare, eumque, nec tantam virium refectionem, nec menti alacritatem, nec corpori agilitatem, afferre, quantam percipimus, ſi ex ſomno in cubiculo frigidiori expergiſcimus. Maxime autem percalefactum cubiculum iis alienum eſſe puto, quibus caput ex contentione et animi fatigatione imbecillum eſt, nec non aliis, qui ſanguinis profuſionem timent, vt alia morborum genera, in quibus id pernicioſum eſſe poteſt, omittam. Sed tamen quandoque non ſolum ſenibus, ſed aliis in multi generis valetudinibus, veluti in articulorum doloribus, et rheumatiſmis, et ſi humor, qui in aliqua ſede coiit, diſcutiendus, et corruptus, per ſudorem euocandus eſt, vtilius eſſe poteſt, ſi in aëre tepido corpus ſomno committitur. Nec tutum eſt, imbecillis, qui mane ex varia occaſione, veluti ex abundante coena, inſudant, corpus, quod ſudore madet, ſi hyems eſt, frigore repente adſtringi. Quare his expedit, ante paulo, quam ſurgunt, cubiculum calefieri, quod, ſi luculento camino fit, quo caliginoſus per nocturnas exhalationes aër educitur, longe ſalubrius eſt, quam, ſi ardentibus fornacibus, quales nobis plerumque in vſu ſunt, incluſus calor excitatur. Omnes tamen monendi ſunt, ne id, quod interdum valetudinis cauſa recte fieri oportet, quotidianum habeant, et ne ii, qui recte valent, voluptatis cauſa, ac moribus ad mollitiem lapſis, corpus debilitent. Etiam iis, qui a firmis parentibus geniti, haud molliter educati, et exercitatione robuſti, ſunt, omnes has obſeruationes vtiles non eſſe, ſed ſuperuacuas, profiteor, cum tales ſe nullis legibus obligare debeant.

PRO-

PROLVSIO XXI.

DE NOXIS EX COHIBITA SVPPVRATIONE IN NONNVLLIS OCVLORVM MORBIS PANEGYRI

CHRIST. FERDIN. ZWEIGELII

D. XV. IVNII CIↃIↃCCXXXXII

PRAEMISSA.

Cum haud ita pridem quaedam de noxis commentatus essem, quae ex cohibita suppuratione nascuntur, finem scriptionis, quae academicae exercitationi accommodanda erat, haud reperissem, si omnia, quae de illo argumento dici poterant persequi voluissem. Nulla mentio facta fuit oculorum, qui variis etiam ingentibusque casibus patent, in quibus suppuratio necessaria est. Dabunt igitur veniam lectores, vt iam ad restim funiculum, et ad illam commentationem aliam breuiorem, addam, atque, quid ex cohibita suppuratione in nonnullis oculorum curationibus sequi soleat, ostendam. Nam et in his rebus video quandoque praeclaros in arte viros, empirica medendi ratione inductos, per errorem labi. Nihil dico de ignorantissimis circulatoribus, et aliis inconsideratissimae temeritatis plenis praestigiatoribus, quibus haec artis salutaris pars, qua oculis medemur, veluti praeda facta est. Si vero prius de palpebris dicendum, nemo ignorat, in iis esse illas minores MEIBOMII glandulas, quae, ad extremas cartilaginosasque oras positae, humorem fundunt, quo, veluti axungia, illae cartilagines, et, quibus hae conteguntur, tunicae,

aliae-

aliaeque partes, inunguntur. Atque non minus compertum eſt, nullas corporis partes inflammationibus, quae ad ſuppurationem ſpectant, magis obnoxias eſſe, quam glandulas. Imo deprehendimus, aliorum morborum, et febrium peſtilentiſſimarum, malam materiam interdum in glandulas conuerti, et fieri ad eas μεταϛάσεις. Hoc ſi incidit, et ſi res bene cedit, morbus duobus modis finiri ſolet. Interdum enim glandulae, parotides, tonſillae, illae, quae in inguinibus, et ſub alis, ſunt, aliaeque, intumeſcunt, inflammantur, atque pus alunt. Aliquando autem, et in aliis febrium generibus, materia in illud glandularum genus inclinatur, per quod varii humores exitum habent. Soluuntur enim febres deſtillationibus, in nares, in fauces, in membranam, qua aſpera arteria intus contegitur, quae loca omnia glanduloſa ſunt: Si aliae febres deiectionibus finiuntur, in inteſtinis etiam glandulas eſſe, et per has humores efferri, cognitum eſt. Accidere vero interdum ſolet, vt pari ratione morbi materia etiam in palpebras, harumque glandulas, vertatur. Palpebrarum glandulis adnumero illam maiorem, quae lacrymas fundit. Eſt lippitudinis genus, quod HIPPOCRATES ὀφθαλμίαν ῥοώδη vocat, (1) quae primis diebus, intumeſcentibus palpebris, calente capite, cum febre eſſe ſolet, multoque dolore. Lacrymae effluunt multae, calidae, limpidae, quae non ſolum oculi membranas, ſed genarum etiam cutim, exaſperare, atque vorare, poſſunt. Si aeger ſe in tenebris continet, quietemque ſeruat, abſtinentia atque potione dilutiſſima vtitur, nihil vero, nec ſuper oculos ponit, nec in eos coniicit, ſe poſt vnum alterumque diem remittit, et febris, et dolor, atque pituita mollior lacrymae miſta, prodit. Interea palpebrarum inflammatarum tumor deſidit, et ſaepe cutis per puſtulas plurimas perexiguas, ac fere continuas, exaſperatur, quibus ruptis, exulceratio fit ſine altitudine lata. Tum ex oculo pituita copioſior ac praegrauis ire ſolet, ac fere pinguior, quae etiam noctu palpebris inhaereſcit, et eas

1) HIPPOCRATES *Epidem. Lib. I. Sect. II. Edit.* LIND. *Tom. I. pag. 657.* ὀφθαλμίαι ῥοώδεες, ὀδυνώδεες, ὑγραὶ, ἄπεπτοι.

eas inter ſe glutinat. Tandem, nullis, nec datis, nec ſuperimpoſitis, medicamentis, omnia exareſcunt, ex cute ſquamae decidunt, oculi aperiuntur, quorum acies plerumque incolumis eſt. Ex hac huius valetudinis, quae ex frequentioribus eſt, hiſtoria clarum eſſe exiſtimo, malam materiam ex omni corpore in oculos inclinari, eamque febre, et omnibus iis, quibus humorum πεπασμὸς in morbis fieri ſolet, mitificari, vel concoqui, et per illas glandulas efferri. Hoc quandoque, recenti re, primo, alteroue, die auerti poteſt, ſi ſanguis mittitur, vel, ſi aluus ducitur medicamentis ſat valentibus, minime acribus, quibus corruptus humor detrahitur. Ad aluum ſubducendam in hoc caſu valent, prae caeteris, tamarindi, vuae Corinthiacae, ſenna, caſſia, manna. Vbi autem iam vitium penitius inſedit, et multo magis, vbi ſe iam ſuppuratio oſtendit, hoc, et vix non omne, medicamentorum genus alienum, et auxilium in ſola quiete et abſtinentia eſt. Oportet vero medentem febre ad remedium vti, et ſedulo conſiderare pituitam, quare, ſi ex tenui, acri et calida, mollior fit, craſſiorque, ſpem felicis euentus oſtendit. Si vero tenuis pituitae curſus perſeuerat, vel ea ex molli craſſaque iterum tenuis calidaque fit, metus eſt, ne morbus longus ſit, exulceratisque vehementer oculis, acies quoque corrumpatur. Alius enim caſus eſt, ſi malo vetuſtas acceſſit, et pituitae, modo tenuioris, modo craſſioris, curſus oculos, qui nunquam ſicceſcunt, ſemper, ac per longum tempus, et ſaepe plures annos, infeſtat. Haec enim res aſperitudinem in oculis continuat, et ex leuibus momentis inflammationes ac lippitudines excitat. Huic valetudini enim, quae quandoque ad mortem vsque manſura eſt, aliis efficacioribusque auxiliis ſuccurri oportet. (2) In priori vero valetudinis genere, quod breue acutumque

2) Efficacem medicinam his diuturnis oculorum fluxionibus veteres adhibuerunt. Pluribus lineis cutim capitis ineiderunt, venas, ipſamque caluariam, aduſſerunt, vt itinera, per quae nunc humorem permanare crediderunt, excoecarent, et vt humori per vlcera exitum darent. Vide HIPPOCRATEM *de Locis in homine* §. *XXIII. p. 376.* CELSVM *Lib. VII. Cap. 7. de Pituita oculorum.* Nihil hic addo

que esse solet, crisis est, quam saepe praestat, adhibita abstinentia et quiete, expectari, quam, medicatione, turbari. Id iubet HIPPOCRATES, (3) qui hoc lippitudinis genus et mutationes, quae in ea, et in pituitae inprimis cursu, incidunt, graphice delineauit. (4) Hunc alii, et inter hos, CELSVS, (5) secuti sunt. Si autem hunc pituitae cursum, quo, et febris, et dolor, et oculi inflammatio, soluitur, ad suppurationem referre licet, qui is certe simillimus est, ea sine summo periculo atque graui noxa cohiberi nequit. Nam, si humoris illius concoctio impeditur, humorque non satis digeritur, ille non coctus, sed acris, rodensque, ad glandulas

addo περὶ τῆς ξηροφθαλμίας, siue de arida lippitudine, cuius mentionem facit HIPPOCRATES *de Aere, aquis et locis §. 26. 27. T. I. p. 343. et passim.* Optime eam describit CELSVS *Lib. VI. Cap. 6. §. 29. In ea neque tument, neque fluunt, oculi, sed rubent tantum, et cum dolore quodam fere leui ac prurigine graues sunt, et palpebrae citra duritiem vllam noctu praegraui pituita inhaerescunt.* Haec diluentia, et extrinsecus lubricantia, postulat. Ex his lac pingue, cum pauco croco, cremor ex tritis cum aqua foeniculi, vel rosarum, seminibus psyllii, ac cydonii mali, fere satis sunt. Casus asperior est, si nullus humor ex lacrymali glandula fertur, et in oculo crystalli, vel lapilli, concrescunt, qui oculorum tunicas exasperant, magnumque dolorem mouent. Singularem huius morbi historiam, quo nobilis virgo per multum tempus conflictata, tandem vsu diluentium leuata, fuit, descripsit IOHANNES ERNESTVS SCHAPERVS in *Epist. de Lippitudine crystallifera, Rostochii, MDCCIIII.* HIPPOCRATI hoc vitium notum fuisse, deprehendo, qui, vbi περὶ τοῦ ῥεύματος ἐς ὀφθαλμοὺς loquitur, eius mentionem fecit. Ἢν δὲ ὄον λίθοι ὑποτρέχωσι. *De Locis in homine §. XXI. p. 375.*

3) *Praedictionum Lib. II. §. XXVIII. T. I p. 507.*

4) *l. c.* et *de Veteri medicina T. I. §. XXXII. p. 32.* Ὅσα τ' ἂν ἐπὶ τὰς ὀφθαλμὰς τρέπεται τῶν ῥευμάτων, ὡς ἰσχυρὰς καὶ παντοίας δριμύτητας ἔχοντα· ἑλκοῖ μὲν βλέφαρα, κατεσθίει δὲ ἐνίων γνάθους τε καὶ τὸ ὑπὸ τοῖσιν ὀφθαλμοῖς, ἐφ' ὅ, τι ἂν ἐπιῤῥυῇ, ῥήγνυσί τε καὶ διεσθίει τὸν ἀμφὶ τὴν ὄψιν χιτῶνα. ὀδύνας δὲ καὶ καῦμα καὶ φλογμὸς ἔσχατος κατέχει μέχρι τινὸς, μέχρις ἂν τὰ ῥεύματα πεφθῇ, καὶ γένηται παχύτερα, καὶ λήμη ἀπ' αὐτέων ᾖ. τὸ τε πεφθῆναι γίνεται ἐκ τοῦ μιχθῆναι, κρηθῆναί τε ἀλλήλοισι, καὶ συνεφθῆναι. Sed HIPPOCRATES *in Praenot. §. II. T. I. p. 449.* inter mala signa in acutis retulit τὰς λήμας, αἳ φαίνονται περὶ τὰς ὄψιας. In his vero hae sordes sicciores non ab humore cocto, sed ab humidis, in corpore per febrem, eiusque aestum, coactis, crassisque, proficiscuntur. Confer IACOBI HOLLERII *Comment. in Coacas p. 1093.*

5) *Lib. VI. Cap. 6.* qui HIPPOCRATEM fere ad verbum transtulit.

dulas MEIBOMII fertur, quas exeſt, ita, vt tandem in iis mala vlcera, atque ex his diuturna lippitudo, oriantur. Haec aliquando totam hominum vitam infeſtare ſolet, maxime, ſi hoc vitium ab infantibus acceperunt. Acer etiam pituitae curſus, ſi perſeuerat, corneam, et in palpebris pilorum radices, exulcerat. Prius ſi incidit, acies hebeſcit, ac caligat, id quod percuratis quoque corneae vlceribus fit, quod ex his cicatrices manent, quae haud minus pupillae officiunt, et difficilius, atque rarius, praecipue in adultis, extenuantur. Si vero pilorum, vel ſic dictorum ciliorum, radices ex his vlceribus exulcerantur, emoriunturque, turpis ciliorum caluities fit, quem morbum μίλφωσιν, vel μαδάρωσιν, ſi autem cum palpebrarum ſcabritie et rubore eſt, πτίλωσιν Veteres nominauerunt. (6) Humorum vero concoctio euertitur medicamentis, tum, quae intus dantur, tum aliis, quae in oculos coniiciuntur, iisque ſuperhabentur. Nocent omnia, quae ſanguinem citant, maxime, ſi nondum quieuit febricula, quippe quae omnibus calidis incitatur. Si autem febris aeſtusque intenduntur, et humida celeriori motu cientur, humorem in abſceſſibus ac vlceribus acrem rodentemque fieri, alibi oſtendi. Etiam purgationes pernicioſas eſſe, praeſertim, ſi nimis valentibus, et tempore τῆς πέψεως, fiunt, docuit obſeruatio. Qui enim illo tempore deiectiones moliuntur, vt omnem nocentem materiam in inferiora depellant, non cogitant, eius ſedem iam eſſe in minoribus arteriolis, quae, et purgatione, et ſanguinis miſſione, non ita facile exhauriuntur. Quare, qui ita curant, et qui his, aliisque, auxiliis, victusque genere, omnem febrem corpore deducunt, atque humoris concoctionem impediunt, id quidem conſequuntur, vt oculi parum fluant, et vt parcior pituita fiat. Haec vero, quo tenuior, eo acrior eſſe ſolet,

6) AETIVS *Lib. VII. Cap. 80. p. 137. Edit.* ALDI Μαδάρωσις καὶ ἡ πτίλωσις τῶν ταρσῶν εἰσὶ πάθη. ἡ μὲν μαδάρωσις, αὐτὸ μόνον ἐστὶν ἡ ἀπόπτωσις τῶν τριχῶν διὰ ῥεῦμα δριμὺ γιγνομένη. ἡνθὶ δὲ τῶν πτιλῶν καλλομένων, καὶ πεπάχυνται. καὶ τετύλωται τὰ μέρη ταῦτα, ὡς εἶναι σύνθετον τὸ πάθος ἐκ μαδαρώσεως καὶ σκληροφθαλμίας.

ex qua in oculis diuturna aſperitudo fit, quae tandem, ſupercreſcentibus corneae vlceribus, aciem corrumpit. Aluum vero lotionibus, in eam immiſſis, exinaniri, in omnibus fere morborum curationibus vtile, et in his neceſſarium, eſt. Sunt plura alia, ex medicamentis, quae oculos ſic lippientes exaſperare ſolent, quae omitto. Si vero ad ea deueniendum eſt, quae extrinſecus admouentur, et, vel oculis ſuperhabentur, vel in eos coniiciuntur, mihi ſemper placuiſſe fateor, quod HIERONYMVS MERCVRIALIS (7) diſcipulis ſuis praecepit: *Nolo tamen praeterire, quod fere pro oraculo habeo, vt in principio, niſi coacti, nunquam localibus vtamini: ego enim millies expertus ſum, quod inflammati oculi initio nolint tangi, quia ita pollent acumine ſenſus, vt qualibet attrectatione offendantur, et ſemper abſtineo, quantum poſſum, a localibus, praeſertim in principio.* Nam oculi, ſi ii recte ſe habent, quauis fere re, quae in eos ingeritur, offenduntur, vt illacrymentur. Tanto vero magis irritantur, ſi eos inflammatio tenet, ex qua in omni parte neruoſa ſenſum plurimum intendi conſtat. Nocent igitur fere omnis generis collyria, ſiue arida fuerint, ſiue ex aqua, aliiſque liquoribus, trita. His enim oculi grauiter afficiuntur, ea lacrymae exprimuntur, minores fiſtulae, humorem fundentes, coanguſtantur, et hic, qui efferri debebat, reprimitur. Tanto maior huius rei metus eſt, ſi eorum compoſitiones varii generis pulueres, et acriores ſales, habent, quibus oculi vehementer irritantur. Etiam morbus non minus augetur, exaſperaturque, ſi ſuperdantur liquores, chemica arte parati, ſeu, ſic dicti ſpiritus. Nam, etiam, qui ſubtilem medicinae rationem ignorat, et communia tantum videt, intelligit, chemicos ſpiritus alienos eſſe, cum et graues dolores moueant, et limpidos humores, qui tunicas oculorum permanant, cogant, ita, vt ora minorum fiſtularum, per quas hi efferri debebant, praecludantur. Plures olim vidi caligantes, caecosque, qui balſamo ſic dicto Auguſtanorum vſi erant, et vel ex eo linamenta expreſſa oculis ſuperhabuerant, vel, id quod ad nocen-

7) *In Medicina Practica Lib. I. Cap. 38. p. 161.*

cendum magis valet, hunc, et ſimiles liquores, in eos, diductis palpebris, ingeſſerant. Neque calidae vapor, aliaque fomenta, quae molliunt, laxantque, ſemper opportuna ſunt. Nam his, quae in arida lippitudine multum vſum habent, efficitur, vt illae glandulae ſe nimis remittant; quae poſt craſſiorem quidem pituitam emittunt, difficilius autem ad ſanitatem perueniunt. Naturalis enim vis in his minoribus glandulis, ſi nimis reſoluta eſt, id quod crebriori diuturnoque vſu fomentorum fieri poteſt, pituitae πέψις etiam impeditur, et eius in oculos curſus, in conſuetudinem quaſi adductus, raro conquieſcit. Facile igitur, et his omnibus recognitis, apparere cuilibet poteſt, primum in his caſibus eſſe, aegrum abſtinere, et ſe in tenebris continere. Quibus obſeruatis, melius et celerius ad ſanitatem peruenitur, quam multis, varia ratione adhibitis, medicamentis. Oculos enim, ita lippientes, non ſolis medicamentis, ſed aliis etiam rebus, luce, aere, atque afflatu, aeſtu, frigore, puluere, victu, animi commotionibus, venere, grauiter laedi, dicere non attinet. Si tamen aliquo medicamento, ad leniendam in humida lippitudine inflammationem, opus eſt, prodeſſe poteſt illud, quod ex lenioribus iam olim praeſtantiſſimus medicus, NICOLAVS PISO, (8) laudauit, pomum putre, vel coctum, calens, quod noctu, cataplaſmatis in modum, palpebris ſuperimponitur. In oculum ipſum, ſi illum acrior calidaque lacryma exaſperat, demitti poteſt, et oui album, et lac mulieris, cui commode parum croci adiicitur. Illud autem iam nonnullis perſuaderi poterit, etiam oculos, ſi eos, et, tum palpebras, tum etiam interiores tunicas, variolae occupant, atque ex his grauis inflammatio mouetur, omnibus curationibus irritari. Tuti enim oculi redduntur cuſtodiunturque a prouida ſolertique natura, dum palpebrae inter ſe glutinatae ita cohaerent, vt aperiri haud facile queant. Hoc vero compertum confectumque eſſe arbitror, inflammatis quibuscunque ſedibus nihil magis inimicum eſſe, quam aera, qui ſic a tenerioribus oculorum tunicis auertitur. Dum etiam

8) *De Morbis cognoſcendis et curandis Lib. I. Cap. 26. p. 200.*

iam variolae, quae in oculis ſunt, ad ſuppurationem ſpectant, in iis, illo naturali quaſi viuarum partium fotu, materia digeritur, concoquitur, atque ad maturitatem perducitur. Nullus autem abſceſſus, qui, concocta, vt decet, materia, recte matureſcit, ac per ſe rumpitur, facile in vlcus degenerat, ſi vero is aere, aliisque, concitatur, ei, et ardor, et diſtentio, et dolor, et rubor, ſuperuenire, inflammatio, vel intendi, vel cohiberi, humor vero crudus manere, ſolet. Hoc etiam his minoribus variolarum abſceſſibus euenit, ita, vt, finitis variolis, ipſa cornea periclitetur, factis in ea malis vlceribus, manentibusque tandem craſſis cicatricibus, quibus acies laeditur, et homo obcoecatur. Subinde etiam, ſi corneae ſua integritas manet, laeduntur illae MEIBOMII glandulae. Nam hae ſemper, inflammatis ex quacunque cauſa palpebris, ad ſuppurationem ſpectant, quae, dum crebrius, atque vi, inter ſe diducuntur, irritanturque, impeditur, atque tandem in exulcerationem degenerat. Haec difficilius ſaneſcit, vt perodioſa πτίλωσις non raro ad mortem vsque maneat. Superuacuum foret, ſi iam omnia remediorum genera perſequi vellem, quae ad tuendos oculos contra variolarum virus proponuntur, tum a medicis, tum ab empiricis, tum etiam a perſapientibus foeminis, quibus diu et ex non interrupta conſuetudine de omnibus rebus, quae ad medendi peritiam attinent, ſtatuendi, et facultas, et ius, et arbitrium, eſt. Ego illud aſſeuerare poſſum, nunquam pueris, quibus ex variolis palpebrae inter ſe coaluerunt, diſcuſſa febre, aridis factis puſtulis, et per ſe apertis oculis, lippitudinem, vel mala vlcera cicatricesque relictas fuiſſe, ſi modo illud impetrare potui, vt oculis nulla curatio adhiberetur, et palpebrae haud inter ſe diducerentur. Hoc tamen perpetuum non eſſe, fateor. Nam in oculo euenire poteſt, quod incidit in omni corpore, vt malarum variolarum acri ac ſaepe rodente humore etiam illae ſummam teneritudinem habentes partes exulcerentur, vel etiam, vt totus oculus in pus vertatur, atque vtraque ratione lumen amittatur. Sed, quaeſo, ſi tale vitium ab interioribus incipit, atque per omnia humida

humida diffuſum eſt, qua re tueri poteris oculos, ne illos corrupti humores laedant? Nam, non ſoli experientiae, ſed rationi quoque, in inueniendis auxiliis, inſiſtendum eſt. Qui enim experimentorum tantummodo notitiam, nulla probabili ratione comperta, amplectuntur, ſaepe alia atque alia aduerſus varii generis morbos auxilia, quaſi ſola, venditare conſueuerunt, prout ea aliquando ceſſerunt. Mihi perſuaſum eſt, illud naturale palpebrarum tutamentum fomentumque caeteris omnibus auxiliis praeferri debere. Eo etiam aliae teneriores in oculo, ſenſumque praeſtantes, partes contra lucem, ſi illa nimis coruſca, vel oculis noua, eſt, cuſtodiuntur, id quod in animalium nonnullorum partubus deprehendimus, qui, primis diebus, cohaerentes inter ſe palpebras habent. Et obiter noto, valde detrimentoſum pueris eſſe, qui, nouiſſimo partu editi, mox ſerenae atque viuidae luci, oculos ferienti, exponuntur. Dum enim retina, in qua teneritas atque mollities et ſenſus acerrimus eſt, vno quaſi momento adeo grauiter afficitur, conuelliturque, oriri poteſt imbecillitas, ex qua oculi per totam vitam caligant. Vt vero ad palpebras reuertar, ſi illae ex variolis inter ſe cohaerent, non pauci illud vitium, quod Graeci ἀγκυλοβλέφαρον appellant, metuunt, quo palpebrae ita inter ſe coaleſcunt, vt eas etiam ſcalpello diuidi oporteat. At enim multa obſeruatio docuit, aridis factis, et puſtulis, et illa glandularum pituita, hanc optime per ſe reſolui, et oculum ſine omni negotio aperiri. Maius periculum eſſe poteſt, ſi, dum in oculos acris rodensque humor, craſſiori pituitae miſtus, fertur, quo palpebrae inter ſe ita glutinatae ſunt, vt is nullum exitum habeat. Sed enim id facile auertitur, ſi prope canthum maiorem aduerſum, retuſumue, ſpecillum inſeritur, et palpebrae non prorſus, ſed parum, inter ſe diducuntur, vt humor, qui intus eſt, exire poſſit. Sed, praeter has valetudines, quae magis ad pituitae curſum, quam ad veram ſuppurationem, pertinere videntur, etiam aliquando vna, vel altera, glandularum MEIBOMII per ſe intumeſcit, atque ad veram ſuppurationem ſpectat. Tuberculum, a ſimilitudine hordei, Graecis

Graecis κριθὴ (9) Latinis hordeolum, (10) nominatur. Hoc interdum diſcutitur, interdum autem pus alit. Quia vero illud difficilius, et vix quandoque inter multos dies, matureſcit, plures, qui eius intolerantiores ſunt, ei varii generis medicamenta admouere ſolent, quae, ſi reprimendi cogendique facultatem, veluti ſpiritus chemici, habent, quo minus humor concoqui poſſit, prohibent. Igitur durities accedit tuberculo, quae nullis medicamentis obedit. Id quoque euenire ſolet, ſi illud crudum, nondum ſatis concocta materia, eum in finem, vt pus exprimatur, premitur, vel ſcalpello diuiditur. Tumores enim glanduloſarum partium duri, ſi imprudentia curantis agitantur, periculum carcinomatis adferre poſſunt. Vidi olim miſerum, cui ex male curato hordeolo enatum vlcus erat, quod ſerpendo, et vsque ad oſſa penetrando, oculum, maioremque faciei partem, vorauerat. Tuberculum non aliter curandum eſt, quam alii glandularum tumores, qui, ſi inflammantur, medicamenta requirunt, maturando humori idonea, quibus illi ſaepe diſcutiuntur, interdum concoquuntur. Etiam ſatis eſt, his efficere, vt pus per ſe aperiatur, vel, ſi illud ſcalpello aperiendum eſt, expectari oportet vltima maturitas, vt cutis, vel tunica, qua tumor contegitur, extenuetur, pusque huic iungatur, et hoc, dum ſcalpellum admouetur, propius reperiatur. Ad maturitatem commode perducitur, vel etiam diſcutitur, materia, ſi, ex praecepto CELSI, tuberculum calido pane, vel cera, ſubinde calefacta, ſic fouetur, ne nimius is calor ſit, ſed, qui facile a parte ſuſtinetur. Nec emplaſtra aliena ſunt, quae ad pus mouendum valent. Plura alia, quae in palpebris incidere poſſunt, quod communia ſunt, omitto. Iam vero transeundum eſſet ad alia vitia, quibus ipſi oculi infeſtari ſolent. Cum vero horum maior numerus ſit, pauca tantum de corneae vlceribus et cicatri-

9) CELSVS *Lib. VII. cap. 7. §. 2.* GALENO teſte etiam olim τροχίσκους nominauerunt *de Compoſ. med. ſecundum locos Lib. IIII. T. XIII. p. 457.*

10) Vide MARCELLVM EMPIRICVM *de Medicam. Cap. VIII. in Collect.* H. STEPHANI, qui haec tubercula etiam varulos vocat, ſine dubio a varis, de quibus CELSVS *Lib. VI. Cap. V.*

catricibus proferam. Ex prioribus intelligitur, mala corneae vlcera naſci, ſi acris humor oculos inuaſit. Igitur in id medentis conſilium dirigi debet, vt ille humor digeratur, craſſusque fiat, quo minus noceat, et vt eius ad oculum aditus auertatur. Id quod autem de abſceſſibus retuli, illud haud minus de vlceribus dicendum eſt, ea concitari, et in iis humorem tenuiorem acrioremque fieri, nouamque inflammationem moueri, ſi re quauis irritantur. Hoc etiam in cornea incidit, ſi ea vlceribus, quorum varia genera atque nomina ſunt, obnoxia fit. Peſtiferum eſt, ſi haec valentioribus collyriis, calidisque medicamentis, exaſperantur, quae iis purgandis vulgo adhiberi ſolent, cum his, et acrior pituita, et lacrymae calidae, concitentur. Quamdiu vero cum his vlceribus acer pituitae curſus eſt, illis ſuccurri nequit, ſed prius hunc minui, et eius ad oculum aditum auerti, oportet. Hoc variis auxiliis moliendum eſt, praecipue exulcerata, in tergo, vel ſuris, per cantharides cute; quae tamen arte facta vlcera diu, ac ſaepe per vnum, alterumue, menſem, ſeruari debent. Hoc autem fieri poteſt, ſi ea crebrius cantharidibus reſperguntur, et pus, quantum poteſt, mouetur. Vbi autem morbus vetuſtior factus eſt, is aſperiorem curationem deſiderat. Proficiunt vlcera, quae fonticulos nominamus, in brachiis, vel occipitio, excitata. Longe tamen efficacior curatio eſt, ſi in occipitio cutis duabus lineis ita inciditur, vt media habenula relinquatur, id quod commode fit, ſi per eam, digitis leuatam, anceps ſcalpellum, vel maior curuaque acus, traiicitur. Via ſic facta, traiicitur, vel, ſi acus adhibita fuit, hac trahitur linum xylinum, ex pluribus compoſitum, itaque tortum, vt in ea vnitas ſit. Hoc enim, quod *ſetaceum* vocant, dum crebrius ducitur, vt pars, quae pura eſt, ſubeat, altera vero pars, pure madida, praecidatur, vlcus exaſperare, pusque multum citare ſolet. In hoc praeterea lippitudinis genere, et ſi vlcera in cornea ſunt, plurimum ad auertendam a cornea acrem pituitam, eamque exhauriendam, proficit illa HIPPOCRATIS ξύσις, quae non alia ratione iuuat, quam, quod ea in exaſperatis palpebris pus mo-

uetur, et ſic humor ab oculi tunicis detrahitur. De hac cum olim plura ſcripſerim, (11) et, cum etiam alia ſcriptione (12) oſtenderim, eam e pluribus, qui certam, et ab experimentis tractam, notitiam non habent, haud merito repudiari, iam noua commentatione ſuperſedere potero. Omni aſſeueratione illud affirmo, hanc curationem in variis caſibus, praecipue aduerſus mala corneae vlcera, quae nullis aliis auxiliis ceſſerunt, plurimum profeciſſe. Nihil tamen etiam in his perpetuum eſſe, fateor. Id vero, quod non ſemper profuit, non ſtatim contemnendum eſt, cum omnia medicinae genera, caeteroquin ſalutifera, ſatisque certa, aliquando, vel vitio aegrotantis, vel medentis, vel etiam, quod natura repugnat, haud reſpondeant. Vbi autem in hoc lippitudinis genere his auxiliis inflammationi plurimum detractum, et lacrymarum pituitaeque curſus, vel imminutus eſt, vel penitus conſtitit, quaedam in oculos coniici queunt. Haec autem non acria valentioraque eſſe oportet, quippe quae concitare oculum poſſunt, et iterum accendere. Lenibus medicamentis primis diebus opus eſt, quae digerunt, et vlcera nutriunt. Nam, ſi corneae vlceribus cauis ſordidisque protinus reprimentia, eaque ſola, ſuperdantur, accidere ſolet, vt mala materia inter teneriores, ex quibus cornea compoſita eſt, tunicas ſerpat, et vlcera corruptiora, atque ex his cicatrices cauae, craſſaeque, fiant, quae omnem aciem corrumpunt. (13) Nam, ſi vlceribus, nondum purgatis, cruſta inducitur, fiunt τὰ ἄπυλα ἕλκη, ſeu vlcera, quibus ſordidis ſuperincreuit cicatrix. Cum hoc vitio proxime conuenit illud, quod ὄνυξ, ſeu vnguis, dicitur, ſi pus inter corneae teneriores lamellas contrahitur, et exitum non habet. Illud enim nomen traxit a pure, quod quaſi ἀπονυχίσματα; ſeu vnguium praeſegmina, repraeſentat. (14) Hoc vale-

11) In *Diſſert. de Scarifatione oculorum, Lipſiae Anno MDCCXXVIII.*

12) In *Programmate, quo Anno MDCCXXXV. Anatomen publicam indixi.*

13) Inter recentiores hoc recte monet Clariſſ. Vir P. DEMOVRS in *Obſervationibus, quas adiecit Tentaminibus Medico-Edinburgenſibus, quae in Gallicum ſermonem vertit. p. 353.*

14) Saepe Autores, tum veteres, tum recentiores, confundunt τὸν ὄνυχα et τὸ ὑπόπυον, quos vero morbos optime

valetudinis genus, quod plerumque oritur, si oculus graui ictu percussus fuit, etiam curationem ex manu postulat. Acus enim recta in exteriores corneae tunicas infigenda iisque subiicienda est, quo illae paululum possint leuari, et pus per factam plagam exprimi. Omnia vero haec corneae vitia, et oriuntur, et ingraueſcunt, si ſuppuratio celerius cohibita fuit. Nam, si etiam minores pustulae in cornea oriuntur, vel, si leuior exulceratio sine altitudine sit, ita, vt de nigro aliquid albidum factum esse videatur, hoc optime lenibus medicamentis discutitur. Vlcera autem, quae altius penetrant, cicatrices relinquunt crassas, seu λευκώματα, quae in iunioribus extenuari, non vero tolli, possunt, et post curationem semper vestigium aliquod relinquunt. Minores autem cicatrices, quae sine altitudine sunt, recenti re discuti possunt, in iunioribus, medicamentis digerentibus, ac pus alentibus, quae diu in oculos coniicienda sunt. Ex his vero proficere plurimum solet mel, cui adiectae formicae sunt, si illud in clibano, vel sole, coctum est, nec non, quod haud ita pridem proposuit Cl. P. DEMOVRS, (15) saccharum, oleo suo turgidum Imo, si reprimentibus ad purganda vlcera opus est, semper illa aptiora sunt, si teneriori axungia excipiuntur, et oculis inunguntur, quam, si vel arida, in eos coniiciuntur, vel aqua, aliisque liquoribus, excepta, instillantur. Lenibus igitur medicamentis facile et varie mistis, tum pus mouentibus, tum aliis modice reprimentibus, corneae vlcera ad sanitatem perduci, cicatrices autem interdum nulla vi adhibita tolli, crebrius extenuari, ex his clarum esse existimo. Aliena vero sunt omnia, quae valenter reprimunt, nec non alia, quae pus nimium citant, aluntque.

distinxit AETIVS *Lib. VII. Cap. 30. p. 127. Edit. s. c. et* in H. STEPHANI *Collect. Tetrab. II. Serm. III. cap. XXVIII p. 309.* CELSVS cum vngue confundit τὸ πτερύγιον, quod proprie membranulam significat, quae praeter naturam corneae superincreſcit.

15) l. s. c. p. 352, *Vne preparation, qu'on appelle dans les Rafineries Cronte de Sucre, qui est la partie qui retient la portion la plus grasse, qu'on cherche à separer de ce sel artificiel en le rafinant.* Illud autem miſceri potest cum cremore, qui ex semine cydoniorum paratur, si id ex aqua teritur.

PROLVSIO XXII.

DE IIS, QVI EX TVBERCVLIS GIBBEROSI FIVNT

PANEGYRI

ERNESTI FRIDERICI HAACKE

D. XXVII. APRILIS CIↃ IↃCCXXXXIII.

PRAEMISSA.

Ad legendos verſandosque vetuſtiſſimos artis noſtrae autores ſummopere inuitamur, ſi in iis aliquid inuenimus, quod illa, craſſis tenebris circumfuſa, aetate ex ſola obſeruatione aegrotantium diſcere potuerunt, quod vero horum temporum luce, quam, inter alias ſubtilius excultas diſciplinas, anatomia medicinae attulit, iam dilucidius explicatur, magisque confirmatur. Magnam enim in omnibus admirationem efficit accuratiſſima diligentia, quam veteres in morborum hiſtoriis conſcribendis, omnibusque, quae in horum ſymptomatis, criſibus, et euentibus, incidere ſolent, annotandis adhibuerunt, qua ſola obſeruatione illud conſecuti ſunt, vt pauca, quae hodie in publicum propelluntur, volumina, libris, quos reliquerunt, comparari poſſint, pauciora autem, vel nulla, iisdem praeferri. Quod ſi vero inter hos facile princeps eſt HIPPOCRATES, non omni tamen laude fraudandus eſt GALENVS, cui illud accidiſſe videtur, quod iis, qui, principatu depulſi, cum imperio omnem laudem amittunt. Bonus enim ille Pergamenus Doctor, qui cum Stagirita per plura ſecula Medicorum, Philoſophorumque, animos ita occupauerat, vt omnes religioni haberent, transuerſum, quod aiunt, vnguem ab horum magiſtrorum opinionibus recedere, iam contemtiſſimum nomen,

nomen, et illis ludibrio, eſt, qui, mentem ad medendi peritiam appellentes, non cum Neoptolemo ENNII (1) paucis et moderate, ſed ita, philoſophantur, vt *citra definitionem ne olus quidem empturi ſint.* (2) Multa bona habet GALENVS, cuius lectione peritiſſimi etiam Medicinae Profeſſores doctiores fieri, et abditorum morborum cauſas differentiaſque, a quibus medendi via trahenda eſt, diſcere, poſſunt. Nobis iam, data hac ſcribendi occaſione, integrum erit, oſtendere, GALENVM, qui in plures HIPPOCRATIS libros commentatus eſt, huius Aphoriſmum, quem de iis ſcripſit, qui ex aſthmate gibberoſi fiunt, recte eſſe interpretatum. Apud HIPPOCRATEM (3) ita dicitur: Ὁκόσοι ὔβοι ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίγνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται. *Qui gibbi ex aſthmate, aut tuſſi, fiunt, ante pubertatem, moriuntur.* Iam de gibberoſis fuſe lateque diſſerere non vacat, cum alibi de his corporis deformitatibus a nobis dictum ſit, (4) quo tempore potiſſimum probatum fuit, illas in pueris a variis cauſis fieri, plerumque tamen, ſi in eorum geſtu motuque mala conſuetudo haud vitatur. Haec conſuetudo autem pedetentim gignitur inter varias, et ludicras etiam, exercitationes, dum pueri currunt, petulanter agunt, ſedent, cubantque, et dum inter varios hos poſitus, ſi in iis diutius perſeuerant, tenerum corpus ad quosdam flexus formatur. Nam non raro ceruix breuiatur, alter humerus attollitur, vel proiicitur, alter deprimitur, atque contrahitur, ipſa vero dorſi ſpina, cui hac prima aetate facilis mobilitas cereaque mollitudo eſt, in variam partem inclinatur: id quod in latus fieri neceſſe eſt, ſi alter humerus frequenter et aſſidue tollitur, alter demittitur. Nolo vero illa iam repetere, aliosque geſtus motusque deſcribere, ex quibus illae pectoris atque membrorum prauitates naſcuntur. Iam illo enim

 tem-

1) CICERO *Tuſcul. Lib. II. Cap. 1.*

2) Sunt verba GALENI ἔνιοι γὰρ αὐτῶν δοκοῦσι μοι μηδὲ λάχανον ἂν πρίασθαι χωρὶς ὕρου. GALENVS *de Differentiis Pulſuum Lib. II. Cap. 3.* in quo libro plura leguntur, quae ad nimium philoſophandi ſtudium, quod arti noſtrae ſemper peſtilentiſſimum fuit, attinent.

3) *Aphor. Sect. VI. Aph. 46.*

4) *in Diſſ. de Thoracibus Anno MDCCXXXV.* propoſita.

tempore hanc cauſarum notitiam vel ideo oppido neceſſariam eſſe, oſtendi, quod deprehenderem, pluribus, etiam medentibus, vanam opinionem eſſe, omnes ſpinae diſtortiones membrorumque prauitates, non alia occaſione fieri, quam, ſi ictu, vel caſu, vel alio violento motu, corporum compages fuerit concuſſa, atque oſſium commiſſura violata. Atque hoc ante aliquod tempus ſingulari ſtudio executus eſt Vir doctrina clarus, aetate verendus, NICOLAVS ANDRY, in libello, qui *Orthopaedia* inſcribitur. Hic certe dignus eſt, quem legant parentes, omnesque, qui curam educandis formandisque liberis habent, vtque diſcant, quo modo componenda ſit omnis infantium actio, et qualis flexus motusque vitandus, ne teneriorum corporum forma atque pulchritudo corrumpatur. Operae etiam pretium eſt, vt adoleſcentes formoſaeque puellae, corroborata magis aetate, ipſae intelligant, corporis decorem aptamque membrorum figuram a motu geſtuque plurimum venire, cum ab indecoro diſtortoque geſtu, etiam confirmato iam per aetatem robore, perfectisque viribus, membrorum prauitates oriri poſſint. Hanc rem commemorabili exemplo, quod nuper admodum propoſuit, confirmat celeberrimus Anatomicus, IACOBVS BENIGNVS WINSLOVIVS. (5) Foemina (aetatem non addit) quae corporis proceritate per plures annos caeteris elatior fuerat, per aliquot menſes, leui reſolutoque amictu velata, omne tempus in ſedentaria opera conſumſit, ita, vt, vel prona, vel corpore in latus inflexo, ſedeculae fere ſine interminiſſione affixa eſſet. Elapſis aliquot menſibus, ea ſe vix ſine moleſtia erigere potuit, et in tergi infima parte, ſpinae aliquam diſtortionem ſenſit. Artis ſuae conſultiſſimus Vir iuſſit, vt ſemper, capitio, vel thorace, , ſingulari ſtudio aptato, amicta in ſella ita ſederet, vt ſcortea culcita tergo reſiſteret. Cum vero illa huic conſilio haud obtemperaſſet, ſpina breui magis contorta fuit, vt vera in ea eſſet σκολίωσις. (6) Adeo vero increuit in muliere hoc vitium,

5) *in Comm. A. R. Sc. MDCCXXXX. p. 50. Edit. Pariſ.*

6) Repetendum eſſe ſentio GALENO *in Comm. III. in Lib.* HIPPOCRATIS *de*

vitium, vt tandem tota ſtatura contractior eſſet, et quarta circiter parte breuior. Nam dorſi ſpina ita flexa intortaque fuit, vt coſtarum inferiores, quas ſpurias vulgo vocant, propius a ſumma ilei parte abeſſent, et, vt viſcera in pectore ac imo ventre, his nouiter ortis anguſtiis, multum vrgerentur. Sed, vt has deformitates, quas mala conſuetudo, et negligenter acti geſtus, adferre ſolent, nunc mittam, et me in iis contineam, quae propius ad verba HIPPOCRATIS accedunt, iam alibi (7) probatum fuit, gibbera etiam ex morbis oriri, qui, vel in totis corporibus, vel in horum interioribus ſedibus, conſiſtunt. Adduximus cocum HIPPOCRATIS, qui ex phrenitide gibboſus factus dicitur. (8) Prae cae-

de Articulis Textu II. T. XII. Edit. CHARTER. *p. 368.* quatuor eſſe gibberis modos: Κύφωσις, ὔβωσις, vel κύρτωσις, dicitur, ſi ſpina in poſteriorem partem extat, λόρδωσις, ſi illa in priorem partem proiicitur, σκολίωσις ſi illa tortuoſo flexu in vtrumque latus ad ſimilitudinem literae S inclinata eſt, et tandem GALENVS huc retulit σεῖσιν, quando vertebrae, laxatis aliqua vi ligamentis, ſede ſua manent, et ex hac haud mouentur.

7) in citata *Diſſ. de Thoracibus.*

8) *Epidem. Lib. V. Sect. XXII. T. I. p. 785.* et *l. c. Epid. Lib. VII. Sect. XXXVII, p. 860.* Haec cum iam ſcripta eſſent, lego, quae Doctiſſimus Vir STEPHANVS MACRIVS ſplendidae et accuratiſſimae editioni *Operum* HIPPOCRATIS praefatus eſt, quorum *prior Tomus, Viennae Auſtriae anno praeterito* editus, forte oblatus fuit. Inuenio, Virum Clariſſimum, et de HIPPOCRATE optime meritum, inter alia, quae ex collatis Codicibus, tum MSS. tum impreſſis, emendauit, etiam haec loca reſtituiſſe, in qua re ſecutus fuit THOMAM REINESIVM *in Epiſt. XXXVIII. ad* NESTEROS *p. 68.* Sic vulgo leguntur verba: τῷ μαγείρῳ ἐν ἀκάνθῳ τὸ κύφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο Ita vulgo vertunt: *coco in ſpina gibboſitas facta eſt ex phrenitide.* Legendum vero eſſe oſtendit REINESIVS: τῷ μαγείρῳ ἀκάνθῳ κώφωμα ἐκ φρενίτιδος ἐγένετο. *Surditas contigit coquo in Acantho.* Acanthus enim fuit vrbs Macedoniae, et, id quod MACKIVS addit, aliae etiam variarum regionum vrbes hoc nomen habuerunt. In LINDENIO priori loco legitur κύφωμα, in altero κώφωμα. In verſione autem, quam poſt obitum LINDENII filius adiecit, is vtrumque vocabulum per gibboſitatem interpretatus eſt. Haec emendatio, non tam ingenioſa et probabilis, quam vera eſt, cum ex phrenitide longe facilius μετάστασις fieri poſſit ad aures, et praecipue ad fauces, ad quas EVSTACHII tuba pertinet, quam rem etiam his diebus obſeruatio confirmat. Sed vero, cum morborum conuerſiones ſaepe admirabiles fiant, non omnino a natura alienum crediderim, etiam ex hac, non recte iudicata, fieri in dorſi ſpina tubercula.

caeteris autem illam CHICOYNAEI (9) puellam, quam, cum non parum emotas ſcapulas haberet, et σκολιώσει laboraret, febris acuta liberauit. Haec enim, qua multum periclitata eſt, ſoluta fuit, aluo per plures dies fluente, per quam cruenta purulentaque deſcenderunt. Interea vero non ſolum dorſi ſpina multum erecta fuit, ſed omoplatae etiam iterum in ſedem ſuam reuerterunt. His enim, aliisque, cognitis morborum hiſtoriis, permotus, iam illo tempore GALENO adſtipulatus ſum, qui gibbera ex tuberculis, vertebris, earumque ligamentis inhaerentibus, oriri oſtendit, quibus dum illae membranae adducuntur, etiam dorſi ſpina in variam partem inclinatur. Hanc GALENI ſententiam, et tubercula, quibus, homines gibberoſi fieri dicuntur, plures in dubium vocant, vel illa non vertebris, ſed pulmonibus, inhaereſcere exiſtimant. Inter hos inuenio, prae caeteris, Doctiſſimum Virum HIERONYMVM MERCVRIALEM, (10) qui in ea opinione eſt, ex tumoribus, ſi illi non vertebras, ſed pulmones, vel diaphragma, occupauerint, oriri pectoris anguſtias, ſpirandique difficultatem, cum prohibeant, quo minus pulmones ſpiritum recte haurire poſſint. Impedita autem, et anheloſa, reſpiratione hominem curuari, dorſi ſpinam concuti vertebras, laxatis tandem vinculis, diſtrahi, aliquantum emoueri, et ſic gibbera naſci. Aduerſus MERCVRIALEM, alioſque, qui hunc ſecuti ſunt, contendit eximius Vir, MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, (11) qui tubercula non pulmonibus, aliisque ſedibus, ſed vertebram ligamentis, innaſci, oſtendit. Cum quo alii praeſtantiores Scriptores, et inter hos, DESIDERIVS IACOTIVS, conſentiunt. (12) Nihilo minus de his tuberculis omnino dubitare videtur THEOPHILVS BONETVS, (13) qui in multis, a ſe inciſis, cadaueribus, talia nunquam reperta fuiſſe, aſſeuerat. Sed vero, ſi quid

9) *in Comm. Acad. R. Sc. MDCCXXXI. p. 724*

10) *in Med. Practica Lib. II. Cap. 2. p. 184.*

11) *de Gibbis, Valgis et Varis, in libro de Recondita Abſceſſuum natura.*

12) Vide eius *Commentaria in Coacas* HIPPOCRATIS *cum aliis* IACOBI HOLLERII *editis Lib. III. Comm. I. Sect. II. p. 624.*

13) *in Sepulchreto T. I. Lib. II. Sect. XII. Obſ. 7. Append. 2. p. 720.*

quid ego ſentio, res haud quidquam dubitationis habere videtur, quam ante oculos ponere non adeo difficile eſt. Forte pauci ignorant, non ita raro inueniri in gibberoſorum cadaueribus vertebras, quarum anterior pars, quae ampliorem circuitum habet, corpus vocant Anatomici, carie exeſa eſt. Ipſe BONETVS duas obſeruationes ex GVILIELMO FABRICIO, HILDANO, adducit. (14) Et eiusmodi vertebras plures ſe poſſidere profitetur FRIDERICVS RVYSCHIVS, quarum corpora corrupta, vel, vt loquitur, *in nihilum redacta*, gibbera fecerant. (15) Vertebras carioſas etiam NICOLAVS DE BLEGNY, (16) GVIL. COWPERVS, (17) IOH. RVDOLPHVS ZWINGERVS, (18) DANIEL NEBELIVS, (19) FRANCISCVS IOSEPHVS HVNAVLDVS, (20) et forte alii, deſcripſerunt. Quibus ego iam addo figuram thoracis, quem, ante aliquod tempus ab amico oblatum, cum alio apparatu, ad oſſium morbos cognoſcendos aptato, aſſeruo. Eſt ſceletos infantis, quem annorum quatuor, vel quinque, fuiſſe opinor. In ea conſpicitur vera κύφωσις, quod dorſi

14) *c. l. Obſ. 2. p. 712. in* HILDANO *Cent. I. Obſ. 43. p. 41. et Cent. V. Obſ 66. p. 157.*

15) *Obſ. Anat. 67.*

16) *in Zodiaco Medico Gallico Anno II. Febr. Obſ. XIII. p. 48.*

17) *in the Anatomy of Humane Bodies ad Tab.* BIDLOI *LXXXXIII.*

18) *in Ephem. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ. 81. p. 196.*

19) *in Actis Phyſico-medicis Nat. Cur. Vol. V. Obſ. 109. p. 388.*

20) Acad. Reg. Pariſienſis et Societ. Britannicae Socius in Diſſ. ſ. Quaeſtione medico-chirurgica: *An ab ictu, lapſu, niſuue, quandoque vertebrarum caries? Lutetiae, MDCCXXXXII.* propoſita. Addidit figuram quatuor vertebrarum. Inter ſupremam et alteram nullum repertum fuit ligamentum cartilaginoſum, quo naturaliter vertebrarum corpora conſtringuntur, quod omne exeſum fuit. Trium inferiorum vertebrarum corpora inter ſe quaſi coalita fuerunt, vndique vero arroſa. Vir Clariſſimus, quem obiiſſe accepimus, has vertebras ex fabri lignarii corpore diſſecto extraxerat. Cauſam huius vitii ex auctoris verbis intelligere poterimus: *Tanta mala inducere valuit vnicus corporis niſus. Vir ille ante duos annos, trabem humeris dum nititur ſuſtinere, ſubito ad infimam dorſi partem correptus eſt dolore, quem excepit ſpinae mouendae difficultas, dein ipſius praeternaturalis curuatura, et proceſſuum ſpinalium eminentia.* Addit etiam alteram figuram, in qua conſpiciuntur quatuor vertebrarum corpora, *ita*, vt is loquitur, deſtructa, ita *carie exeſa, vt antice vnius pollicis latitudinem vix obtineant.*

dorſi vertebrae, praecipue illarum tertia, quarta, quintaque, in poſteriorem partem non parum exceſſerunt, ita, vt illi poſteriores proceſſus, quibus a ſpina nomen eſt, longe extantiores ſint. Tres vero ſuperiores thoracis vertebrae, cum duabus infimis ceruicis, pronae depreſſioresque, in priorem partem inclinatae ſunt. Intrinſecus autem illarum vertebrarum corpora ita vitiata ſunt, vt quartae ſeptimaeque vertebrae non ita magna pars, quintae ſextaeque autem nihil omnino, praeter proceſſus, quorum ſingulae vertebrae ſeptem exigunt, relictum eſſe videatur. Carie etiam vexatae fuerunt octaua, nonaque, nondum autem, vt priores, prorſus exeſae, nec, quamuis vitium in nona iam altius deſcendiſſe videatur, ſpina ea parte curuata eſt. Vertebrae autem, quae carie corruptae ſunt, illo cartilaginoſo ligamento, quo corpora inter ſe adſtringuntur, deſtituuntur. Qua occaſione hoc vitium natum fuerit, quibus cum ſymptomatis illud adoleuerit, et qualis fuerit exitus, mihi haud compertum eſſe doleo. Illud igitur extra dubium eſt, pueros, imo adultos, gibberoſos fieri, ſi vertebrarum ſic dicta corpora corrupta ſunt, et carie exeſa. Nam, dum dorſi ſpina erecta eſſe nequit, caput cum ſummis ceruicis vertebris pondere ſuo in priorem partem prolabitur, id quod ſi incidit, proceſſus extantiores, quibus a ſpina nomen eſt, in poſteriorem partem porriguntur, et naſcitur vera κύφωσις. Sed iam videndum, vnde caries oriatur. Haec autem non facile ab alia cauſa naſci poteſt, quam, ſi ſuper vertebras, inter membranas ligamentaque, vel etiam in illo molli cartilaginoſo ligamento, quo corpora inter ſe adſtringuntur, humor confluxit, et tubercula fecit. Ille autem humor, accedente inflammatione, tandem in pus vertitur, et, ſi huic exitus non datur, in ſaniem, quae oſſa rodit, ligamenta exeſt, atque tandem in pectus, vel ipſum pulmonem, ſi is pleurae accreuit, perrumpit. Quia vero oſſa hoc vitio liberari haud queunt, caries altius deſcendit, atque ad vicinas partes, ipſasque coſtas, tranſit; Interea malum vlcus ſerpit, et, dum corrupta ſanies, vel in pulmonem, vel in pectus, deſtillat, ſpirandi difficultas multo magis

magis augetur, quam prius in tumorem leuata, adductaque, ligamenta, quae, quo minus pectus satis expandi possit, prohibent, attulerant. Probabile enim haud videtur, quod forte in nonnullorum opinione positum esse posset, illam vertebrarum cariem ab erosis extrinsecus membranis ligamentisque venire. Nam, vix crediderim, vnquam in iis, qui, exulceratis ex alia causa pulmonibus, vel pure in pectus effuso, tabidi, aut ἔμπυοι, obierunt, ossa, vertebras, costasque, carie, tam alte et ad interiora descendente, exesas fuisse repertas. Haud vero negauerim, hoc vertebrarum vitium ex παυδαρθροκάκη, vel, vt vocant, spina ventosa, oriri posse, quod valetudinis genus ab interioribus ossibus, ipsaque corrupta medulla, incipere solet. Sed vero, si hoc etiam incideret, vt vitium ab interiori osse incipiat, et sanies ex corrupta medulla fiat, tamen ex hac tumores nascerentur, tuberculis non multum absimiles. In eiusmodi enim subtereuntibus vlceribus sanies, quae foras procedit, membranas in tumorem attollit, antequam illas penitus exesas perrumpit. In omni παυδαρθροκάκη, quae pedum manuumque ossa frequentius, interdum etiam alia, occupat, cutim, antequam mala vlcera rumpuntur, intumescere, nemo, chirurgiae peritus, ignorat. Sed vero longe frequentius illa tubercula, ex quibus pueri gibberosi, et tandem asthmatici, fiunt, ex violenta ligamentorum, quibus vertebrae inter se continentur, intentione, nascuntur. Hoc plures ex iis, quas supra adduxi, a ZWINGERO, NEBELIO, HVNAVLDO, proditae morborum historiae confirmant. Illi enim homines, in quibus post obitum vertebras carioſas inuenerunt, dirum hoc valetudinis genus contraxerant, dum totius corporis nixu grande pondus sustinere, promouere, aut ex terra tollere, voluerant. Protinus enim de subito ac intolerabili dolore, torsi spinam infestante, conquesti sunt, qui dolor eos etiam, quamdiu superstites fuerunt, nunquam penitus dimisit. Acutum dolorem effecit valentior ligamentorum intentio et contortio, id quod in illa GALENI στάσει fieri vulgus non ignorat, qui saepius, et quandoque sine necessitate, de hac re (das Wehe thun) conque-

ritur. Manſit vero in his aegris dolor, et ſecuta ſunt alia peſſima mala, quod ſub illa intentione rupta eſſent, quaedam ſanguinis, aliusue humidi, receptacula, et quod humor ex iis emiſſus inflammationem moueret. Pus vero, cum, penitius conditum, nullum exitum haberet, inter oſſa ligamentaque relictum, in ſaniem verſum eſt, quae interdum, illis ipſis tuberculis incluſa, diutius haeſit, interdum autem, latius diffuſa, arroſis ſub finem oſſibus, ligamenta membranaſque penetrauit. Sed vero etiam illa tandem tubercula nocenter adoleſcunt, ac rumpuntur, malus vero humor effertur, atque ſic vlcera fiunt ſinuoſa, calloſa, ſupercreſcentia. Haec videtur frequentior cauſa eſſe horum tuberculorum, quorum tamen fons etiam interdum in ipſo corpore, huiuſque humidis, naſci poteſt. Nam, ſi febris, veluti illa, quae cum variolis eſt, recte diſcuſſa non fuit, morbi materia in has ſedes interdum conuertitur, vt illae per ſe intumeſcant. Id quod, cum non adeo frequenter euenire videatur, iam mitto, cum haec res alias notas habeat, potiſſimum ab ipſa febre et malae materiae coctione, atque criſi, petendas. Ex his autem palam eſſe crediderim, GALENVM recte dixiſſe, pueros gibberoſos, aſthmaticosque, fieri ex tuberculis, cum ab his vertebrae vitium contrahant, et carioſae fiant. Gibber vero, et praecipue illud genus, quod caeteris frequentius eſt, κύφωσις, non ſemper ideo naſcitur, quod ligamenta a tuberculis, iisdem innatis, diſtenta adducuntur, ſed ſorte crebrius, quod, corruptis exeſiſque vertebrarum corporibus, ſuperior ſpina, capitis pondere grauata, in priorem partem deprimitur.

PROLVSIO XXIII.

DE

FASCIA INFIRMITATEM ADIVVANTE PANEGYRI

M. IOHANNIS BENIAMIN BOEHMERI

D. III. SEPT. CIↃ IↃCC XXXXV.

PRAEMISSA.

Quotidianam obſeruationem habent medentes, qui artem inter aulicos vrbanosque homines faciunt, veriſſimum eſſe, quod ab AVRELIO CORNELIO CELSO (1) proditum legimus, infirmitatem omnibus morbis maxime obnoxiam eſſe. Inter viros enim inueniuntur non pauci, qui, vel literarum nimis cupidi, vel rerum, tum publicarum, tum priuatarum, procurationibus impliciti, animum negotioſa cogitatione fatigant, et corpus infirmum reddunt, aptumque, vt ex quauis occaſione aduerſam valetudinem contrahat. Aliis, viris aeque, ac foeminis, quibus domus ad propriam perniciem opime et opipare inſtructa eſt, qui aſſidue conuiuantur, nocet dubia coena, victus, plenior, et luxurioſior, potio valentior, et inertiſſimum, deſidioſiſſimumque, quo langueſcunt, otium. Nullus dubito, his noſtris temporibus infirmitatem augeri cibo nimis iurulento, et calda, qua omnes, ex ſeculi more, inundamur. Diſcrimina vero recipit infirmitas, cum nonnulli totum corpus, alii partem, viſcus aliquod, veluti ſtomachum, pulmonem, alii membrum quoddam, imbecillum habeant, et naturae robore deſtitutum. Neque minus origine cauſaque differt infirmitas, cuius ſedes non in aliis, quam ſolidis, partibus

1) *De Medicina Lib. I. Cap. III.*

esse potest, ex quibus naturam, admirando diuinoque artificio, corpus fabricatam esse nouimus. In his vero, quamdiu vita retinetur, duplex robur deprehendere quilibet potest. Nam omnes fibrae, ex quibus corpus nostrum effectum contextumque est, constant ex elementis, quae non solum magnitudine et figura, sed etiam cohaerentia, qua inter se commissa continentur, differunt. A qua cohaerentia naturale illud robur, quod etiam post mortem relinquitur, proficisci videtur. Igitur fibrae, ex quibus variae partes componuntur, iusto rigidiores sunt, atque fragiliores, tenaciores, flaccidioresque, habent maiorem, minoremque, elasticitatem, ita, vt, si a re quapiam extrinsecus accedente intentae, vel flexae, fuerint, se ipsas possint restituere, vel minus possint. Praeter hoc vero naturale robur, est in corpore viuo alia vis, quae vitalis appellari poterit, a neruorum implicatione toto corpore pertinente profecta. Nerui enim, ex cerebro tracti, et in corpus diuisi, sensum motumque varium in partibus praestant, et illud naturale, ab elementorum cohaerentia dependens, robur non parum adaugent. Discrimen illud, quod naturale atque vitale robur intercedit, singulari studio expossuit Clarissimus Vir IOHANNES NICOLAVS WEISIVS, Professor Altdorfinus. (2) Summa vero inter vtramque, tum naturalem, tum vitalem, vim est consensio, ita, vt, si fibrae laxiores fiant, nerui etiam sua virtute tandem destituantur, et, si neruorum resolutio aliquod membrum infestauerit, illud etiam marcidum fiat, atque flaccidum. Quoniam vero arduum est, ac perdifficile, his infirmitatibus mederi, omni ope atque consilio enitendum est iis, qui aegris, vario morborum genere laborantibus, sanitatem promittunt, vt opportuna reperiant auxilia, et, ne quaedam ex his, quae

2) *In Dissertatione de Discrimine motus elastici et vitalis fibrarum, Altdorfii, MDCCXXXV.* In robore illo vitali explicando, post BAGLIVIVM, totus fere fuit STAHLIVS, qui vero ei nimium tribuere videtur. Hoc autem fere neglexit BOERHAAVIVS. Confer, quae habet de vasorum contractione propria VAN SWIETEN *in* BOERHAAVII *Aphorismum CXIII.* nec non GORTERVS *in Compend. Medicinae Tr. I. §. 17. Tr. XXI. §. 1.* et prae caeteris *Tr. XXXXVI. §. 8. p. 234.*

quae etiam minus valida videri poſſint, negligant. Iam mihi propoſitum eſt, oſtendere, in variis caſibus infirmitatem multum adiuuari, imo etiam curari, tollique, vſu faſciarum, quibus variae corporis partes inuoluuntur, adſtringunturque. De herniis nihil commemoro, in quibus ea, quae laxato peritonaeo, ex abdomine deuoluta ſunt, intus compelluntur, et ſola vinctura continentur, qua omne periculum auertitur, et, minimum in pueris, vitium etiam tollitur. Nec dicere attinet, articulos, ſi ſuis ſedibus exciderunt, poſtquam fuerunt repoſiti, per aliquot dies faſcia comprehendendos eſſe, vt laxiora ligamenta confirmentur. Nota eſt omnibus conſuetudo obſtetricum, quae puerperis, poſtquam partum enixae ſunt, abdomen faſcia deligant, quamuis non raro ignorent, cur hoc ita fiat. Nam et id ſaepius inter ſuperuacua, quam inter neceſſaria, eſt. Inueniuntur nonnulli, etiam inter artis obſtetriciae autores, qui hanc abdomen vinciendi rationem reprehenduut, oſtenduntque, eam puerperis magna pericula adferre poſſe. Inter hos primo loco nominandus eſt peritus inter Gallos Chirurgus, vel propter probitatem, ingenuitatemque, quam in omnibus ſuis ſcriptis prae ſe ferre videtur, laudandus LA MOTTE. (3) Is enim in teſtimonium adducit obſeruationes, ab alio Chirurgo Gallo, LE PEV, (4) ſcriptas, quibus etiam proprias addit. His clarum eſt, adſtrictiori faſcia ſupprimi illas muliebres purgationes, quae poſt partum prouenire ſolent, ita, vt, praecluſis venarum, ſanguinem aliumque humorem fundentium, oris, retentaque materia, venter etiam intumeſcat, atque periculoſiſſima vteri inflammatio, cum grauiori febre, moueatur. Sunt alii, qui nullo diſcrimine puerperis, faſciam non ſolum iniiciunt, ſed etiam valentius adducunt, dicentes, ſic ventrem erugari, atque ad priorem formam venuſtatemque reuocari. Nemini difficile erit, has lites componere, qui conſiderat, faſciam infirmitati mederi, et ideo admodum opportunam eſſe ventri, qui iam frequentius a partu,

3) *Traité des Accouchemens L. V. Cap. VIIII. p. 792.*

4) *La Pratique des Accouchemens par* LE PEV, *a Paris, MDCLXXXXIIII. p. 526*

tu, quem intus habuit, intentus, et, post hunc editum, resolutus, fuit, ex qua re magna fibrarum laxitas relinquitur. Id vero non solum musculis, ac peritonaeo, accidit, sed ipsi etiam vtero, qui, relaxatus, difficilius contrahitur. Haec res foeminam in magnum periculum adducere potest, si sanguis post partum ex vtero cum impetu, et ita, ruit, vt eius profusio illam exinanire atque interimere possit. Huic periculo opponitur fascia, quae arteriarum venarumque debilitatem adiuuare potest, dum illa receptacula, quae propter imbecillitatem se non satis subito contrahere possunt, moderate comprimit. Vasa enim, nimia intentione debilitata, laxataque, sanguinem cum periculo fundere, alia docent, eaque confirmabunt, quae mox de hydrocele exponam. Praeter hanc vasorum debilitatem nonnunquam foeminis, quae, vel frequentiorem, vel geminatam, prolem ediderunt, incidere solet, vt ipse vterus, relaxato peritonaeo, aliquantum e sede sua in priorem partem promoueatur, et ante pectinem promineat. Hoc autem, quod parturientibus nonnunquam summam difficultatem adferre potest, nisi foeminae aliter, ac caeteroquin fieri solet, et supinae, collocentur, post editum partum prohibere potest, quo minus τὰ λόχια recte proueniant. Et huic incommodo mederi fascia potest, si recte fuerit accommodata. Sed vero illa opus non est, si foemina primum partum enixa est, nisi ea corpus habeat valde rarum, et, ex aliis occasionibus, infirmum. Imo in hac, aliisque, si imus venter, et ei subiectus vterus, vel adstrictiori fascia, impositisque densioribus pannis, vel valentioris fasciae duriori nodo, vrgentur, inflammatio, cum mortis periculo, excitari potest. Pernicioſe enim, et pestifere, cum puerperis agunt obstetrices, quae illam, quam abdomini iniiciunt, fasciam, non acu, fibula, ligula, vel sutura, sistunt, sed pleniori, duriorique, quem connectunt, nodo Sunt aliae occasiones, in quibus hanc fasciarum vtilitatem manifeste comperimus, et manu quasi tenemus, veluti, si aqua hydropicis emittitur. Nam, si venter valde intentus fuit, vix sine pernicie ex eo omnis humor effundi potest, nisi is a chirurgo

rurgo prematur, vel faſcia, quae paulatim adducenda, arctandaque, eſt, circumdetur. Experientia enim in his ipſis curationibus docuit, homines, quibus omnis aqua ſimul euocata fuit, nonnunquam in ipſo opere animae defectione eſſe extinctos; Cuius rei non aliam, magisque probabilem, cauſam inuenio, quam, quod ſanguis per vaſa, quae ab aquarum mole preſſa fuerunt, et coarctata, nunc autem, emiſſis aquis, relaxata, deficiente renixu, non poſſit perlabi. Arteriarum naturalem contractionem ad ſanguinis motum plurimum facere, exploratum eſt, confectumque. Qui itaque, ex veteribus, hydropicos curaturi, ventrem ictu perforauerunt, eos curationem diuidere, et primo die non, niſi aliquam partem humoris, effundere oportuit, atque per inſequentes dies, id, quod eius reliquum erat. Iam vero, ſi abdomen premitur, adſtringiturque, ſine periculo aqua ſimul emitti poteſt, donec eius nullum veſtigium appareat. Nouum faſciae, vel cinguli, genus ad id excogitauit delineauitque Celeberrimus Vir ALEXANDER MONRO. (5) Operarii homines, qui grauiora pondera ferunt, mouentque, cingulo abdomen coërcent, ex qua vinctura robur ſibi augeri exiſtimant. In febribus nonnunquam graues capitis dolores ſunt, aduerſus quos prima plerumque curatio eſt, faſciam capiti circumdare, eamque paulo magis adſtringere. Et iam HIPPOCRATES habuit τὰ ἐρμάσματα καὶ ἀποσηρίγματα, fulcimenta, et ſtabilimenta, mediantibus faſciis, pectori atque coſtis, nec non capiti, aptanda, ne illae partes ab arteriarum ictibus, tuſſi, ſternutatione, concuterentur, et, vt firmarentur etiam capitis ſuturae. (6) Apud GALENVM legimus, olim aurigas, coſtarum continendarum cauſa, faſcia vſos eſſe, quam ἀμαρτηλάτην nominauerunt. (7) Foe-

5) Vide *The Medical Eſſays published in Edenburgh, Vol. I. Obſ. XVIII. p. 214.*

6) Vid. HIPPOCRATES *de Medici officina Comm. III. Text. 37. T. XII. Edit.* CHARTERII *p. 111.* confer VIDVM VIDVM *in Chirurg. Lib. III. Cap. VIII. p. 72.*

7) Vid. GALENVS *de Faſciis Cap. VI. Text. 106. T. XII. Edit.* CHARTERII *p. 497.* figura in Tabulis expreſſa eſt, quae eodem volumine continentur.

Foeminae vrbanae, delicate molliterque educatae, quibus magna laterum infirmitas, virium imbecillitas, eſt, ſi a teneris rigidioribus thoracibus amiciuntur, vt gratam proceritatem, gracilitatemque, conſequantur, his cataphractis tandem adeo adſueſcunt, vt, ſi, illis exutae, incedere velint, aliquam infirmitatem, moleſtiamque, ſentiant. Non quidem ignoro, vim maximam eſſe etiam rerum minimarum, ſi earum longa iam conſuetudo facta eſt, ſed vero hanc non ſolam huius debilitatis, quam ſentiunt, cauſam eſſe, ex aliis compertum habeo. Huius rei enim teſtem citare poſſum Illuſtrem Virum, GERARDVM VAN SWIETEN, (8) incomparabilem magni Praeceptoris interpretem, et ob id ea, quae is obſeruatione notauit, totidem verbis transferam: *Memini, me curaſſe nobilem puellam, qua in genere neruoſo mobiliorem nunquam vidi: a minimo ſono, lumine viuidiori, conuellebatur illico, miros motus cum laceratione ſenſu in abdomine ſentiens: nec ferulacei ſucci, nec adeo ſalubre in his caſibus caſtorei virus, proderant: dum autem faſciis crura, femora, totum abdomen ad mammas vsque firmabantur, remiſit ſtatim moleſtum malum, et, datis dein idoneis remediis, conualuit: per menſes tamen ſic, inſtar Mumiae Aegyptiacae fere, faſciis circumductis, vixit non inuita, cum ilico tantum inde ſentiret ſolamen.* Quantum enim mihi videtur, nihil magis luculentum dici atque commemorari poteſt, quo probemus, faſcias etiam neruorum, atque totius corporis, infirmitati opitulari. Tanto magis vero hoc fieri poteſt, ſi debilitas certas corporis ſedes infeſtat. Se nobis hic obuiam dare videtur ille agreſtis homo GALENI, (9) qui, cum plenioris inteſtini dolore, colicam vocamus, cruciaretur, allium comedit cum pane, ſe in conſuetis laboribus exercuit, ventrem arctius cingulo praecinxit, per diem ab omni potu abſtinuit, veſperi autem meracius bibit, et vna nocte, qua tota quieuit, omnem dolorem diſcuſſit. Longe vero euidentior eſt effectus harum faſciarum in variis caſibus, quibus, ex imbe-

8) *In Comment. in Aphoriſmum* BOERHAAVII *XXVIII. p. 35. Lib. XII. Cap. VIII. T. X. Edit.* CHARTERII *p. 201.*

9) GALENVS *de Methodo Medendi*

becillitate ortis, crura patent, ita, vt horum, nisi illae adhibeantur, saepe frustra quaeratur sanitas. Crura ex variis occasionibus intumescunt, id quod iis potissimum accidit, qui, dum rheda, vel etiam equo, vecti, longinqua itinera faciunt, diu multumque venas, ad pedes pertinentes, comprimunt: Nec non aliis, qui per loca palustria pedibus eunt, aut in his venando ambulant. Non solum aurigae suas apud veteres habuerunt fascias, sed etiam suas venatores, quae vero, id quod etiam ex GALENO (10) discimus, fuerunt ἐπίδεσμοι εἰς τοῦτο ὑφασμένοι, *fasciae ad id contextae*, quas ab aliis οἱ πρὸς ἄλλην χρείαν γεγονότων ὑφασμάτων, χιζομένων γίνονται, *quae ex tela parantur, ad alios vsus contexta, sciſſaque*, distinguit. Est tibialis genus, peritioribus chirurgis notum, quod, ex paulo valentiori lineo panno scissum, ita aptatur cruribus, vt illud e latere ligula possit arctari: Ein Schnür-Strumpf. Si hac fascia crura in itineribus muniuntur, pedes haud intumescunt, et auertitur omnis eorum inflatio. Summam vero vtilitatem praebet hoc fasciae genus in curandis malis crurum vlceribus, si his fibrarum, ipsiusque cutis, subest quaedam infirmitas. Sola enim fascia saepe restituti sunt, qui remediis aliis diu fuerant frustra curati. Accidit aliquando, ante hos quadraginta et plures annos, Clarissimo et magni nominis inter suos Viro, vt pes tibiaque ictu fulminis adurerentur. Orta sunt mala vlcera, intentis et intumescentibus iis, quae circa erant. Vlcera variis remediis diu fuerunt agitata, quae omnia nihil profecerunt. Fuerunt nonnulli, qui, de partium imbecillitate cogitantes, cruri habenam iniecerunt, in cochleam serpentem, vt illud comprehenderet, atque laxiores partes paulo valentius adstringeret. Sed vero, fasciarum genus, quod, saepius circumeundo, membrum, amplectitur, pedem non satis continet, leuique data occasione, laxatur, et resoluitur, quare nec haec res feliciter cessit. Tandem vero eximius illius temporis Chirurgus Amstelodamensis, ADRIANVS VERDVYN, cuius frequentiorem mentionem cum laude RVYSCHIVS in scriptis suis fecit, consilium dedit

10) *De Fasciis l. c. Cap. II. T. XII. Edit. cit. p. 472.*

de illo faſciae, vel tibialis, genere, tumido pedi aptando. Optime haec curatio reſpondit. Elapſis enim paucis diebus, deſedit tumor, et vlcera ad cicatricem peruenerunt. Relicta tamen fuit per omnem vitam debilitas in membro, ita, vt per dies, noctesque, pes hac faſcia inuoluendus, continendusque, eſſet, qui, ea reſoluta, mox iterum intumuit, ita, vt vlcera etiam renouarentur. Ab illo tempore, quo hoc vidi, frequentius adhibui hoc auxilium, praecipue in ſanandis vlceribus, a male curato eryſipelate relictis. Sed vero, paulo ſubtilior obſeruatio neceſſaria eſt, cum non omnes tumores hanc curationem recipiant, quae mortem etiam feſtinare interdum poteſt. Nam, ſi tumores atque vlcera in cruribus non per ſe inceperunt, ſed alii vetuſto morbo, veluti cachexiae, ictero, hydropi, ſuperuenerunt, non ſine pernicie adſtringuntur pedum tumores, quod humor, niſi exitum inueniat, ad ipſum ventrem reuertitur, et, dum hic magis attollitur, tandem ſummam ſpirandi difficultatem adfert. Nonnunquam tamen etiam hydropicis haec faſcia vtilis eſſe poteſt. In illis enim hydropis generibus, in quibus hominem aqua inter cutem male habet, vel, vbi multa aqua in ventrem contracta eſt, ὑπὸ τὴν σάρκα et ἀσκύτην vocant, interdum morbus ad tempus leuatur, interdum etiam tollitur, et homo ad ſalutem perducitur, ſi per plures dies multus humor ex crurum vlceribus fertur. Haec vero vlcera quandoque ſcalpello fiunt, dum tumor ſuper talum altioribus plagis inciditur. Illa etiam, adurentibus impoſitis, vel, id quod veteribus praecipue in more fuit, candentibus ferramentis admotis, concitari queunt, quae ſemper, quacunque ratione fuerint orta, diu, moto etiam, quantum res, et gangraenae metus, permittit, pure, ſeruanda ſunt. Sed vero experientia in his curationibus docuit, effuſa tandem aqua, cutem cum adipe multum flacceſcere, atque quaſi reſolui, id quod oculis, prementeque digito, cognoſcitur. Ob quam rem, et quod ſanguis per laxatas, omnique robore defectas, arterias haud recte diffundi mouerique poteſt, is non raro ſubſiſtendo inflammationes ſuppurationesque mouet, quae, in mali habitus corpore, nunquam non

poſſunt

poſſunt terrere. Hoc, ſi praeuidemus, cauere poſſumus, dum faſcia comprehendimus membrum, et hanc, exeunte humore, indies magis adducimus. Alia genera morborum ſunt, quae ſine faſcia, infirmitatem adiuuante, vix curantur. In hydroceles curatione, quae ſcalpello fit, interdum medentibus non inanem metum iniicit ſanguis, qui ex plaga cum periculo ruit, id quod mihi etiam accidiſſe fateor. Hoc vero profluuium ab omni ſanguinis profuſione, quae ex aliis vulneribus fieri conſueuit, differt. Nam primo die ex recenti vulnere ſanguinis parum exit, et is etiam plerumque ſua ſponte, vel impoſitis aridis linamentis, conquieſcit. Sed vero, altero circiter die, vulnus madere incipit, et ex eo copioſior humor, ab initio limpidus, poſt ſanguinolentus, fertur, quem tandem ſanguis ſincerus, rubensque, ſequitur, vt eius profuſio hominem etiam exhaurire queat. Cuius rei non alia cauſa eſt, quam, quod arteriae in teſtium velamentis, ab aquarum mole, valde diſtentae fuerint, et longinquitate temporis, quo inſedit tumor, debilitatae. Nam illae, eo tempore, quo ex inflammatione, quam omnibus vulneribus ſuperuenire neceſſe eſt, febris incurſat, atque ea ſanguis citatur, ab huius irruentis impetu ampliantur, ita, vt per illas, relaxatas, atque, tum naturali, tum vitali, renixu, deſtitutas, humor cum impetu transfundatur. (11) Euidentis huius cauſae notitia ei, qui curare vult, neceſſaria eſt, quod is ab ea medendi rationem inſtruere debet. Nam huic infirmitati is opitulari poterit, ſi, effuſa aqua, faſciam adhibuerit, quam *ſuſpenſorium* vocant chirurgi, illamque ita accommodauerit, vt ea ſcrotum, et quae ei ſuperhabenda ſunt, non tantum ſuſtineat, ſed etiam paulo magis comprimat, atque adſtringat. Nec alienum eſt, infirmatis his partibus, pannos imponere, ex vino auſtero, vel aceto, cui aqua miſceri poteſt, expreſſos. Alia valetudinis genera omitto, in quibus faſcia infirmitatibus mederi poteſt. De aneuryſmate autem

11) Vide hiſtoriam a Chirurgo Scoto, IACOBO IAMIESON, propoſitam *in the Medical Eſſays Vol. II. Obſ. XIIII. p. 252.* Confer, quae habet ALEXANDER MONRO *c. l. Vol. V. p. 376.* De his quaedam propoſui in *Diſſertatione de Hydrocele*, quae vero in hac ſcriptione fuerunt repetenda.

tem quaedam commemorabo, cum in huius curatione effectus euidentior sit, ita, vt homo, si a sola etiam vinctura praesidium petatur, magno periculo possit liberari. De illo genere loquor, quod verum appellant chirurgi, in quo arteria, caeteroquin integra, sed aliqua sua parte laxior, ita dilatatur, vt tumor rotundus nascatur, qui in brachio, aliisque membris, et exterioribus sedibus etiam super cutem prominet: id quod incidit, si exteriores arteriarum tunicae, vel quaedam earum velamenta, quibus continentur, musculorum prae caeteris aponeuroses, scalpello incisae, aliaue ratione violatae, infirmataeque, fuerint. Ab hoc, id quod neminem, qui rerum nostrarum peritus est, fugit, differt aneurysma nothum, in quo ipsa arteria vulnus accepit, ita, vt sanguis, ex ea effusus, inter adipem increscat, tandemque cutim etiam attollat. Vtrumque genus magna, et mortis etiam, pericula circumstant, hoc tamen discrimen intercedit, vt prius, nisi tumor, vetustate accedente, valde magnus sit, isque occalluerit, vel, nisi maior imbecillitas arteriam occupauerit, interdum ex toto possit tolli, dum, vel adstrictiori fascia, vel variis, ad id excogitatis, machinis, diu multumque comprimitur. Alterum autem scalpelli operam desiderat, sine qua vix sanescere potest. Iam ante aliquot annos nouam curandi viam ingressus est Clarus Regis Sardiniae Chirurgus, VERNA, de quo accepimus, eum nonnullos ad sanitatem perduxisse, quibus, ab aliis etiam derelictis, non aliud praesidium supersuit, quam hoc vnicum. (12) Crebrius hoc incidere solet, si maior arteria, veluti in humero, vel femore, violata fuit, quae, nec lino constringi potest, nec etiam cum toto membro, sine magno periculo, praecidi. Haec noua vero medendi ratio etiam a fascia, infirmitatem adiuuante, petenda est. Si igitur in aliquo membro, veluti brachio, arteria laxior intumuit, vel etiam laesa sanguinem profudit, is iubet ante omnia homini plurimum

12) Hanc curandi viam iam olim proposuerunt BERNARDINVS GENGA *in Anatomia Chirurgica dell' Ossa, et Muscoli del Corpo umano, in Bologna, MDCLXXXVII. Lib. II. Cap. XXIIII. p. 219.* et IOHANNES MARIA LANCISIVS *de Motu Cordis et Aneurysmatibus Lib. II. Cap. I. Propos. XI. p. 98.*

mum ſanguinis detrahere, cum in hac curatione ſanguinis profluuium, et effuſae per id fractaeque vires, non tam inter ſalubria, quam inter neceſſaria, ſint. Oportet hominem per plures dies exſanguem, et quaſi eneruatum, in lectulo iacere, qui etiam modico victu, a fame propiore, non alendus, ſed ſuſtinendus, eſt. Corpore ſic praeparato, flexo etiam prius, et ad latus adducto, brachio, vt illud poſt commode ad pectus deligari, et, mitella inuolutum, ſuſpendi, queat, accommodandae ſunt ſingulis digitis minores, anguſtioresque, habenae, quae, ab extremis orſae, ſaepius circumeundo, quaſi in cochleam ſerpunt, ſurſumque verſum tendunt. Deſinunt quinque illae faſciae in ſuprema digitorum parte, quas alia comprehendit, quae a manu incipit, et per brachium adſcendit. Vbi ad aneuryſma ventum eſt, ei obiicitur triplex linteolum, liquore quodam adſtringente, vel frigida aqua, madens, et ſuper hoc faſcia ter in orbem circumagitur, quae tandem ad humerum tendit. In hoc etiam paulo denſiorem anguſtioremque pannum, *ſplenium* vocant, arteriae, cui a brachio nomen eſt, imponi, faſciisque comprehendi, oportet. Faſcia tandem in ſummo humero finitur, vel per pectus atque omoplatas procedit, et, poſtquam aliquoties circumiit, ſiſtitur. Continendum ſic membrum eſt ad quinquageſimum vsque diem, ita, vt faſciae etiam haud reſoluantur, in quas ſaepe ingerendum eſt alcohol, aliusue liquor, qui reprimendi facultatem habet. Etiam oportet illas, ſi laxae viſae fuerint, adduci, et paulo valentius adſtringi, ita tamen, ne aliquid offendant, et, ne id, quod adſtrictum eſt, alienetur, vel gangraenae opportunum fiat. Poſtquam tandem, reſoluta faſcia, omnis tumor reſedit, diu tamen illa ſedes alia faſcia, obiecto etiam panno, comprehendi debet, vel aptata machina comprimi. Sequitur plerumque debilitas in brachio, vt caro etiam emacreſcat, quare, vbi ſanitas, quae in eiusmodi caſibus eſſe poteſt, venit, infricatio adhibenda membro, idque paulatim ad vſus ſuos promouendum exercendumque eſt. Homini vero, vt poſt longam abſtinentiam vires ſuas recipiat, vitae genus non ſubito mutandum eſt, cauendumque, ne inordinate agat. Debet paulatim a fame ad pleniorem cibum, a quiete ad exercitationem, tranſire, vt non, niſi poſt multum tempus, arbitrio ſuo viuat.

PRO-

PROLVSIO XXIIII.

DE CVRATIONE INFIRMORVM ARTICVLORVM PER STILLICIDIVM

PANEGYRI

IOHANNIS EHRENFR. GEISLERI

D. XXX. DECEMBR. CIↃ IↃCCCXXXXVI.

PRAEMISSA.

Eo ipso tempore, quo haud ita pridem prolusionem de fascia infirmitatem adiuuante scribebam, occasio fuit alius auxilii salubritatem experiendi, quo ligamentis, quibus articuli continentur, si eis, maiori vi intentis, manſit imbecillitas, succurritur. Hoc iam paucis exequi non alienum videtur, cum, id quod iam in illa scriptiuncula professus sum, praesidia aduersus solidarum partium infirmitatem non raro frustra quaerantur. Stillicidium vocamus, si aqua, aliudue humidum, in quam corporis partem ex alto depluit, et destillat, vel maior eius modus in eam, variis machinis antliisque adhibitis, effunditur. Gallis *La Douche* dicitur, quod vocabulum ad hos ab Italis translatum fuisse videtur, quibus *La Doccia* idem significat. Graecis varia vocabula fuerunt: et iam haud vacat, curiosius exquirere, quale discrimen apud eos fuerit inter τὰ καταιονήματα, vel ἐπικαταιονήματα, (1) τὰς ἐμβροχὰς, vel ἐπιπροχὰς, (2) et inter τὰ καταντλήματα, vel ἐπαντλήματα, (3) quibus

1) Vid. AETIVS *L. III. Cap. 172. p. 64. Edit. apud* ALDVM. H. STEPHANVS vertit per irrigationes in *Collect. Med. Principum p. 156.*

2) Vide AETIVM, *l. c. Cap. 174.* Dicit autem ἐμβροχὴν διαφέρειν καταιονήσεος, ὅτι ἐπίμονον ἔχει τὴν ἐκ τῶ προ-

quibus adhuc τὰ προσκλύσματα (4) adnumerari possunt. Romanis medicis in more fuisse, varias corporis sedes frigida perfundere, vel ex HORATIO discitur, qui, quod ex ANTONII MVSAE consilio Baiarum thermas negligeret, et se frigida irrigaret, incolarum odium metuit: (5)

Nam mihi Baias
Musa superuacuas Antonius: et tamen illis
Me facit inuisum, gelida cum perluor vnda
Per medium frigus. Sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem neruis elidere morbum
Sulphura contemni, vicus gemit; inuidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
CLVSINIS, GABIOSque *petunt, et frigida rura.*

Atque CELSVS hoc iis praecepit, quibus caput infirmum est: (6) *Capiti nihil aeque prodest, atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu subiicere.* At vero non sola aqua frigida ad id vsi sunt veteres, sed aliis etiam humidis, quod vel ex GALENO (7) discimus, qui proprium caput rosaceo frigido conspersit. Ex eodem scire possumus, iam veteres machinamentis antliisque vsos fuisse, quibus

προσαγομένῳ βοηθήματος ἀφέλειαν, quod habeat magis constantem vtilitatem. H. STEPHANVS *l. c.* vertit per humectationem. GALENVS *de Methodo medendi L. XIII. Cap. 22. T. X.* CHARTERII *pag. 314.* testatur se in se ipso percepisse διάδοσιν καταντληθέντος ῥοδίνου ψυχροῦ, et hanc διάδοσιν sequentibus verbis per τὰς ἐπιβροχὰς ταῖς τῆς κεφάλης ῥαφαῖς ἐπιφερομένας explicat.

3) Haec vocabula, vt et verba, ἐπαντλεῖν et καταντλεῖν frequentius reperiuntur apud GALENVM.

4) *Apud* AETIVM *l. c. Cap. 171.* et DIOSCORIDEM, STEPHANVS reddidit per aspersiones, a κλύζω, abluo.

5) *L. I. Epistol. XV.* de myrtetis, vel murtetis, vt alii scribunt, vide CELSVM *L. II. Cap. 17.* et *L. III. Cap. 21.*

6) CELSVS *L. I. Cap. IIII.*

7) GALENVS *de Methodo medendi L. XIII. c. l.*

quibus liquores in altum ſuſtulerunt, atque maiori vi, et quaſi per ſiphonem, expreſſos in affectas corporis ſedes immiſerunt, id quod vocabulum καταντλεῖν ſignificare videtur. Oſtendit vero GALENVS, liquores ex alto effuſos, ac veluti fontis in modum irruentes, melius in interiora penetrare, et multum proficere illum vehementiorem liquoris proiectum. (8) Plura forte de his in THVRINO (9) leguntur, quem ſingulari ſtudio de hac curatione ſcripſiſſe noui, quem vero, ad manus haud eſſe, valde doleo. Inter recentiores non pauci ſunt, qui hanc medendi rationem propoſuerunt, et varias

8) Eleganti experimento hoc probauit ex recentioribus IOH. FANTONVS, clarus in Academia Taurinenſi Profeſſor, in *Diſſert. I. de Thermis Valderianis pag. 43.* Ipſius verba adducam: *Ouum gallinaceum in calidiores thermas prope ſcaturiginem infudi, quod intra binas horas aliquantulum coxit, minus nempe, quam ſperabam. Et oua quidem obdureſcere vnquam poſſe balneatores negabant, idque, ſaepius iterato tentamine edocti, certiſſime aſſerebant. Tum ego locum mediocriter concauum in vicinia fontis delegi, in quem exigui aquarum fluctus, more ſtillicidii, cadebant; ibidemque ouum per idem, vt antea, tempus repoſui: quo deinde explorato, detractaque portione putaminis, occurrit concretum albumen: hinc vniuerſum corticem digitis ſquammatim detraxi, et in plurima fragmenta ſolidum albumen, et vitellum cultro diuiſi; ſed albumine magis vitellus indurauerat. Quod cum animaduertiſſem, et merito balneatores admirati eſſent, eximiam ſtillicidii efficacitatem apertiſſime cognoui; vt, cum liquores oui ſub duro cortice plurimum alterare potuerit, multo vehementius ſub cute humani corporis concreſcentes ſuccos attenuare ac reſoluere valeat: vnde etiam impeditae, rudes rigidaeque fibrae ad lenitatem, mollitudinem, et flexibilitatem, reducuntur. Maximi vero momenti eſt, quae thermali ſtillicidio virtus accedit, a ſulphure et ſale, partim fixo, partim volatili. Dum enim calentes illi fluctus aſſidue in partem aliquam irruunt, ac penetrant, id amplius efficitur, vt ſubtiles particulae ſulphureae, et ſalinae, in tandem millies repetitis ictibus intruſae, vim ſuam concitatiſſimo motu mirabiliter exerceant. Et quidem ſi thermales, epotae, tantarum ſunt virium in reſoluendo internarum partium lentore, earundem efficientiam in Stillicidiis longe maiorem eſſe, oportet, quum externis, aut parum abſconditis, partibus adhibentur. Quamuis enim potu aſſumptae celeriter cum ſanguine in amplioribus arteriis ferantur, in minimis tamen reticulatis vaſculis viſcerum, aliarumque ſolidarum partium, lentiſſime fluunt, vt propemodum quieſcere videantur: nihilominus mucilagines liquant, et fibras detergunt, et vias reſerant; quod vtique excreta materia, morbique remiſſio, demonſtrat. Quanto igitur valentior erit actio ſtillicidii, ad cuius efficacitatem augendam ille motus, ille impetus, illa virium multarum momenta, concurrunt.*

9) ANDREAS THVRINVS *de Embrocha noua, ſeu Duccia artificiali, qua vtuntur Florentini ad varios morbos, Lugd. 1537.* et *in Operibus, Romae 1545.*

rias etiam corporis partes huic ſtillicidio ſubmiſerunt. In HIERONYMO MERCVRIALI (10) inuenio totius apparatus, omniumque vaſorum, expreſſas imagines. Nam is quadam oleorum compoſitione imum ventrem Principis cuiusdam irrigari iuſſit, qui, lateris ſiniſtri dolore et hypochondriorum morbo conflictatus, ſibi ab illo, magno ſui temporis medico, conſilium petierat. Prolixum foret, ſi iam omnes corporis ſedes, quas hac ratione perfundere, omnesque liquores, quos his curationibus adhibere, ſoliti ſunt, veteres, ac recentiores, exequi vellem. Hoc tamen culibet appareret, medentes, ex CELSI (11) conſilio, caput his irrigationibus frequentius ſubieciſſe, quod ingentibus variisque caſibus magis, quam caeteras partes, patere, nemo ignorat. Sed vero, ſi frigida vſi ſunt, rem non ſemper feliciter ceſſiſſe, ex hiſtoria, quam PETRVS BORELLVS (12) prodidit, ſciri poteſt, qui puerum dementem vidit, cuius mater interrogata, an ſic natus eſſet, reſpondit, id ei accidiſſe ab *admotione embrocationis frigidae, cerebro adhuc tenello.* Alii igitur calida ſuperinfuſa infirmorum, catarrhis, vertigine, vel cephalalgia, laborantium, capita irrigauerunt. PIVS II, Pontifex maximus, de ſe ipſo ſcripſit, ſibi, conſilio medicorum, cum cerebrum nimis humidum eſſet, aquas, per fiſtulam ductas, in verticem capitis fuiſſe deriuatas. (13) Nec tamen hoc omni periculo caret, et clarus in Academia Taurinenſi Profeſſor, IOH. FANTONVS, (14) hominis egeni miſerabilem caſum nobis reliquit, qui, cum feruidiſſimarum thermarum ſtillicidium capitis vertice excipere-ret, attonitus concidit, et qui, cum tandem ad ſe rediiſſet, loquendi facultate defectus, magna manente imbecillitate, reſolutoque brachio, miſer ad ſuos delatus fuit. Si igitur caput irrigandum eſt, praeferenda videtur illa ratio, quam, delineato etiam vaſculo, expoſuit Celeberrimus Vir, IOH. ASTRVCCIVS, qua aquas etiam

10) *in Conſult. et Reſponſis Medicinalibus T. IIII. pag. 101.*

11) CELSVS *l. c.*

12) BORELLVS *Obſ. Med. Cent. II. Obſ. 13.*

13) vid. FLAMINII PINELLI *Lettera de Bagni di Petriuolo, in Roma, 1716.*

Balarucenſes, (Gallis *Balaruc*) quas accuratius deſcripſit, (15) capiti, ſi infirmum fuerit, ſalubriter ſuperinfundi, aſſeuerat. Hoc, nec per antlias, nec per deriuationem, atque ſtillicidium ab alto, fieri, oſtendit, ſed aquis ex minori hydria per amplius epiſtomium, nec ad maiorem, quam vnius circiter pedis, altitudinem, effuſis. Temporis anguſtia coactus, non quae volo, ſed quae poſſum, ſcribo, quare, quae ab aliis de his prodita ſunt, iam curioſius exquirere non licet. (16) Me iam in iis continebo, quae probant, aquarum ſtillicidia articulis mederi, quibus vi diductis manſit infirmitas, aut, in quos copioſior humor, axungiam vocant, contractus, tumorem fecit, ita, vt minor eorum vſus relinquatur. Hanc medendi rationem iam HIPPOCRATES in animo habuiſſe videtur, qui aduerſus articulorum tumores, doloresque, et illorum σπάσματα, ſeu illos a vehementi intentione, ſine vulnere, laxatos, frigidam large affuſam extollit. (17) Inter recentiores vero hanc

14) *de Thermis Valderianis Diſſ. I. pag. 42.*

15) vide *les Memoires pour l'hiſtoire naturelle de la Province de Languedoc.*

16) vide GABRIELEM FALLOPIVM *de Thermalibus aquis et metallis Cap. XIII. in Operibus pag. 249* PROSPERVM ALPINVM *de Medicina methodica L. VI. pag. 357.* IOH. BAVHINVM *de Aquis medicatis et Fonte Bollenſi Cap. XV. p. 196.* ANDREAM BACCIVM *de Thermis L. II Cap. XIII. et XIIII.* THOMAM GVIDOTTVM *de Thermis Britannicis Cap. X. pag. 190. et cap. X. p. 224.* IOH. GOTHOFREDVM BERGERVM *de Thermis Carolinis pag. 152.* GIVSEPPE DVCCINI *de Bagni di Lucca P. II. Cap. VIII. p. 194. Le Terme del Maſſino in Valtellina, in Milano 1734. p. 106.* IAQVES FRANCOIS CHOMEL *Traité des Eaux Minérales Bains et Douches de Vichy p. 172 193.* GOTTFRIED HEINRICH BVRGHART *von denen warmen Bädern bey Land-Ecke in der Grafſchaft Glatz pag. 265.*

17) HIPPOCRATES *Sect. V. Aphor. XXV.* Τὰ δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ καὶ σπάσματα, τυτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηίζει τε καὶ ἰσχναίνει καὶ ὀδύνην λύει, νάρκη γάρ μετρίη ὀδύνης λυτική. Iam non diſquiram, num ſatis tutum ſit, frigida aduerſus podagricos dolores vti, ſed per σπάσματα HIPPOCRATES videtur intelligere, non, vt vulgo reddunt, ſpaſmos, vel diſtentiones, ſed imbecillitates, diſtractis maiori vi neruis, ligamentisque, relictas, Nam GALENVS *de Methodo Medendi L. IIII. Cap. I.* CHART. *T. X. p. 79.* τὸ σπάσμα refert ad τὴν τῆς συνεχείας λύσιν. Ἕλκος μὲν γὰρ ἐν σαρκώδει μορίῳ, κάταγμα δ' ἐν ὀστῷ, σπάσμα δ' ἐν νεύρῳ

hanc medendi viam feliciter ingreſſus eſt clarus apud Pariſienſes Chirurgus, HENRICVS FRANCISCVS LE DRAN. (18) Is enim duos nobis propoſuit aegros, quibus hoc praeſidio ſanitatem reddidit. Alter horum femur habuit, cuius ſuprema pars valde intumuerat, ita, vt illud ſine acerbioribus doloribus mouere non poſſet, emacreſcentibus inferioris femoris atque tibiae carnibus. Imo, caput femoris loco ſuo non eſſe, deprehendit laudatus vir, quod ille maior proceſſus, quem trochanterem maiorem vocant anatomici, emineret. Ex hac vero ſua ſede, coxaeque ſinu, femur non alia re, quàm coeunte, coactoque, humore, quem axungiam vocamus, aliquantum fuerat promotum. Homo ſine euidentibus cauſis, et, vt videtur, ex male curatis articulorum doloribus, hac grauiori valetudine, implicitus, variis remediorum generibus fruſtra fuerat tentatus. Tandem, poſtquam ille hoc ſtillicidium quadragies, et ſemper per horae tempus, ſuſtinuerat, conualuit, vt is, femore detumeſcente, baculo fultus, eoque laborantem articulum aliquantum leuans, ſatis bene incederet. Alteri homini ἀγκύλῃ fuit in pede, ex coacta axungia, qui longe celerius fuit curatus. Le DRAN vero, poſt ſtillicidii vſum, laborantem articulum veſicis, calida plenis, per longum tempus contexit, et hoc, aliisque auxiliis, effecit, vt, et totum corpus, et maxime illa ſedes, inſudaret, qua re tandem, qui intus confluxerat, humor diſcuſſus fuit. (19) Quibus, quae ab aliis prodita ſunt, exploratis, iam illud ſuperaddam, quod ipſe experiendo cognoui. Iuuenis, tum maiorum imaginibus generoſiſſimus, tum propriis virtutibus ornatiſſimus, clariſſimusque, cum ſe in palaeſtra ſaliendo exerceret, neſcio, num obliquo ſaltu, num caſu, magnam vim intulit iuncturae, quae in-

 ter

νεύρῳ καλεῖται. Et *L. III. Cap. I. p. 54.* dicit τὸ σπάσμα fieri χωρὶς τῦ τρωθῆναι ſine vulnere. Igitur, id quod recte monet GORRAEVS, diſcrimen eſt inter τὸν σπασμὸν καὶ τὸ στάσιμα confer FOESII *Oeconomiam* HIPPOCRATIS.

18) *Obſ. de Chirurgie T. II. Obſ. 93. et 94. p. 254.*

19) vide BAVDRY *Traité des Eaux minerales de Bourbonne les bains, à Dijon 1736.* qui varia, quae in his curationibus obſeruari oportet, proponit.

ter femur atque tibiam eſt, et quae, vt nemo ignorat, patella, huic commiſſurae quaſi innatante, tegitur, caeteroquin vero validis plenisque ligamentis continetur. Oſſa e ſede ſua haud fuerunt emota, ligamenta autem valde laxata. Ab initio ſuperdata fuerunt, vt accepi, quae maxime aduerſus inflammationem poſſunt, ſed poſt aliquot hebdomadas, cum aeger, nec tibiae inniti, nec tardioribus etiam paſſibus, ſolus incedere poſſet, me conſuluerunt. Exiguum inueni tumorem in iunctura, membro autem nullus, vel exiguus, relictus erat vſus. Fomenta impoſita fuerunt, ex herbis compoſita, ad diſcutiendos humores, confirmandaque ligamenta, vtilibus, cum vino auſtero rubro, adiecto ſapone, coctis. Sed, cum poſt aliquot dies deprehenderem, haec parum reſpondere, de aliis auxiliis cogitandum fuit. Faſcia paulo adſtrictiori membrum deligauimus, vt illa, ſub genu obuoluta, ad femur tenderet, et poſt ſuper hoc atque tibiam, alternis vicibus, cochleae in modum circumacta, iuncturam bene teneret. Hac faſcia infirmitatem adiuuante ligamenta paulo contractiora adſtrictioraque fieri, deprehendimus. Cum vero et faſcia parum iuuaret, nec ſpes eſſet, profectum tempore expletum iri, vnicum ſupereſſe viſum eſt auxilium illud, ſtillicidium, quod nunquam ipſe expertus eram, tum vero a veteribus, tum a recentioribus, collaudatum inueniebam, quod igitur aegro propoſui. Quoniam vero nullae apud nos thermae ſunt, ammoniacum ſalem, aqua dilutum, ad τὴν ἐμβροχὴν adhibendum duxi, et iuſſi, vt poſt irrigationem, ab alto depluentem, valentior fricatio adhiberetur, membrumque pertractaretur. Cum aeger hanc curationem ad ſe admoueri ſiuiſſet, breui eius efficaciam ſenſit. Poſt paucos enim dies eum ſolum, nullo baculo fultum, et ſatis fidenti animo, gradientem vidi. In hac curatione per aliquot dies perſeuerandum fuit, et indies deſidente magis et magis tumore, infirma laxaque ligamenta confirmata articulum melius continuerunt, vt membrum tandem ad vſus ſuos recte promoueri potuerit. Illam imbecillitatem ſupereſſe, accipio, vt membrum inter tempeſtates non optimas atque

que multum variantes doleat, quales dolores in ligamentis, aliisque neruoſis partibus, a quacunque cauſa, infirmatis, modo inchoant, modo quieſcunt, modo repetunt, atque etiam vrgent. Manenti huic debilitati opitulari poſſent thermae valentiores, ſi membrum in eas demiſſum diutius contineretur, et ſuper illud herbae, ſacculo exceptae, collocarentur. Negandum tamen non eſt, poſt vehementiores eiusmodi ligamentorum intentiones, membra his infirmitatibus vix non ſemper obnoxia fieri, et difficile eſſe, iis mederi. Non raro talis, quamuis minus perfecta, ſanitas, quae ſaltim eſt, qualis in eiusmodi re eſſe poteſt, optanda videtur. Igitur artem facientibus, ſi auxilia, quae vſu explorata ſunt, non reſpondent, nonnunquam cogitandum eſt de aliis, in quibus nihil adhuc vſus oſtendit, ſed ad quae, vel coniectura, vel aliorum experimentis, ducuntur. Haec experiri licet, modo morbi natura atque origo ſit perſpecta, nec ipſius auxilii efficacia in obſcuro poſita.

PROLVSIO XXV.

DE VIRO BONO MEDICO

PRAEMISSA

ORATIONI

HENRICI OTTONIS BOSSECK

HABITAE IN MEMORIAM

IOH. CASP. KVCHLERI

PHIL. ET MEDICINAE DOCTORIS ET ORDINIS MEDICI ASSESSORIS

D. IIII. FEBRVAR. CIↃIↃCCXXXXVII.

Quamquam boni viri nomen a probroſae leuitatis hominibus vile ſuſpectumque haberi, imo in ludibrium verti, conſueuit, eo tamen omnis virtutis decus atque ſplendorem contineri, atque, ob id, illud caeteris ornamentis longe praeferendum eſſe, exiſtimamus. Bonitas enim, quae, tum honeſta, tum vtilia, complectitur, ſine aliqua perfectione eſſe non poteſt, cum nihil bonum ſit, quod non ex aliqua parte ſit completum, atque abſolutum. Quare, cui boni viri nomen, conſentientibus omnibus, datur, eum, exiſtimatio eſt, non tam praeſtantioribus, quam omnibus, virtutibus eminere, et, cum his, talem eſſe, vt ab eo laudabiles vbereſque fructus reſpublica ferre poſſit. Prae caeteris vero iis, qui ſalutis humanae praeſidem artem profitentur, ſemper enitendum eſt, vt boni viri laudem habeant, eamque in omnibus, quae agunt, negotiis, ad vitae uſque finem, tueantur. Cum vero bonum virum medicum animo nobis fingimus, detrahenda eſt incondita explodendaque opinio, quam maleuoli obtrectatores, et aduerſarii, habere poſſent, ad medicinam faciendam, bonam

bonam officioſamque voluntatem requiri, vix vero aliam, quam communem intelligentiam, et vulgarem rerum, quae hominibus, vel prodeſſe poſſunt, vel nocere, notitiam. Bonus vir dici nequit, qui arduum negotium, cui par haud eſt, temere ſuſcipit, nec in vlla temeritate maius periculum eſſe poteſt, quam in ea, quae a medico adhibetur, ſi is, rerum ſuarum ignarus, atque imperitus, inconſiderate et dementer, aduerſus hominum vitam, ſalutemque, graſſatur. Medicinae enim diſciplinam arduam eſſe, atque perdifficilem, nemo inficiabitur, niſi in phyſicis, iisque, rebus, quae ad humanam naturam attinent, plane plumbeus fuerit, vel ex numero eorum, qui animum arroganti ſuarum rerum admiratione, aliarum contemptu, mulcere conſueuerunt, quorum inter eos, qui doctrinae nomine ſe ab aliis ſegregant, maior numerus eſt. Medentes, ſi boni viri nomen re, factisque, obtinere cupiant, decet, notitia omnium rerum eſſe inſtructos, quae ad vitam, ad omne valetudinis genus, ad inuenienda idonea aduerſus morbos auxilia, atque ad haec, tum ipſi morbo, tum homini, eiusque naturae, aptanda, facere poſſunt. Horum omnium, qui vnum neglexit, nunquam, bonae mentis conſcientia fretus, valetudinaria intrare, atque aegrotantibus aliquid auxilii adferre, poterit. Et nulla inſolentia intolerabilior eſt, quam ſi inconſideratiſſimi empirici, aliique, qui ſe medicos fingunt, atque ſalutiferam artem illotis, quod aiunt, manibus aggrediuntur, ſoli fortunae confidunt, et vbi res male ceſſit, ſe inepta illa bonae officioſaeque voluntatis excuſatione defendunt. Bonum itaque virum medicum oportet eſſe rerum ſuarum intelligentem, atque peritum. Tantum vero abeſt, vt haec, quibuslibet morbis recte medendi, peritia bonum virum medicum ſola efficiat, vt praeſtantiſſima rerum medicarum ſcientia in ſceleſtiſſimo homine reperiri poſſit. Nihil enim tam ſacrum eſt, tamque auguſtum, quod morum peruerſitate ab hominibus non poſſit deprauari. At enim, in homine improbo, grauioribusque flagitiis contaminato, etiam praeſtabilior rerum vtiliſſimarum cognitio, atque ſubtilior, abundantiorque, doctrina fru-

gibus ſimilis eſt, quae in agro inculto, ſentibusque occupato, in infelix, et mentem ſtupore opprimens, lolium conuertuntur. Quamobrem non doctus ſolum, intelligensque, erit bonus vir medicus, ſed rectus etiam, ſanctus, et omni virtute ornatus. Virtute, qua nihil homini datum, quo ad Deum propius accedere poſſit, etiam comprehendimus pietatem erga ſummum aeternumque Deum, huius vniuerſi fabricatorem, rectoremque, atque omnem, quae pio eius cultu continetur, religionem. Minime nos latet illa contumelioſiſſima macula, qua maleuolentiſſimi homines a longo tempore medicinam non ſolum per inſidioſos clandeſtinosque rumores, ſed per ſcripta etiam in publicum edita, affecerunt, polluerunt eam, ſui cultores a verae religionis ſanctitate abducere, quam contumeliam ſingulari ſtudio iam a ſalutifera arte arcere, vel eam etiam, id quod facile foret, retorquere animus haud eſt. Vt de omnibus moderatius ſentiamus, id protinus crimen artis eſſe nequit, quod forte nonnullorum medicorum fuit, quorum non maior numerus erit, quam eorum, qui, ex θεολόγων ſcholis egreſſi, ſacratiſſimas doctrinas profanis fanaticisque erroribus implicuerunt. Medicis vero nunquam tanta autoritas poteſtasque eſt, vt illos, qui ingenio ſuo inſolentius abutuntur, poſſint a ſe ſegregare, proſcribere, vel etiam ad vltimum ſupplicium trahere. Non difficile foret, grauiſſimis firmiſſimisque argumentis oſtendere, neminem magis ad rectas de ſummo praepotenteque Deo, deque rebus diuinis ſententias, et veram pietatem, excitari, quam medicum, qui incomprehenſibilia, quae tum in vniuerſo, tum maxime in homine, natura fabricata eſt, attentius contemplatus omnium rerum procreatorem altoremque animo demiſſo admiratur, veneraturque. Bonus itaque vir medicus caſtus erit, religionis verae atque diuinae cultor, ſed vanae, peruerſae ac impiae, quam ſuperſtitionem vocamus, cordatus contemptor. Nam medicum, cauſarum naturalium ſcrutatorem, prae caeteris dedecet ſuperſtitioſe atque aniliter de rebus ſentire, et loqui. Quaedam morborum genera, ignaris portentoſa, atque ab ipſo cacodaemone profecta, videntur,

videntur, de quibus medici iudicium non raro requiritur. Hic, si se nimis credulum praebet, et animum imbecillum, atque ineptis ludibriis occaecatum, habet, quandoque optimos innocentissimosque homines potest damnare, atque in omnium rerum, vitaeque, discrimen adducere. Medicus autem, qui, quantum ab homine fieri potest, pia, integra, incorruptaque, mente, sine superstitiosa imbecillitate, Deum colit, caeteris etiam virtutibus praestabilior erit, cum illa aduersus Deum optimum maximum iustitia, seu pietas, caeterarum omnium fundamentum sit. Summo etiam Numini ille animi habitus, quo ad virtutem ducimur, acceptus ferendus est, qui, quod a solo homine haud quidquam boni expectandum sit, sacratissimae Christianae religionis dogmatis edocemur. Iam non opus est longius percensere omne virtutis genus, et ostendere, bonum virum medicum nec vnam illarum omittere posse. Sunt tamen nonnullae laudabiles mentis affectiones, quae in eo magis, quam in caeteris, exsplendescunt, et quarum etiam ad artem, cum dignitate faciendam, maior est necessitas. In primis eum habere decet in omnibus dictis factisque magnam modestiam, et continentem, in rebus suis laudandis, moderationem, quippe qua sibi claram, stabilemque, apud aegros autoritatem, et illam adeo necessariam fiduciam melius comparabit, quam vernula et scurrili loquacitate, arroganti sodalium contemptu, et glorioſa rerum propriarum ostentatione. Haec modestia prudenti bonoque viro conuenit; histrionis vero est, vt vetustissimi autoris verbis vtar, paruam rem attollere, quo plus praestitisse videatur. Quid de humanitate dicam? Praeterquam enim, quod ii inter medicos, prae aliis, extolli, atque, tum ab aulicis et optimatibus, tum ab vrbanis, ipsisque cultioribus foeminis, ad medendum aduocari solent, qui lenes sunt, et ad omnem comitatem facilitatemque procliuiores, medicus etiam horridior, et, tum sermone, tum moribus, asperior, in eo peccat, quod aegrotantibus id saepe esse solet, quod vnguis vlceri. Talis enim dictis factisque animi corporisque cruciatus, quibus miseri conflictantur, multum exasperat,

qua triſti acerbaque auſteritate, nec quidquam grauius, nec a medici officio alienius, eſſe poteſt, cum hic, ſi morbum tollere nequeat, ei minimum leuamentum adferat, et, vt Satyricus loquitur, animi ſit conſolatio. Reprehendendi etiam ſunt, et importunitatis, inhumanitatisque, accuſandi, qui, id quod in maioribus publicisque valetudinariis frequens eſt, in aegros non ſemper ad verba obtemperantes, vel inter efficaciores curationes, lamentabili voce eiulantes, acriter et contumelioſe inuehuntur, et omnia maledicta, quae in ore infimae plebis eſſe ſolent, in afflictos, et ſaepe omni ſpe ſalutis orbatos, homines conferunt. Nec verbis commemoranda, nec literis tradenda, eſt illa carnificina et crudelitas, quam nonnulli chirurgorum in miſeris aegris ferro exercent, quos ſine neceſſitate vrunt, ſecant, lacerantque. De nauticis gentis ſuae chirurgis Britannicus ſcriptor prodidit, eos praemio quinque aureorum Britannicorum, quod iis pro ſingulis praeciſis membris numerari ſoleat, non raro inuitari, vt membra vulnerata, quae ſeruari poſſent, abſcindant, qua cruenta auaritia horum vulturiorum, ac lupino rictu ſanguinem ſitientium, hominum nihil poteſt eſſe ſceleratius, nihilque a communi humanitate remotius. Eſt vero non minus reprobranda deteſtandaque illa aliorum crudelis lenitas, atque miſericordia, qui, vel efficacioris medicinae ignari, vel meticuloſi, vel aurae popularis captatores, omnia acerbiora auxilia contemnere, chirurgiam, quam non intelligunt, reprobare, et in deſperatiſſimis caſibus prouidae, ac, ſi diis placet, ſapienti, naturae ſoli confidere, vel inertibus atque morbo longe imbecillioribus remediis, nullam efficacitatem habentibus fomentis agere conſueuerunt. In maioribus, et quae non, niſi ſcalpello, conficiuntur, negotiis, bonus vir debet eſſe ex CELSI noſtri praecepto: *Animo intrepidus, immiſericors, ſic, vt ſanari velit eum, quem accepit, non, vt, clamore eius motus, vel magis, quam res deſiderat, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet; ſed perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur.* Cauet bonus vir medicus, ne durior ſaeuiorque videatur, et ne amaris dictis ferisque

que moribus aegrorum calamitatem adaugeat, omnique ſtudio enititur, vt, quantum fieri poteſt, ex ASCLEPIADIS praecepto ſemper tuto, celeriter, atque iucunde, curet, ſed vero etiam prouidet, ne aegro pernicioſa ſit nimia lenitas mollitiaque. Talis etiam eſſe ſolet intempeſtiua aliorum indulgentia, qui, aegrotantibus ſi id neceſſarium eſt, victum haud ſubtrahunt, nec abſtinentiam imperant, ſed iis intemperanter viuentibus blandiri aſſentirique malunt, quam mederi. Tales medici officioſiſſimi, facillimi, mellitiſſimi, turpi obſequio aegrorum beneuolentiam colligunt, hos vero, qui cibi uinique abundantia, libidinisque intemperantia, morbos exaſperari ſinunt, ad plures mittunt. Ad hanc rationem iam alia medentium officia virtutesque exſequi poſſem, veluti fidem et taciturnitatem, moderationem temperantiamque, tum in victu, tum in animi motibus, cupiditatibusque regendis, continentiam in voluptatibus, tolerantiam, in ſuſtinendis laboribus, imo in perferendis iniuriis, quae a moroſioribus quandoque aegris, etiam cum ignominia, medentibus inferuntur, quarum perpeſſio ſaepe vltioni praeferenda eſt. Haec omnia enim virtutum ornamenta quemlibet bonum cohoneſtant, bonum autem virum Medicum cum ſumma laude extollunt.

PROLVSIO XXVI.

DE

PESTIFERIS AQVARVM PVTRESCENTIVM EXSPIRATIONIBVS

PANEGYRI

NICOLAI LVNG

D. XXX. IVNII CIↃ IↃ CCXXXXVII.

PRAEMISSA.

Veniam dabunt artis periti Lectores, vt argumentum, iam olim ab aliis praestantissimis viris pertractatum, confectumque, iterum repetam, atque iis, quibus salutis publicae cura commissa est, ante oculos proponam. Sunt, qui dubitant, tetros aquarum paludosarum halitus nocere, atque graues contagiosasque valetudines facere, posse, quem metum non vanum esse, tum exemplis, tum rationibus, ostendere animus est. Verum, cum mihi non solum cum AESCVLAPII cultoribus, sed etiam cum iis, res sit, qui nihil probant, quod non a TRIBONIANI PAPINIANIQVE Auctoritate profectum, a IVSTINIANI IMPERATORIS Maiestate constitutum, est, me ab iis continebo, quae de hac re ab HIPPOCRATE, (1) aliisque vetustissimis medicis, prodita legimus, de quibus metuo, ne Lectoribus illis nauseae molestiam faciant.

1) Vt pauca adducam: HIPPOCRATES *L. περὶ φυσῶν Edit.* LIND. *T. I. p. 401.* de aere dixit, quod sit μέγιστος ἐν ἅπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάστης. Ex aere pestem oriri, eodem libro prodidit §. 7. *pag. 405.* conf. *Libr. de Aere, aquis et locis §. 10. pag. 334.* Etiam illud *ex Epidemicorum Libris* cognoscitur, *Lib. III. Sect. III. p. 721.* κατάστασις λοιμώδης, pestilens constitutio orta fuit anno austrino, pluuio, ventis quiescentibus. CELSVS *Lib. I. cap. 2.* cauere iubet auras fluminum atque stagnorum.

faciant. Medicorum enim volumina plena ſunt obſeruationum, quae oſtendunt, quantis periculis, et quot morborum peſtilentiſſimorum generibus, opportuna fiant corpora, ex caliginoſis aquarum putreſcentium exſpirationibus. Nec vero alios, nec etiam Poetas, hoc latuit, et LVCRETIVS, (2) qui grauiſſimae peſtilentiae, qua olim Athenienſes conflictati ſunt, hiſtoriam elegantiſſimo carmine expreſſit, eam a corruptarum aquarum adſpiratione veniſſe, cognouit:

- - - - - Fit morbidus aer
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitasque,
Aut extrinſecus, vt nubes nubeculaeque ſuperne
Per coelum veniunt, aut ipſa ſaepe coortae
De terra ſurgunt, vbi putrorem humida nacta eſt,
Intempeſtiuis pluuiiſque, et ſolibus icta.

Atque etiam his temporibus veram peſtilentiam, (nam hanc a morbis vulgo ſic dictis peſtilentibus diſtinguere liceat,) quae ſemper ex Oriente per contagionem affertur, illis locis aeſtuoſis poſt maiores fluminum inundationes, et his ſuperuenientem flagrantiſſimum ſolis aeſtum, oriri, diligenti obſeruatione compertum eſt. (3) Quoniam igitur loca paludoſa accolentibus haec coeli grauitas per totam vitam ſuſtinenda eſt, non poteſt non eorum valetudo labefactari, atque tandem euerti. De eo tamen forte non omnes conſentiunt, aera vim habere in humanum ingenium, atque hoc a coelo concreto, eadem ratione, ac a cibo illiberali, vel a πολυφαγίᾳ, immutari atque conſumi. His in memoriam reuocandum eſt illud HORATII. (4)

Boeotum in craſſo iurares aere natum

cum

2) LVCRETIVS *L. VI. v. 1095.*

3) Vide fere omnes, qui de peſte ſcripſerunt, et ex recentioribus CHICOYNAEVM *de Peſte Maſſilienſi*, cuius vtiliſſimae obſeruationes prodierunt ſub titulo: *Traité des Cauſes des Accidens et de la cure de Peſte, a Paris, MDCCXLVII.*

4) *Epiſtolar. L. II. Epiſt. I. v. 244.*

cum olim omne, quod ſtupidum, inſulſum, ſtultumque, eſſet, Boeoticum diceretur. (5) Boeotis iungi poſſent Φαβιανοῖ, quorum habitum moresque HIPPOCRATES (6) accurate expreſſit. Ille enim fluuius Φάσις cum eorum autore ϛαξιμώτατος πάντων τῶν ποταμῶν, eſſet, et cum eius accolae vterentur ἠέρη ὑ λαμπρῷ ἀλλὰ γνοφώδει καὶ διερῷ hos reddidit τὰ μεγέθη μεγάλως, τὰ πάχεα δὲ ὑπεραρχέες, ſed πρὸς ταλαιπωρέειν ἀργοτέρως. Iam vero, ſi denſum concretumque coelum animum hominis, ipſamque mentem, hebetat, quis ſibi perſuadebit, corpora, quae aeris adſpiratione ſuſtinentur, ſub eo integra eſſe poſſe, et recte valere. Inter bonae valetudinis bonique corporis habitus notas eſt bonus color, qui, ſi alienatur, et, ſi facies cum pallore inalbeſcit, vel lurida fit, morbum detegit. At enim ii, quibus ſub coelo paluſtri halitus ex aquis quieſcentibus circumfuſi ſunt, pallore dedecorantur, et non raro, vt cum APVLEIO loquar, lurore buxeo. Idem de Phaſianis dixit HIPPOCRATES: τὴν τε χροιὴν ὠχρὴν ἔχουσιν, ὥσπερ ὑπὸ ἰκτέρου ἐχόμενοι. Nec, qui in locis paluſtribus viuunt, ſeneſcunt, ſed plerumque vitam celerius deſerunt: non, quod non, ſub omni coelo, omnis aetatis, omnisque habitus, homines aegrotent, et moriantur, ſed quod tamen hoc frequentius ſub inſalubri, et per illas exhalationes corrupto, eueniat. Locorum ſalubritas igitur recte ex frequentia, longaque vita, incolarum aeſtimatur, et ſi horum plures ſummam ſenectutem ſine maioribus valetudinis incommodis adipiſcuntur. E contra vrbes non incelebres, imo et regiones, ſi ex haerentibus ſtagnantibusque per incolarum negligentiam aquis, iisque putreſcentibus, coelum graue factum fuit, vaſtatas fuiſſe, exinanitasque, imo ſub finem deſertas, et ab omnibus derelictas, ex hiſtoriarum monumentis diſcitur. Si SERVIO (7) fides habenda, VIRGILIVS Acerras, Campaniae vrbem, non aliam ob cauſam vacuas dixit,

Vacuis Clanius non aequus Acerris,

quam

5) Vide ERASMI *Adagia.*
6) *de Aere, Aquis et Locis §. VI. T. I. p. 349. Edit.* LIND.
7) *Comm. in* VIRGILII *Georg. L. II. v. 225.*

quam quod eas fluuii praeterfluentis, Clanii, *frequens inundatio exhauſiſſet.* De Aquileia et Brunduſio, florentiſſimis olim ciuitatibus, idem luculentis teſtimoniis probat LANCISIVS. (8) Salapiam vrbem, cum in locis paludoſis condita eſſet, incolae in locum ſalubriorem, quem a M. HOSTILIO precibus impetrauerant, transtulerunt, id quod in M. VITRVVIO POLLIONE (9) legitur. Non raro autem minori diſpendio locorum grauitas emendata, et aeri ſalubritas reddita, fuit, id quod nec MEPHITIS, ſpurciſſimae apud Romanos Deae, cultu, nec magica virtute aethiopidis herbae, quae, coniectu, amnes ac ſtagna ſiccare debuit, (10) factum eſt, ſed oppletis, aggeſta terra, paludibus, vel iis, tum per incilia, perductasque foſſas, tum etiam, ſi res id poſtulauit, per hydraulicas machinas, antliasque, exhauſtis. Imo noxa ex paludum exhalationibus optime auertitur, ſi, corriuatis torrentibus, perductisque ad decliuia loca ex alto ruentibus amnibus, horum acceſſu, atque rapidiori motu, coenoſior limus, et omne putridum, eluitur. Cum vero raro in depreſſioribus locis aquae purae, celerioresque riui, in propinquo ſint, id etiam errantibus languido flumine aquis fieri poteſt, ſi illae crebrius factis aggeribus cataractarumque clauſtris coercentur, atque, vbi increuerunt, his relaxatis, effunduntur. Teſte FRONTINO, (11) Romae aquis, quae caducae vocabantur, quae videlicet ex caſtellis, et ex manationibus fiſtularum, effluebant, viae et cloacae abluebantur, quare lege prohibitum erat, eas auertere

8) *De Noxis paludum effluuiis*, qui in hoc libro et in alio *de Natiuis et aduentitiis Romani coeli qualitatibus* nihil, quod ad hoc argumentum attinere videtur, reliqui fecit. Iam ante hunc *de aeris Romani ſalubritate* alii ſcripſerunt, inter quos inuenio ALEXANDRVM TRAIANVM PETRONIVM *de Victu Romanorum et ſanitate tuenda, Romae, Anno MDLXXXI.* MARSILIVM CAGNATVM *de Romani aeris ſalubritate, Romae, Anno MDIC.* quibus addo IOH. BAPTISTAM DONIVM, Patricium Florentinum, *de Reſtituenda ſalubritate aeris Romani, Florentiae, MDCLXVII.*

9) *De Architectura L. I. Cap. IIII. p. 10.*

10) Hoc ridet ipſe PLINIVS *H. N. L. XXVI. Cap. IIII. Tom. II. Edit.* HARD. *pag. 392.*

11) *de Aquaeductibus Vrbis Romanae Art. III. p. 195. Edit.* POLENI.

tere, atque in priuatos vſus ducere. Ne in alieno choro pedem ponere videar, malo haec auxilia mechanicarum rerum peritioribus inuenienda relinquere. Plura de his leguntur in PHILIPPO MARIA BONINO, (12) et omnibus laudibus maiori LANCISIO. (13) Ne vero apud quempiam vlla dubitatio relinquatur, hanc rem ad locorum ſalubritatem, ad valetudinis proſperitatem, imo ad vitam ciuium tuendam, plurimum facere, illud experimentis probandum eſt. Romanos a prima vrbis conditae aetate paludibus ſiccandis magnam diligentiam adhibuiſſe, legimus. Lacus Curtius a primis initiis infamis fuit, qui, vt videtur, TARQVINII PRISCI magno et regali cloacarum opere, et corriuatis in eas ſeptem amnibus, fuit exhauſtus. (14) Sequentibus temporibus Pomptina palus, vrbi vicina, Romanis multum negotii feciſſe videtur, quam, cum propter prolatandos, ciuibusque aſſignandos, agros, tum maxime propter coeli grauitatem, ex ea natam, iterum et ſaepius ſiccare aggreſſi ſunt. Id negotium enim iam a CORNELIO CETHEGO, Conſule, anno v. c. DXDI. a IVLIO CAESARE, ab AVGVSTO, a THEODORICO, Gothorum Rege, a SIXTO V. Pontifice, ſuſceptum fuiſſe, oſtendit IOH. BAPTISTA DONIVS. (15) Tanta antiquiſſimis temporibus huius paludis fuit exundatio, vt, PLINIO (16) autore, locus fuerit XXXIII. vrbium. Semper autem, vbi in hac regione, Romae vicina, impurae deſidesque aquae, ab acco-

12) *Il Tevere incatenato, overo l'arte di frenar l'aque correnti de l'Abbate* PHILIPPO MARIA BONINI, *in Roma, MDCLXIII.*

13) *l. c. de Noxiis paludum effluuiis.*

14) De Lacu Curtio, vbi poſt Velabrum fuit, vid. OVIDIVS *Faſtorum L. VI. v. 403.* confer LANCISIVM *de Aduentitiis R. C. Qualitatibus Cap. I.* De Cloacarum admirabili opere vid. PLINIVS *H. N. L. XXXVII. Cap. XV. T. II. p. 742.* et DIONYSIVS HALICARNASSEVS *Antiqu. Rom. Lib. III. Tom. I. pag. 191. Edit.* IOH. HVDSON. Notari meretur de iis iudicium DIONYSII: Ἐγωγ' ἂν ἐν τρισὶ τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ρώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγιστον, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς τίθεμαι, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας.

15) *loc. cit. pag. 134.*

16) *Hiſt. Nat. Cap. V. Tom. I. pag. 153.*

accolis non deductae, ſed neglectae, atque etiam pluuialibus adauctae, diu haeſerunt, tandemque computruerunt, morbi ἐπιδήμιοι, et vix non peſtilentes, in vrbem inceſſerunt. Ingraueſcere viſa eſt haec aeris inſalubritas, ſi Tiberis ex effuſioribus imbribus increuit, et extra ripas diffluxit. Imo poſt vrbis excidium aquae coeleſtes inter dirutorum aedificiorum parietinas haerentes, quod, putrore corruptae, aeſtate tetrum grauemque halitum redderent, illud vitium non parum adauxerunt. Quam primum vero paludes ſiccatae fuerunt, et vrbs, eiusque viae, vel eius, poſtquam per ruinam collapſa erat, rudera, a coeno atque ſentina repurgata, morbi euanuerunt, et coelo ſalubritas fuit reſtituta. Illud, quod olim Romani, hoc ipſo ſeculo experti ſunt Piſauri, quorum, cum propter ſimilem coeli grauitatem pauciſſimi annum quinquageſimum attingerent, iam plures ad ſenectam aetatem perueniunt, poſtquam vrbs CLEMENTIS XI, Pontificis Maximi, beneficio a ſtagnantibus graueolentibusque aquis, coeno, aliisque ſordibus, fuit liberata. (17) De Piſauris igitur bene meritus fuit LANCISIVS, ex cuius conſilio Pontifex Maximus Piſaurum, vrbem, euerri et purgari iuſſit, de patriae autem, Leydae, ciuibus celebris Medicus PETRVS SALIVS DIVERSVS, cuius verba, cum commemorabilia mihi viſa fuerint, adducam: *Si occaſione aquarum ſtagnantium febres genitae ſunt, vel iis ſuperinfundere aquas fluentes, vel easdem exſiccare oportet, cuiusmodi conſultum fuit in patria mea, circa cuius moenia ſtagnabant aquae in foſſis publicis, vnde hae aeſtate putreſcentes erant in cauſa, vt in fine aeſtatis et in autumno ſingulis annis vigerent peſtilentes febres. His exſiccatis, experientia et rei euentus comprobauit, recte conſultum fuiſſe, cum non amplius ita vigeant, nec vagentur.* Hoc etiam Stuttgardiae accidiſſe, LENTILII literae, ad LANCISIVM datae, (18) oſtendunt, vbi febres endemiae et annuae conquieuerunt, poſtquam piſcina, vel maius, et plurimum iugerum ſtagnum fuit ſiccatum, atque in pra-

17) LANCISIVS *de Noxiis effluuiis L. I. Cap III. p. 138. L. II. Epid. IIII. Cap. VI. p. 230.*

18) *c. l.*

tum amoenum conuerſum. Alia ab aliis prodita experimenta atque teſtimonia omitto, cum longior eſſe nolim. Venio ad alterum, quod inueſtigandum eſt, cuius naturae ſit illa noxa, quam homines ex paludoſis exſpirationibus concipiunt. Vt vero nullus diſputationi locus relinquatur, non alia proferam, quam, quae omnibus comprehenſibilia, medicis vero cognita, conſtitutaque, ſunt. Febres a variis moueri, et inter has etiam grauiſſimas perniciosiſſimasque a rebus, quae corpori euerſionem interitumque per putredinem minantur, nemo inficiabitur, qui naturam venenorum non ignorat, et prae caeteris virulenti, quamuis exigui, humoris efficaciam, qui morſu ictuque nonnullorum animalium per aperta vulnera humidis in corpore miſcetur. Nec minus compertum eſt, corpus noſtrum, non in internis ſolum partibus, ſed extrinſecus etiam, in tota cute, habere duplicis generis itinera. Per vnum genus perpetuae vberesque fiunt exſpirationes, per alterum vero, quod quaſi bibulum, et venarum abſorbentium nomine medicis notum eſt, varia, quae cuti, vel etiam membranae, qua pulmo intus cingitur, admouentur, intro feruntur, et in ipſa viſcera permanant. Hoc probant vel hydrargyron, petum, colocynthis, quae, ſi vario modo cuti ſuperhabentur, ptyaliſmum, vomitum, aluum, mouent, vt de cantharidibus non dicam, quae etiam, emplaſtro exceptae, diutius, vel maiori in copia, impoſitae, efficiunt, vt ſanguis cum vrina profundatur. Non ſolum vero per hanc, ſed per aliam quoque, viam, rebus, quae aeri, nobis circumfuſo, admixtae ſunt, aditus datur ad interiora, per os videlicet, dum aer dilatatis reſpiritu pulmonibus hauritur, et humori, qui ex interiori aſperae arteriae membrana effertur, adiicitur. Praeterea, dum cibus dentibus in ore conſtructis manditur, extenuaturque, huic, et effuſae etiam ſaliuae, non minima vis aeris accedit, atque ſtomacho excipitur. Eſt vero in paludoſa aſpiratione aliquid corpori noſtro inimicum, et quaſi virulentum, quod, accedente naturali corporis calore, intenditur, et quod illud, et, vt videtur, prae caeteris eius humores teneriores, omnemque ſenſum

effu-

effugientes, aggreditur, atque corrumpit. In morbis enim, qui ex hac coeli grauitate naſcuntur, humida corporis, ipſaque viſcera, quaſi putreſcere videntur; et ex his morbis defunctorum cadauera longe celerius putreſcunt, ac diffluunt. Contra hanc imminentem putredinem nititur ipſum corpus, vel, vt loquimur, natura, concitatioribus et febrilibus motibus, quibus mala materia, quae corpori interitum atque exitium parare poſſet, ſubigitur, et per varias vias expellitur. Haec enim admirabilis animalium natura eſt, vel, ſi ita placet, fabricatio, vt eorum corpora, ſi alienata laeſaque fuerint, ſola illa naturali atque inſita vi, in priſtinam integritatem aliquando, et crebrius, reſtituantur. Nam, ſi in corpus inceſſit morbus, qui grauior eſt, quam, vt poſſit remoueri, vis illa opprimitur, et vita, quamuis repugnantibus natura, et medicina, amittitur. Ex omnibus autem putreſcentibus nihil fere putidius eſt, quam palus, ſi eius aquae, et cum his varii generis plantae, animalia etiam, et prae caeteris inſecta, corrumpuntur, atque tetrum halitum exſpirant. Omne putre, ſi rebus, quae putreſcere poſſunt, in quarum numero corpus animale eſt, admiſcetur, eas contagione inficit, atque eodem modo corrumpit. Illos autem paludum vapores per ſupra commemoratas vias animalium corpora ingredi, et his, pro vario eorum habitu, mox multum, mox parum, nocere, clarum eſſe opinor. Nec id omittamus, quod, quamuis olim philoſophi non penitus ignorauerint, his tamen maxime temporibus ſingulari ſtudio HALESII, (19) Britannici Scriptoris clariſſimi, patefactum, illuſtratumque, fuit. Neceſſe eſt, vt aeri, quem pulmonibus haurimus, ſit aliqua proprietas, elaſticitatem vocant recentiores, qua is naturaliter comprimi, in anguſtum contrahi, iterum expandi, atque dilatari, poſſit. Aer enim minus extenuatus pulmonibus aptus non eſt, cuius aſpiratione vix vllum animal viuit, cum nec vegetabilia, niſi ſub aere agitabili, apertoque, prouenire atque creſcere poſſint. Extenuatur vero aer ex-

19) STEPHEN HALES *Statical Eſſays Vol. I. pag. 172. ſeqq.* and a *Deſcription of Ventilators, London, Anno MDCCXXXXIII.*

ſpirationibus variis corporum, etiam viuentium, quare animal in aere concluſo, quamuis ſat magnus eius modus ſit, viuere nequit. Omnium autem celerrime aera corrumpunt exſpirationes ex ſulphure, ex carbonibus candentibus, ex fermenteſcentibus nouis muſtis in cellis vinariis, ſi his nullus perflatus datur, ex rebus etiam inter ſe contrariis efferueſcentibus, quibus omnibus animal ſubita morte proſternitur, et extinguitur. Exhalationes autem rerum putreſcentium non minorem perniciem corpori inferunt, quae, ſi concluſae ſunt, homines etiam ſubito praecipitant, eique omnem ſpiritum auferunt. Illud in hac noſtra vrbe ante hos viginti annos duobus foricariis incidit, qui, cum in latrinam, quae diutius operta fuerat, deſcendiſſent, quaſi fulminis ictu extincti, atque ſtrangulati, praecipites conciderunt. Seruatus fuit tertius, fune circumligatus, quem ab hac peſtifera aura etiam praecipitatum ſine mora eduxerunt ſodales, qui autem fere exanimis, non ſine labore, a morte fuit reuocatus. Illae putres exhalationes per aera apertum diffuſae, quibus, hunc etiam tenuari, et iuſto rariorem fieri, nullum dubium eſt, non tam ſubito exitioſae ſunt, ſed, gliſcente pernicie, homines longinquis morbis implicitos, oppreſſos, et tandem aeque conſumtos, vita expellunt. Optanda itaque, omnique diligentia tuenda, cuſtodiendaque, eſt animabilis ſpirabilisque aeris ſalubritas, et arcenda deriuandaque omnis putreſcentium aquarum colluuies, ne valetudinis proſperitatem, quae inter omnia bona in hac vita maximum eſt, amittamus.

PRO-

PROLVSIO XXVII.

DE GRATO ANIMO MEDICORVM

PRAEMISSA

ORATIONI

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

MEDICINAE PROFESSORIS

HABITAE D. XII. OCT. CIↃ IↃCCXXXXVII.

IN MEMORIAM

AVGVSTINI FRIDER. WALTHERI

ARCHIATRI ET AVLAE CONSILIARII REGII ORDINIS MEDICI DECANI REL.

Cura, ſtudioque, ingrati hominis crimen bono viro defugiendum eſt, quo omnis laus, quam is aliis virtutibus conſequi poteſt, obteritur. Nam P. SYRO (1) autore,

Dixeris maledicta cuncta cum hominem ingratum dixeris,

et CICERONE teſte, (2) nullum officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. Si enim animantia, prae caeteris illa domeſtica, canes et equi, quamuis ratione deſtituta, gratae memoriae voluntatem heris ſuis, aliisque, teſtantur; quanto magis hominem, qui illa luce lumineque vitae fruitur, decet gratum et eſſe, et aliis videri, atque hoc officium, quo nullum formoſius eſt, nullum ad communem humanitatem accommodatius, aduerſus eos conſeruare, a quibus beneficia accepit. Pauci ignorant, aliquando Romae ſeruum, ad beſtias datum, a ſaeuo leone, cui is olim pedem, euulſa feſtuca, curauerat, fuiſſe ſeruatum. (3) Inter homi-

1) *in Trochaicis ab initio.*

2) *de Officiis L. I. Cap. XV.*

3) vid. SENECA *de Beneficiis L. II. Cap. XIX.* Fere eadem prodidit A. GELLIVS *Noct. Atticarum L. V. Cap. XIIII.* et AELIANVS *Hiſtor. Animalium L. VII. Cap. 48.* Vidimus olim in theriothrophio leonem cum cane maiori femina, cuius vberibus olim altus fuerat, eadem cauea incluſum & ludentem.

homines vero (CICERONIS verbis vtor,(4) *nihil tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, vt beneficio, non dicam indignus, sed victus esse, videare.* Noſtrum non eſt, ea repetere, quae ab aliis, a CICERONE,(5) VALERIO MAXIMO,(6) L. ANNAEO SENECA,(7) FRANCISCO LE VAYERIO,(8) de gratis, ingratisque, et de gratiae perſoluendae pietate, fuerunt propoſita. Illud forſitan non omnes animaduerterunt, gratam beneficiorum meriam, et bonam eorum remunerandorum voluntatem, a nemine diligentius, quam a Medicis fuiſſe obſeruatam, et hanc virtutem ad artem noſtram ſalutarem inſtituendam amplificandamque non parum contuliſſe. Quantum ex primorum temporum vetuſtate eruere poſſumus, cum religionibus, aliisque artibus, ſcientiisque, etiam Medicina ex Aegypto in Graeciam fuit illata, cum apud Aegyptios iam antiquitus ſingulis morbis ſui medici eſſent, qui ſumptibus publicis alebantur. Apud hos vero, et Graecos, ab initio illa plane rudis fuit, vt maximam partem ſolis, iisque vulgaribus, vagisque experimentis contineretur. Tandem medendi artem paulo melius excoluiſſe videtur AESCVLAPIVS, quem, ex more illorum temporum, homines, qui ſe hoc Medicinae adhibitae beneficio obligatos ſentiebant, in numerum Deorum retulerunt, eique aras templaque dedicauerunt. Nouimus, plures huius nominis fuiſſe, cum, et Aegyptii, et Graeci, ſuos habuerint AESCVLAPIOS.(9) De illo Graeco tamen, qui a IOVE fulmine ictus dicitur, vel, vt HERACLITVS(10) fabulam interpretatur, febre ardente extinctus fuit, et, quem prae caeteris vt Deum coluerunt, duo comperta exploratagque eſſe exiſtimo. Primum eſt, eum beneficiis excellentem grata hominum voluntate in coelum fuiſſe ſublatum, Deumque habitum; alterum, aediculas, illius religionibus dicatas, et ab initio ſolis ſacris faciendis accommodatas, mox in valetudinaria, imo in ſcholas, in quibus meden-

4) *Orat. pro Cn.* PLANCIO *Cap. 33.*

5) loc. cit.

6) *Factorum dictorumque memorabilium L. V. Cap. II.*

7) *in Libris de Beneficiis.*

8) *Les Oeuvres de* LA MOTHE LE VAYEVR *Tom. IX. p. 26.*

9) vid. CICERONEM *de Nat. Deorum L. III. Cap. XXII p. 118.* confer. SEBITZII *Diſſ. de Aeſculapio, Inventore Medicinae, Argent. MDCLXIX,* HENRICI MEIBOMII *Comment. in Iusiurandum* HIPPOCRATIS *Cap. V. p. 35.* LE CLERC. *Hiſtoire de la Medecine, P I. p. 36.*

10) HERACLITVS *de Incredibilibus Cap. 26.*

medendi peritiam docuerunt, fuiſſe conuerſas. AESCVLAPII enim ſacra per ſolos nepotes fuerunt curata, qui et ſacrificiis praefuerunt, et medicinam, quam a progenitore acceperant, per plura ſecula fere ſoli exercuerunt. Ne vero haec medendi peritia interiret, neceſſe fuit, vt illi, qui iam ſacerdotes erant, medici, etiam profeſſores eſſent, artemque alios docerent. In his igitur AESCVLAPII templis, quorum magnus numerus fuit, (11) conſtitutae fuerunt medicae ſcholae, in quibus ars medicinalis per quingentos, vel, ut alii volunt, per octingentos et nonaginta annos ad HIPPOCRATIS vſque tempora, in illa ASCLEPIADARVM gente, per ſucceſſiones, et quaſi per manus tradita, delituit. Quamuis etiam medicina iſtorum ſacrificulorum, tum anili ſuperſtitione, tum probroſa calliditate, in multis fuerit corrupta, deprauataque, illa tamen nihilominus iſtorum hominum lucri, honorisque, cupidorum, induſtria, in aliis fuit adaucta, imo certior, euidentiorque, facta. Ad hoc vero iterum non parum feciſſe videtur illud laudabile commemorandae referendaeque gratiae ſtudium. Qui enim in his templis ex grauioribus morbis conualuerant, id quod plerumque conſiliis, per ſomnum acceptis, fiebat, meritam beneficio Dei gratiam iuſtis honoribus, et memori mente, perſoluerunt, et curauerunt, vt, tum morborum hiſtoriae, tum auxilia, quibus ii depulſi fuerant, columnis templorum, aut tabulis, in his ſuſpenſis, inſcriberentur. Illarum tabularum, nobis antiquitus relictarum, aliquot exempla exhibet HIERONYMVS MERCVRIALIS. (12) Ex his autem, diligenti iteratàque obſeruatione conditis, monumentis, et accurate deſcriptis morborum curationibus, coaluit illa medendi ſcientia, quam HIPPOCRATES, ex gente ASCLEPIADARVM ortus, 13) digeſſit, nobisque reliquit, quam et his temporibus merito ſuſpicimus, et admiramus. Nam, cui non magnam admirabilitatem faciunt illae Coacae Praenotiones, quas HIPPOCRATES, in ſchola, quae in Inſula Coo florebat, educatus, inſtitutus, formatusque, in hac conquiſiuit, collegit, et vt videtur, maiorem par-

11) vide *indicem in* SCHVLTZII *Hiſt. Medicinae Period. I. Sect. II. Cap. IV. p. 118.*

12) *de Medicina Gymnaſtica pag. 2.*

13) vide SORANVM *in Vita* HIPPOCRATIS *Edit.* CHARTERII *T. I.*

partem ab his grati animi monumentis descripsit? Cnidiarum quoque obseruationum a Cnido, Cariae vrbe, in qua etiam celebris schola fuit, HIPPOCRATES mentionem fecit. (14) Sed vero, qui sic ex incommoda valetudine emersérant, Deo, et eius sacerdotibus, medicis, gratiam non sola illa publica beneuolentiae significatione, sed etiam remuneratione, et datis, positisque, maximis beneficiis, persoluerunt. Deo sacrificia factitauerunt; et legimus, magnum Philosophum, SOCRATEM, moribundum, professum esse, se Aesculapio gallum debere. (15) Sacerdotibus vero medicis munera obtulerunt conualescentes, imo templis scholisque aliorum bonorum donationibus, aedium terrarumque assignationibus prospexerunt. Eiusmodi liberalitatis et munificentiae exemplum ex marmore, Romae inuento, et in aedibus Barberinis asseruato, nobis proposuit eruditissimus, et omnis antiquitatis peritissimus, medicus, IACOBVS SPONIVS. (16) Sed vero inter ipsos etiam ASCLEPIADAS, in referenda pro beneficiis gratia, maxima fuisse videtur pietas, honestasque, atque, in ea negligenda, summa turpitudo. Clarum et insigne huius rei indicium deprehenditur in illo Iureiurando, ad quod HIPPOCRATES discipulos suos adegit, et, quod in voluminibus, ab eo nobis relictis, legitur. Nam primum, quod eos illo sacramento, conceptis verbis, polliceri oportuit, fuit acceptorum a praeceptoribus beneficiorum memoria, et perpetua constansque ea remunerandi voluntas. Ἡγήσασθαί μεν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, ἴσα γενέτησιν ἐμοῖσιν, καὶ βίε κοινώσασθαι. Καὶ χρεῶν χρηίζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι Καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἐωυτέε ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρίνειν ἀῤῥέσι. Καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταυτην ἢν χρηίζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθῦ καὶ ξυγγραφῆς. *Polliceor, me eum, qui me artem docuit, parentis loco habiturum, cum eo vitam & bona communicaturum, &, quae ad communem usum necessaria, daturum, ejus liberos fratrum loco habiturum, hisque artem, si velint discere, absque mercede & syngrapha traditurum esse.* Cum vero in ASCLEPIADARVM familia vix non omnes medicinae operam darent, nullus

14) *de Victu acutorum ab initio.*

15) vide PLATONEM *in Phaedone T. I. Edit.* IOH. SERRANI *pag. 118.*

16) *In Miscellaneis Eruditae Antiquitatis Sect. II. Art. XI.* EIVSD. *Recherches curieuses d'Antiquité Diss. XXIII pag. 326.* Est donatio matronae, Collegio AESCVLAPII & HYGIEAE facta.

lus dubio locus eſt, hanc gratiae praeceptoribus eorumque filiis habendae voluntatem arti noſtrae plurimum ſtudii, incrementique, dediſſe, quae ſic non ſolum maiori diligentia, altiusque, fuit agitata, ſed integerrima etiam fide diſcipulis tradita. Addere poſſem Anatomen, ſine qua omnis medicina manca et imperfecta eſt, etiam bonae grataeque voluntati in principes, aliosque, cum pietate colendos, plurimum debere. Aegyptii enim, cum in condienda demortuorum corpora effuſiores ſumptus facerent, horum viſcera atque inteſtina ſcrutati ſunt, quibus ſic patefactae fuerunt internarum partium in corpore humano ſedes, figurae atque magnitudines, quae notitia longe melior fuit, certiorque, illa, quam alii ex mactatis in laniena animalibus, caeſisque hoſtiis, adepti erant. (17) Sed vero, ſi animus eſſet, ab his rebus, vetuſtate nimium obſcuris, ad ea venire, quae a noſtra aetate propiora ſunt, complures adducere poſſem claros Medicos, qui, cum doctrina medendique peritia, non ſolum in celebritatem veniſſent, ſed etiam opulenti facti eſſent, gratos ſe praebuerunt ciuibus, artis ſtudium munifice largeque adiuuantes, atque etiam bene prudenterque prouidentes, vt huius ſuae beneficentiae fructus ad poſteros ſeruaretur. Ex Britannicis nominare licebit THOMAM LINACRVM, IOH. CAIVM, GVILIELMVM HARVAEVM, et IOH. WOODWARDVM. Prior HENRICORVM, ſeptimi, et octaui, Britanniae Regum, Medicus, non ſolum, cum ſuperſtes eſſet, omnes artis cultores conſilio, gratia, et opibus, adiuuit, ſed poſt obitum etiam publicas praelectiones in Medicina, duas Oxonii, vnam Cantabrigiae, fundauit, quibus HIPPOCRATES atque GALENVS tironibus explicantur. Etiam, cum poſthac, firmiſſima Regis et Cardinalis WOLSAEI beneuolentia munitus, Collegium Medicum Londinenſe inſtituiſſet, literasque regias, etiam a Senatu Britannico confirmatas, obtinuiſſet, huic Collegio, cui omnis rerum medicarum procuratio authoritasque data fuit, ipſe per ſeptem annos praefuit. Socii in eius aedibus congregabantur, quas moriens Collegio legauit, atque ſic effecit,

17) vide PHILIPPI IACOBI HARTMANNI *Diſquiſit. hiſtoricas de Re anatomica veterum, Regiomonti, Diſſert. I. Cap. VI. pag. 35.*

vt Medici, ab empiricis ſegregati, utiliores redderentur reipublicae. (18) IOHANNES CAIVS, qui, cum LINACRO, bonarum literarum ſtudium, ex Italia allatum, in Britannia inſtauravit, poſt huius obitum, naſcentem medicorum Londinenſium rem publicam ſuſtinuit, nouisque legibus emendauit; Catabrigiae vero Collegium, quod ab eo nomen habet, aedificiis et annuis ſtipendiis ad alendos ſuſtentandosque tres ſocios, vigintique adoleſcentes, munifice adauxit. (19) GVILIELMVS HARVAEVS, immortale, propter inuentum vitalem ſanguinis circuitum, nomen, idem Collegium nouis aedificationibus ampliauit, libris locupletauit, horumque conſeruationi, conſtitutis Bibliothecario praemiis, conſuluit. Imo tanta huius in ſocios fuit liberalitas, vt is, quo illis menſtrua annuaque conuiuia apparare, iisque adhuc ſuperſtes laetus ac hilaris accumbere, poſſet, (20) ſe viuum paterna domo, omnibusque opibus, quibus abundabat, exuere haud dubitauerit. Qui ſupereſt, IOH. WOODWARDVS, conquiſitum ſummo ſtudio, ingentibusque factis impenſis, rerum naturalium, prae caeteris illarum, quae ex terra effodiuntur, apparatum Cantabrigienſibus teſtamento reliquit, cuſtodemque ac interpretem, vt omnia literarum artiumque ſtudioſis explicaret, liberali ſtipendio conſtituit. (21) Nec a me impetrare poſſum, vt iam omittam illud Italiae lumen, IOH. MARIAM LANCISIVM, CLEMENTIS XI, Pontificis Maximi, Archiatrum, qui Noſodochio Romano, cui a S. Spiritu nomen eſt, et ampliſſimam pecuniam, et Bibliothecam, legauit, quam vltimam, cum Anno MDCCXIV. publice luculenta apparataque oratione dedicaret, et fundatarum praelectionum auſpicia celebraret, his verbis ſuum inſtitutum, et optimam beneficia remunerandi voluntatem, expoſuit: (22) *Cum Medicinae ſtudiis in hoc potiſſimum Archinoſocomio inſtitutus, ac*

18) vid. FREINDS *Hiſtory of Phyſick. Part. II. pag. 407.*

19) vid. HOADLY *Oratio Harueiana d. XVIII. Octobris Anno MDCCXLII. publice dicta.*

20) vid. *c. l.* & plures alias Orationes, quales quotannis in HARVEI honorem publice dicuntur.

21) vide Viri Clar. CONYER MIDDLETONS *Orationem de nouo Phyſiologiae explicandae munere ex Celeberr.* WOODWARDI *Teſtamento, Cantabrigiae Anno MDCCXXXII.* dictam.

22) in *Diſſert. de recta Medicorum ſtudio-*

ac Romanis ciuibus omnia me debere intelligerem, eo cogitationes meas conferendas esse reputaui, tum, vt acceptas ab iisdem gratias perenni memoria retinerem, tum, vt ingenuae, discendique cupidae iuuentuti hoc eodem loco facultates meas qualescunque, et conatus summa cum alacritate offerrem; ratus, nihil Patriae, nihil posteris vtilius a me rependi posse, quam, vt Medicos, publicae incolumitatis custodes, ac vindices, quam doctissimos & peritissimos fore curarem: Nec Ordini nostro defuerunt socii, qui facta gratae voluntatis significatione illum beneficentia adiuuerunt, et, vel studiosos ad artem diligentius excolendam constitutis stipendiis inuitauerunt, vel nostros reditus honestis rationibus adauxerunt.

studiorum ratione instituenda, Romae MDCCXV. pag. 7. Confer. *Bibliotheca Lancisiana, Overo Distincto Raggaglio della Publica Libraria eretta l' Anno 1714. nel sacro Pontificio Archiospedale di S. Spirito di Roma dal Monsi.* LANCISI, *in Roma, 1718.*

INDEX PROLVSIONVM.

I. De Chirurgia, Artis medicae parente p. 1
II. De Arte Gymnastica Veterum p. 11
III. De Morbo Campano ad verba HORATII Lib. I. Sat. V. v. LXII. p. 21
IIII. De Morbo ἐνθουσιαζόντων καὶ ἐνεργουμένων p. 29
V. De MAGNO HVNDT, Tabularum Anatomicarum, vt videtur, Auctore p. 35
VI. De Anatome subtiliori, ob vsum inprimis chirurgicum non negligenda p. 43
VII. De Chirurgia ocularia p. 49
VIII. De Arte obstetricia Veterum p. 58
VIIII Observationes quaedam Anatomicae p. 68
X. De curatione τῦ ἀποσκεπαρνίσμυ in calua p. 73
XI. De Musculo digastrico maxillae inferioris p. 81
XII. De Risu a Splene p. 95
XIII. De Ossium conformatione et colore p. 106
XIIII. De Motu ligamenti ciliaris in Oculo p. 112
XV. De Aqua fontana salubriori caeteris p. 119
XVI. De Pallore per aduersam valetudinem quaesito p. 130
XVII. De Somno Infantum ex agitatione motuque cunarum p. 138
XVIII. Medicos de Insanis et Furiosis audiendos esse p. 146
XVIIII. De Vulneribus superciliis illatis, cur caecitatem adferant? ad locum HIPPOCRATIS in Coacis Praenotionibus p. 166
XX. De somno in cubiculis percalefactis p. 182
XXI. De Noxis ex cohibita Suppuratione in nonnullis Oculorum morbis p. 191
XXII. De iis, qui ex Tuberculis gibberosi fiunt p. 204
XXIII. De Fascia Infirmitatem adiuuante p. 213
XXIIII. De Curatione infirmorum Articulorum per Stillicidium p. 224
XXV. De Viro bono Medico p. 232
XXVI. De pestiferis aquarum putrescentium Exspirationibus p. 238
XXVII. De grato animo Medicorum p. 247

LIPSIAE,

EXCVDEBAT FRID. GOTTH. IACOBAEER.

LECTORIBVS

S. D.

FRIDERICVS PLATNER.

Iam altera opuſculorum patris mei pars, paucis interiectis diebus, in lucem prodit, in cuius limine pauca monenda eſſe videntur, quibus, quem in diſponendis ſingulis Proluſionibus ſecuti ſimus ordinem, breuiter indicabimus.

In collocandis autem his proluſionibus tempus ſecuti ſumus, quo ſcriptae eſſent. Deinde cum in eo cauendo curioſi eſſemus, ne opus in nimiam inutilemque magnitudinem excreſceret, ea, quae candidatorum vitas ſpectabant, omiſimus, in quo tanto minus a nobis peccatum eſt, quo breuiores eſſent illae vitarum adiectae nonnullis commentationibus delineationes.

Cum in quarundam commentationum titulis, quae res in iisdem tractaretur, indicatum

non

non esset, nos quidem ex patris exemplo adiicimus. Ex cuius etiam auctoritate III prolusionis titulum: de morbo Campano *HORATII ita mutauimus, vt iam* de morbo Campano ad verba *HORATII* L. I. Sat. V. v. 62. *legatur. Quod, non emendandi libidine, sed ambiguitatis tollendae, causa, factum est. Ceterum vt ea, in quibus forte propter summam festinationem peccatum erit, lectores velint sua humanitate subleuare, omni, qua decet, humanitate eos rogamus, nosque eorum fauori atque beneuolentiae commendamus. Dabam Lips. d. X. April. MDCCXXXXVIIII.*